

6
6 E
29

ORATIONES SELECTAE
IN SACELLO APOSTOLICO

Infra Missarum solemnia, coram Summo Pontifice, sacroque purpuratorum Patrum Senatu habitæ.



PER

FRATREM PAVLVM DE FRANCIS Neapolitanum Sacræ Theologiæ professorem Ordinis Prædicatorum, in vnum corpus redactæ.



TOMVS PRIMVS. PARS PRIMA.






ROMAE, Apud Aloisium Zannettum. M.DC.VI.

SVPERIORVM PERMISSV, Et cum Priuilegio Summi Pontificis.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. SCIPIONI CARD. BVRGHESIO.





Fr. Paulus de Francis de Neapoli F.





QVVM essem hasce Orationes editurus ex ijs delectas, quæ sunt habitæ coram Summis Pontificibus, & sacro Cardinalium Collegio, cui eas dicarē potissimum, non diu fuit sane deliberandum. Tu enim mihi statim occurristi Cardinalis Amplissime, in cuius nomine par esset eas in primis apparere. Primum enim si muneris huius rationem habere vellem, in quo Magistri Sacri Palatij socius annos iam aliquot versor, non fuit, opinor, ad alium mihi patronum confugiendum. Nam cum is, qui hoc tempore Magistri Apostolici Palatij officio fungitur Pater Fr. Io. Maria Guangellius Brasichellensis, præcipuo te studio, atque obseruantia colat, ac tum ob alias egregias virtutes tuas, tum ob singularem animi tui æquitatem, atque humanitatem, qua omnes benignissime complecteris, fidelissimum se tibi famulum in omne tempus addixerit, æquum profecto erat me idem quoque profiteri, atque indicio aliquo decla-

rare animi mei ſtudium Tibi gratificandi. Deinde vero ſi Orationum, quæ in hoc volumine continentur, materia perpendatur, hoc ipſum erat omnino mihi ſtatuendum, quum de nulla re alia in ipſis agatur niſi de ijs, quæ ad Chriſtianam pietatem, atque ad orthodoxam fidem referuntur: cuius Tu es in primis propugnator accerrimus; quod, & S.R.E. Cardinalis, & Pontificis Maximi Nepos es; atque eiuſmodi Pontificis, qui ſummo odio ſalutaris doctrinæ hoſtes inſectatur. Hoc igitur munuſculum animi erga te mei, qualecumq. argumentum, Te oro, vt eadem benignitate, qua ſoles, accipias. Ego vero viciſsim Deum immortalem precabor aſsidue, vt qua te cœpit prouidentia, & charitate prouehere, eadem conſeruet, ac protegat: vt quam tui expectationem, tam bonis orſus initijs concitaſti, eam non modo ſuſtineas, ac tuearis, ſed etiam ſuperes. Cuius profecto rei magna etiam nunc ſpes affulget omnibus, qui, & præclaram vim norunt ingenij tui, tuamque ad ſummum decus purpurato Principe dignum, propenſionem, & Pauli Quinti Pont. Maximi auunculi tui pietatem, ac ſapientiam intuentur: cuius tu nimirum imitatione, atque amantiſsimis, fideliſsimiſque Conſilijs nixus, facile ad culmen Apoſtolicæ, perfectæq. virtutis aſcendes. Vale Romæ 11. Kal. Februarij M.DC.VI.

FR.

F. PAVLVS DE FRANCIS PIO LECTORI SALVTEM.







ER hosce quinque annos, quibus Patri & Fratri Ioanni Mariæ Guangellio Brasichellensi, Sacri Palatij Apostolici Magistro operam nauo, dum socij apud eundem exequor munus, animaduerti inter cætera scripta propè innumerabilia, Orationũ quoque exempla quamplurima, quæ coram Sanctissimo Domino Nostro Papa sunt habitæ, latere in tenebris, quæ si prodirent, non exiguum fortasse legentibus honestissimæ, siue delectationis, siue vtilitatis fructum afferre posse viderentur. Quare non ingratum, neque iniucundum doctis præsertim, ac religiosis viris fore putaui, si eas in ordinem aliquẽ redactas curarem in conspectum hominum, lucemq. proferendas. Et quo facilius amice Lector, rem totam assequaris, earum Orationum seriem, quæ in Apostolico sacello haberi solent paucis exponam. Ij enim sacri Cardinalium Conuentus, quos vulgo Cappellas dicimus, in alma Vrbe die quidem Sanctorum omnium festo inchoãtur, Apostolorum verò principum Petri ac Pauli terminantur. Porro eorum catalogum dierum hic libet ascribere, quibus non modo rem diuinam, hoc est sacrosanctum Missæ sacrificium, Pontifice Maximo præsente ritè fieri, sed etiam Orationem pro tempore haberi de more necesse est. Primus enim dies, vt diximus, Sanctis omnibus

dicatus

dicatus in hoc numero recensetur, quem deinceps quatuor Aduentus Dominici dies consequuntur; tum dies sancti Stephani sacer, ac sancti Ioannis Apostoli, Circumcisionis Domini, & in capite ieiunij dies Cinerum: Dein quinque priores Quadragesimæ Dominicæ, & Feria sexta in Parasceue, solemnis postremò Ascensionis, Pentecostes, ac Sanctissimæ Trinitatis dies: etenim tribus maximè solemnibus diebus Christi Domini Natali, eidemq. à mortuis existenti, ac Sanctis Apostolis Petro & Paulo almæ Vrbis, atque adeo terrarum orbis vniuersi patronis consecratis, etsi Cappellæ, siue sacri Conuentus, & quidem celeberrimi habentur, tamen propterea non est in ijs Orationi locus; quod per eos dies ipsemet Pontifex Maximus rem diuinã ritè, ac publicè facere in eodem sacello consueuit. Quamquã die Cathedræ sancti Petri Apostoli, Festo Purificationis B. Mariæ Virginis, eiusdemq. Assumptionis, alijsq. nonnullis certis etiam, iustisq. de causis huiusmodi Orationibus supersedetur. Orationes porrò Pater Magister Sacri Palatij, ita viris idoneis habendas attribuit, vt cum pleraq. iam sint certo cuipiam vel Ordini, vel Collegio ex præscripto maiorum assignatæ, nonnullas tamen Pater Magister pro sua prudentia modo huic, modo illi soleat assignare: In harum numero collocantur, quæ diebus festis sancti Apostoli Ioannis, ac Circumcisionis Domini sunt habendæ, atque item quæ die Cinerum, quaque in Domini cælum Ascensu, die Pentecostes, ac Sãctissimæ Trinitatis. Nam (vt certis locis attributas enumeremus) de Sanctorum omnium celebritate verba facit alumnus aliquis Germanici Collegij, de prima die tum Aduẽtus, tum Quadragesi-

dragesi-


dragesimæ Dominica pater Procurator Ordinis Prædicatorum. De Aduentus altera pater Procurator Ordinis Minorum Conuentualium. De altera verò Quadragesimæ Dominica die Orationem pater Procurator eiusdem Ordinis de Obseruantia. De tertia & Aduentus, & Quadragesimæ pater Procurator Ordinis Eremitarum sancti Augustini. De quarta item vtriusque temporis pater Ordinis Carmelitarum Procurator: Ex Anglicano Collegio delectus alumnus de sancto Stephano Prothomartyre. De Epiphania Domini, ac Dominica Passionis pater Procurator Ordinis Seruorum. Denique vnus aliquis de Societatis Iesu Patribus de Feria sexta in Parasceue. Ergo vndeuiginti enumerauimus sacros, ac solemnes dies, quibus in sacello Apostolico præsente Pontifice Maximo huiusmodi Orationes habentur, ex quibus quasdam suis quasque locis quàm aptissimè fieri potuit, dispositas, quæ in præsentia prodirent in publicum selegimus, nam plurimæ aliæ, quæ adhuc supersunt, varijs de rebus, ac præsertim ad Summos Pontifices, ad augustissimum illud dignitatis fastigium recenter euectos à Principium, et Rerum publicarum Legatis gratulandi, ac debitæ venerationis officium præstandi causa habitę in alterum volumen coniectæ propediem subsequentur. Hasce autem quę nunc prodeunt, cur prætermissis Auctorum nominibus in lucem daremus, duæ nos causæ impulerunt. Primum, quòd verebamur ne ex Auctoribus ipsis quorundam latere cupientium offensionē (quod minimè volumus) incurreremus, quos inuitos detegere, & in medium proferre, quid aliud erat, quàm inimicitias (vt aiunt) aperto Marte suscipere? Deinde

huius-

huiusmodi consilium capere, necessitate etiã coacti sumus, propterea quod Orationes pleræq. sine Auctorum nominibus conscriptę apud nos extabant. Neque verò multos futuros arbitror, qui scire quæ omissa sunt, magnopere desiderent; à qua cupiditate eos in primis seiungo, qui veritatis magis sunt, quàm hominum amatores: Veritas enim etiam sine Auctore plausibilis est. Quamquam ego non video quonam modo veritas sine Auctore esse possit, cum si quid boni ab hominibus dicitur, non longè, imo vbique sit is, ad quem bonorum omnium fontem, Auctoremq. certissimum eorum dicta sine vlla dubitatione referre debeamus. Hæc habui studiose Lector, quæ te hac tota de re initio huius Operis admonerem, vt facilè perspiceres eundem esse à nobis ordinem retentum in hisce Orationibus in hoc primum volumen conijciendis, qui in ijsdem habendis coram Summo Pontifice toto anni decursu seruari continenter solet. Cæterum si tibi hoc nostrum huius edendi Operis consilium probari, vt spero, senserimus, neque nos hunc laborem suscepisse pænitebit, & ad alia edenda in posterum alacrius animum conferemus. Vale.

PAV-

PAVLVS PAPA V.




D Fvtvram Rei Memoriam. Cum ſicut accepimus, dilectus filius Aloiſius Zannettus in Vrbe Typographus quendã librũ inſcriptũ Orationes ſelectæ in ſacello Apoſtolico infra Miſſarum ſolemnia coram Summo Pontifice, ſacroq. Purpuratorum Patrum Collegio habitæ, quæ per dilectum filium Paulum de Franciſ de Neapoli, ſacræ Theologiæ profeſſorem ordinis Prædicatorum, in vnum corpus redactæ; & in Tomos duos diuiſæ fuerunt, typis cudere intendat, vereaturq. nè poſtquam in lucem prodierit, alij, qui ex alieno labore lucrum quærunt, hunc ipſum librum typis cudi facere curent, in ipſius Aloiſij pręiudicium. Nos eiuſdem Aloiſij indemnitati, nè ex impreſſione huiuſmodi nimirum diſpendium patiatur prouidere, ipſumq. ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpẽſionis, & interdicti, alijſq. Eccleſiaſticis ſententijs, cẽſuris, & pęnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendi harum ſerie abſoluendi, & abſolutum fore cenſentes. Supplicationibus eius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidẽ Aloiſio, vt Decennio proximo à primæua dicti libri, & vtriuſque eius Tomi; dummodo antea à Magiſtro Sacri Palatii approbatus ſit, impreſſione computando durante, nemo tã in Vrbe, quàm in vniuerſo Statu noſtro Eccleſiaſtico, immediatè, vel mediatè nobis ſubiecto, librum ſupradictum ſine ſpeciali dicti Aloiſii, aut eius hæredum, & ſucceſſorum, vel ab eo, & eis cauſam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis ſine huiuſmodi licentia impreſſum vendere, aut venalem habere, ſeu proponere poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, & indulgemus, Inhibentes propterea vniuerſis vtriuſq. ſexus Chriſtifidelibus, præſertim librorum Impreſſoribus, & Bibliopolis ſub Quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſsionis librorum, & typorum omnium pro vna Camerę noſtrę Apoſtolicæ, & pro alia eidem Aloiſio, ſeu illius hęredibus, & ſucceſ-

ſoribus, aut ab eo, & eis cauſam habentibus, ac pro reliquæ tertiis partibus Accuſatori, & Iudici exequenti irremiſsibiliter applicandis, & eo ipſo abſque vlla declaratione incurrendis pœnis, ne dicto durante decenio librum prędictum, & vtriuſq eius tomum, aut quamlibet illius partem tàm in magno, quàm in paruo folio etiam prętextu declarationũ, ſiue additionum tàm in Vrbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico prędictis ſine huiuſmodi licentia imprimere, aut ab aliis impreſſum vendere, aut venalẽ habere, ſeu proponere quo quo modo audeant, vel pręſumant. Mandantes dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicę Sedis de latere Legatis, ſeu eorũ Vicelegatis, aut Pręſidẽtibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis Iuſtitiæ Miniſtris, Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & Locorum Status noſtri Eccleſiaſtici, quatenus eidẽ Aloiſio, eiuſq. hæredibus, & ſucceſſoribus, ſeu ab eis cauſam habẽtibus huiuſmodi in pręmiſsis efficacis defenſionis prę ſidio aſsiſtentes, quandocunq. ab eodem Aloiſio, ſeu aliis prędictis fuerint requiſiti pœnas prędictas contra quoſcunque inobedientes irremisſibiliter exequantur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſuis ſtatutis, & conſuetudinibus etiã iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium prędmiſsorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & approbatis, cęteriſq. contrariis quibuſcunque. Volumus autem, vt pręſentium tranſumptis etiam in ipſo libro impreſsis manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 21. Ianuarii. M.DC.VI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

M. Veſtrius Barbianus.

INDEX ORATIONVM QVÆ IN HOC PRIMO Tomo continentur.



Prima Pars.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Ora-

IN FESTO CIRCVMCISIONIS Domini.

IN FESTO EPIPHANIAE Domini.



Secunda Pars.

FERIA IV. CINERVM.

DOMINICA I. QVADRAGESIMAE.

Ora-

DOMINICA II. QVADRAGESIMAE.

DOMINICA III. QVADRAGESIMAE.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMAE.

DOMINICA IN PASSIONE.

FE-

FERIA VI. IN PARASCEVE.



Tertia Pars.

DE CHRISTI DOMINI IN CAELVM Afcenfione.

IN FESTO SANCTISSIMAE Pentecoftes.

IN FESTO SANCTISSIMAE Trinitatis.

Finis Indicis Orationum.


Imprimatur si placet R. P. M. S. P.
B. Gypsius Vicesgerens.

Imprimatur
Fr. Paulus de Francis de Neap. Magister, & socius Reuerendissimi Sacri Palatij Apostolici.



IN FESTO
OMNIVM SANCTORVM.





ORATIO PRIMA.



ILE admodum precium, Pater Beatiſſime, Deus immortalis pro abſoluta bonorum omnium adeptione depoſcit: Beati, inquit, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, nec dubito quin plurimos Chriſti liberalitas ad eam felicitatem alliciat, quam alioquin magnitudo ipſa nimis arduam faceret, ſublimitas poſſeſſione difficilem. Quum enim humanæ vires perexiguæ ſint, egeſtas vero atque inopia tanta, vt & nihil nos poſſe, & nihil habere fateamur; admirabile ſane eſt, quòd eo ipſo Deus immortalis beatos nos eſſe velit, quo & nihil nos poſſe intelligimus, & nihil nos habere lætamur. Bona nimirum tum æterna, tum peritura, venalia omnia ſunt. Sed profectò vtriſque longe diſpar eſt, diſſimiliſque natura, quòd hæc vt comparentur, precium poſcant, illa inopi ac miſero tribuantur; hæc niſi quid afferas, emere non poſſis, illa nullo digniore precio adipiſci poſſis, quàm nihil habendo: non quod ad æternam gloriam recte facta virtuteſque conferri non debeant; ſed hæc ipſa maxima virtus eſt, Chriſti cauſa pauperem eſſe: & in recte factis hoc præcipuum, in rebus fluxis numquam animum figere. Sed quoniam non omnis inopia felix eſt, neque omnis paupertas beata: videamus quoſnam pauperes vera Dei ſapien- *Matth. 5.*

 tia

tia beet; tum demum de eorum felicitate disseremus. quis enim est, qui eum pauperem beatum existimet, qui se ideo miserum putat; quòd diues esse non possit? quid si casus aliquis acerbus sua quempiam non minus tranquillitate, quam facultatibus spoliet, si suppellectilis, ac domus incendium grauem in illo dolorem accendat; si animum frangat calamitas, si ruina mentem opprimat, hunccine pauperem beatum quisquã arbitrabitur bonis omnibus orbatum, abiectum animo, fluctuantem curis, exesum angoribus, mœrore consumptum? Non igitur pauperem esse semper laudabile est, sed nihil appetere præclarum: neque bonis spoliari magnum est, sed in egestate lætari, gloriosum. Dolor enim perditi boni, noui boni sitim accendit, sitis auget dolorem, dolor miseriam; in summa vero miseria, quæ potest inueniri felicitas? At vero si bonorum cælestium ardor ita in nobis diuitiarum atque opum inanium desideriũ extinguat; vt nihil tam velimus, quàm nihil velimus, neque tam gratũ sit opibus frui, quàm carere; tum vero tum iure optimo à Christo habebimur & spiritu pauperes & beati. Pauperem enim facere multa possunt, beatum sine paupertatis amore non possunt; & facultatibus non abundasse non inhonestum fuit, sed eas spreuisse gloriosum. Quantam enim illius mercedem ac prẹmium esse dicemus, quem leuissimis vacuũ curis nihilque appetentem, summum illud bonum, Deus inquam, immortalis explet liquidissimo fonte voluptatis? quàm opulentam eius possessionem, qui Deum solum possidet! quàm securam felicitatem, quæ in vna perennitate defixa sit? grassetur bellum, serpant incendia, vastet omnia repentina tempestas, quid huic pauperi eripi possit, qui nihil esse suum putat, præter eum quem nec mors eripere nec vita potest? Quodsi tamen interdum ille aliqua ratio-
Psal. 93. ne aut affligi videtur, aut premi; numquid qui plantauit aurem, nõn audiet? aut qui finxit oculum non considerat? Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, propter
Psal. 33. 11 miseriam pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Iunior
35. 106. fui, etenim senui, inquit Propheta, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. & alibi: Quia satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis: esurientis est nimirum satiari, & inanis expleri: sinus qui-
Luc. 12. dem pauperum vacuus est; sed nolite timere pusillus grex,

men-

mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum. Vos ego testor clarissima orbis terrarum lumina, ornamenta cælestis domicilij, quorum laudes ac res præclare gestas hodierna die Anniuersario cultu solemnique pompa celebramus. Vos, inquã, testor, quos diuitiarum despicientia ad solidas opes traduxit, honorum contemptus, ad gloriam, labor ad quietem. Et vero quamuis dum adhuc in hoc hominum diuersorio vitam duceretis, vestra esset conditio felicissima, tamen vita illa vestra Tyrannis miserrima, regibus obscura, diuitibus egena, insipientibus stulta videbatur; nunc autem vestræ gloriæ ac maiestatis toto orbe splendor effusus ita omnium in se conuertit oculos atque animos rapit; nihil vt habeatur vestra paupertate ditius, tenebris fulgentius, studijs sapientius, miseria beatius; hæc vestræ coronę, hi triumphi, hæc simulacra victoriarum, hæ acclamationes, hæc præconia, abiectis armis, Imperatorum audaciam fregisse, patientia furorem, inopia potentiam, suppliciorum tolerantia crudelitatem. Viuet, viuet illa quondam misera hominibus visa mortalitas, nunc à Deo felicissima immortalitate donata. extant ac perpetuo extabunt in mentibus nostris vestrarum virtutum ac fortitudinis impressa vestigia. Neque enim Pater Beatissime, aliud à nobis poscunt, nisi vt tam insignes triumphantium exercitus, tam præclaras fortissimorum virorum, & castissimarum virginum cohortes, non tam laudum specie, quam factorum præstantia, neque tam faustis acclamationibus, quam accurata imitatione prosequamur, quum eosdem nobis Deus immortalis ad cælum gradus esse voluerit: neque vlla ratione putandum sit aliud iter hominibus ad felicitatem ac beatitudinem esse patefactum. Luc. 6.

ORATIO II.



IVINO plane consilio, Christianę religionis antistites instituerunt. P. B. vt hodierno die, quo vetusto cæremoniæ ritu, simul cælestes colimus vniuersos, is in re sacra facienda diuinæ locus recitaretur historiæ, in quo sanctè, casteque in hac hominum colluuione

viuentibus, fames illa, sitisque Iustitię tribuitur, quæ non terrenis epulis, sed cælestibus, non re aliqua mortali, atque caduca, sed veri perpetuique boni adeptione saturatur, atque restinguitur. Etenim cum tria sint omnino, quę ad absolutam cumulatamque Iustitiam requiruntur, eximius & flagrantissimus amor in Deum; peruigil in hominum salute curanda sollicitudo, & rigidior quædam in corporis afflictatione seueritas; ea Maiores nostri viri sanctissimi tanti semper fecerunt, quanti faciendum erat id, in quo totius pietatis summa continetur; tanto studio, atque ardore animi complexi sunt, vt ab illis nihil omnino discesserint. Ac diuinus quidem amor sic eorum mentes fæliciſsimas absorbuit; vt animo semper in Deum fixo, Angelis vix in eo diligendo concederent: de sempiternis autem reliquorum hominum bonis ita cogitarunt; vt nihilo segnius alienam, quàm propriam fœlicitatem concupiscerent: ita denique sua corpora discruciarunt; vt cum erga omnes, quamuis inimicos, essent faciles & humanissimi; in se tamen crudeles, & omnem humanitatem exuisse viderentur. Quod sane ego, dum hac dicendi suscepta prouincia cogitarem attentius, rem neque cuiquam ingratam, & cælestibus honorificam me facturum putaui, si breuiter ostenderem in sanctis Viris nullam omnino Iustitię partem desiderari potuisse. Ac primum quidem hic ego quum Iustitiam dico, intelligo genus omne sanctitatis, & quicquid augustissima Religio parenti rerum omnium Deo, siue priuatim, siue publicè defert; quicquid homo homini merito iusteque persoluit; quicquid ipse sibi homo, seu pars hominis nobilior ac superior, humiliori & inferiori, tamquam Adam Euæ pręcipit, ad pulcherrimarum virtutum ornamenta comparanda.

Quas omnes Iustitiæ partes sanctiſsimi quondam viri mirũ est, quam studiose coluerint. Quum enim intelligerent nullam esse corporis, nullam animi partem, nullam in visceribus fibram, nullum in toto capite vel tenuem capillum, cuius auctor ac Dominus non esset Deus, Deo tamquam legitimo Principi ita se suaque omnia deuouebant; nihil vt in illis fuerit non consecratum Deo; nihil quod sibi malus Dæmon vindicaret; sed vt erant omnia à Deo profecta, & ab eodem illis conseruata, ita vni Deo penitus omnia seruiebant. Atque vt Israelis Populus de Pharaonis tyranni- (Exod. 13.)

de

de profugiens, ad motum Nubis & igneæ Columnæ castra mouebat, figebatque tentoria; ita sanctissimi Viri illuc suis consilijs, & rectè factis ferebantur, quò diuinus illos spiritus impellebat: quippe qui minimis etiam in rebus, cælesti ducebantur imperio: ex quo procul dubio factum est, vt iustissimus ille Noe neque Arcam exædificauerit, nisi oraculi iussu: neque postea in eam ingressus sit, nisi præcipiente Deo: neque tandem ausus sit illam egredi, nisi euocante se numine. Nouerant videlicet Viri sanctissimi, lege olim à Deo lata, in sacrificijs, quæ holocausta nuncupabantur, non solum artus omnes, viscera, ac membra, sed iecur, & quæ illi iunguntur, caput etiam ipsum, ac pedes offerri, incendique oportuisse. Quod sane genus Hostiæ tradunt Deo fuisse odoris longe suauissimi. Quapropter, vt ipsi quoque se consimili plane ratione deuouerent, ita se Deo mactauerunt, vt sibi nihil omnino reseruarent; sed totos Hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem immolarent. Non illi duas in partes, vt ait Elias, claudicauerunt, vnum illi Deũ, vnum Dominum in cælo sursum, & in terra deorsum agnouerunt. Nihil potestatis Baalim, nihil Astaroth in illis habuit. Vespere, mane, & meridie, toto nempe vitæ decursu, Deo sacrificium laudis, & Altissimo sua vota reddiderunt. Illum timuerunt vt Iudicem, & scelerum vltorem. Illum vt Parentem, omniumque rerum Principem obseruarunt; Illum amauerunt vt redemptorem, qui genus humanum à peccatis lauerat in sanguine suo. Quamobrem nolite mirari fuisse quondam Potentissimos Reges, qui ante hanc Principis Apostolorum augustissimam Aram, Baltheum, gladium, Paludamentum, Aureas armillas, regium Diadema, sceptrumq. deponerent. Hæc inquã si quando legerimus laudare possumus, mirari non debemus. Qui enim animos Deo dederant, cur corpora non dederent? Qui Deo mentem consecrauerant, cur membra non immolarent. Qui sua viscera conciderant, cur vestimentis parcerent? Qui principatum, Imperijque gloriam studio Religionis contempserant; cur non etiam vana, atque inania dominatus insignia reijcerent? Atque hęc fuit Sanctorum Iustitiæ fames, sitis, hæc in Deum pietas & Religio, qua diuinæ gloriam, cultumque maiestatis appetebant. In reliquos porro mortales quales tandem fuerunt? Nullum fuit hominum genus

Gen. 6. & 7.

Leuit. c. 1.

3. Reg. 18.

tam

tam agreste, tam ferum, tam immane, tam barbarum, quod illi aut refugerint, aut non summa beneuolentia sint complexi. Nulla Regio tam inculta; nulla terrarum Pars, siue quæ ad Boream glacie obrigesceret, siue quæ ad Austrũ ardore Solis, æstuque deflagraret, ad quam illi non adierint, quam non excoluerint, & cælestis disciplinæ luce collustrarint. Quem sinum Oceani non transmiserunt? Quas Arenas & auias solitudines, serpentum potius quàm hominum domicilia, non peragrarunt? Quis Gothos & Vandalos, Pannonios, & Slauos, ex Aquilonis antris, & siluis, ferarum in modum, & feris ipsis tunc ferociores, ad Germaniæ, Italiæque fines cruentis mucronibus aduentantes, humanitate deliniuit, benignitate permulsit, pietate repressit, Religione domuit, sanctitate suauissimo Christi Domini Iugo subiecit? Neque modo dum viuerent sancti, dum incolumes essent, sed iam iam morituri, de hominum salute cogitabant. Quamobrem Dunstanus in Britannia, paulo antequam animam efflaret, tres vna die conciones ad Populum habuisse fertur. Et fortissimus ille Protomartyr, capite afflicto, contuso lapidibus, obrutoque corpore, tamen salutis hostium memor, Deum intermortuis vocibus precabatur. Ne statuas illis, inquit, hoc peccatum. Vere fælices illos & beatos, qui de sua gloria securi, de nostra calamitate solliciti erant: In portum sempiternæ quietis ingressuri, nos fluctibus & procellis iactatos miserabantur; mox cælesti concilio & Angelorum Choris fruituri, teterrimos dæmones à nobis & noctis æternæ caliginem depellebant. Hæc Sanctorum fames & sitis fuit; sic illi Iustitiam erga reliquos mortales coluerunt. Age vero qui tam cumulate officium alijs Iustitiæque partes omnes præstiterũt, num quid ipsi se neglexerunt, suaque remissius & languidius quàm aliena curarunt? Quamquam hoc ego non profiteor me explicaturum, quum ne ipsos quidem, qui res tantas tamque præclaras gesserunt, existimem, posse omnia dicendo, vel cogitando assequi, quæ toto vitæ spatio supra mortalium vires, & supra communem virtutem effecerunt. Quid enim Benedictus, quid Antonius, Dominicus, Franciscus, alijque complures, de se suique similibus dicent? Numquam profecto satis explicabunt, quanta in sanctissimis Viris fuerit rerum humanarum contemptio, gloriæ despicien-

Act. 7.

tia, honorum fuga, odium & deteſtatio voluptatum. Carnes non comediſſe, vinum non bibiſſe, panem non guſtaſſe, dactylis aut radicibus herbarum victitaſſe, hoc Ægyptiorum Patrum fuit vulgare ieiunium. Poſt multos vero dies aut etiam menſes, raro quicquam alimenti, præter Cæleſtis Agni diuinum Corpus ſumpſiſſe. Hominum ne fuit illa, an Angelorum vita? Dicant etiam nobis non modo cilicium, ſed thoracem ęreum; non aſperum funem, ſed ferream catenam; non nudos pedes, ſed calceos acutis clauis inſtructos, quibus plantæ confixæ lacerabantur. Hæc fames ſanctorum; hæc erga ſe Iuſtitiæ ſitis, quę cum illis ab ineunte pueritia; imo ab ipſis incunabulis, & matris aluo prodijt. Quis enim ignorat quoſdam prius Iuſtos, quàm in lucem ęditos; multis prius gratiæ lumen, quàm ſolis radios illuxiſſe; prius quoſdam cælum meritis, quàm terram pedibus attigiſſe; vt non immeritò ſuam ille fęlicitatęm ita commemorauerit: De ventre matris meæ, inquit, Deus meus es tu; & ille, Ab infantia mea, inquit, creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Quæ tandem huic par fęlicitas eſſe poteſt? Vix homines eſſe cœperant, & ſimiles Angelorum euaſerant. Vix in mundum prodierant, & in cælum vocabantur. Vix parua illis corpuſcula aptata fuerant, quum gratiæ veſtitu deaurato, & cæleſtium donorum varietate circundati, refulſerunt. Hæc profecto neque nos ingenio aſſequi, neque ipſimet Viri ſanctiſſimi pro dignitate verbis explicare poſſent. Quæ cum ita ſint, quis iam erit, qui non cupiat hos viros glorioſos, & Parentes noſtros imitari, horum inſtituto viuere, quorum animus ſitiebat, quaſi ceruus ad fontes aquarum, & properabat ad Deum fontem viuum: qui non dabant ſomnum oculis, neque palpebris ſuis dormitationem, donec inuenirent in corde locum Domino, & in mente ſua ſtatuerent Tabernaculum Iuſtitiæ Deo Iacob. Quamobrem iam ſaturantur, iam tranſiens miniſtrat illis magnus ille Paterfamilias: qui ſedens in monte prædixerat: Beati qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Iam ſitim reſtinguunt, iam famem pellunt, iam ad Agni nuptias admiſſi, comedunt in Regno Dei panem, quem hic appetiuerunt. O ſitim Iuſtitiæ, famemque omnibus delicijs anteponendam, quæ bonorum omnium ſatietatem promeruit! ò iucun-

Pſal. 21. *Iob 31.* *Luc. 12.* *Matth. 5.*

iucundissimos labores & cruciatus pro vera Iustitia susceptos, qui perennem quietem, & tranquillitatem attulerunt! O fęlices animas, quibus è regione vmbræ mortis eductis, verum Iustitiæ lumen affulsit, quibus nihil in hac vita, iusta & grata in Deum pietate antiquius, nihil pia, ac religiosa in omnes Iustitia charius, aut gratius vnquam fuit. Nos quoque vtinam exemplo hominum sanctissimorum, Deum timeamus vt Iudicem, obseruemus vt Parentem, diligamus
Iob 29. vt Redemptorem. Vtinam cum iustissimo Iob, oculus cæ-
Ioan. 10. co, & pes claudo simus, & cum Diuino illo Pastore, pro cõ-
1.Cor.9. missis fidei nostræ ouibus, animam ponamus. Denique cum Apostolo sic pugnemus, non vt ij qui verberant aerem, sed corpus animæ imperio, sensum & cupiditates omnes rationi subijciamus; vt his Iustitiæ pulcherrimis ornamentis instructi & cumulati, per Iustitiæ semitas, ad Iustorũ domicilium admissi, Iustitię bonis, & Beatissimorum iustorum consessu perfruamur. Amen.

ORATIO III.


BERRIMVM victorię fructum, cuius possessione cęlestes in patria fruuntur, anniuersaria celebratione recolimus: laboriosæ militiæ pondus eo leuius in mortali corpore toleraturi, quo sępius & liquidius sanctorum ciuium trophęa prouiderimus. Tantisper Imperatoris nostri & societate, & contemplatione priuati, animorum viuidos impetus alamus, certissima expectatione pręmiorum, eosdem certaminum exitus, Deo duce nobis pollicentes, quorum imitationem in miserę vitę spacio adamamus. Non auspicia, non ducem, non hostes, non signa, non arma mutauimus: Imperatore Christo, paternis auspicijs, diuino muniti pręsidio, vexillum crucis in humani generis sempiternos hostes inferimus: sicut igitur prępotens DEVS in sanctis suis tam sępe debellauit, similes victorias animo, si nos milites dissimiles haud pręstemus, multo ante pręcipiamus. Te vicarium in terris ducem sortiti sumus, Pater Beatissime, ceteros quos in purpura splendere video, quasi legatos ac

Tribunos

Tribunos veneramur, hoc ductu, his armis auxiliaribus, vt nihil non audendum, ita desperandum nihil. Palmam igitur nostram in alieno gaudio grata recordatione præmeditemur, vt eius notitia recreati pugnę difficultates alacriores euadamus. Etenim si contra intestinos, nec aspectabiles hostes fortiter depugnemus, nobis etiam Pæan ille canetur, quem hodie incredibili cum lætitia, vt est B. Bernardi sententia, cælestes vsurpant: Conuertere anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. His lætitię vocibus stellatæ personant regiones, & iucunda præteritorum memoria integerrimum sensum diuinæ condiunt voluptatis. Namque animus vinculis corporis exsolutus, impetu liberrimo fertur in originem boni, ad quam totis medullis, in membrorum carcere detentus anhelauerat. Haustu perpetuo, imis visceribus ducunt triplicem illum fontem ex vna vena diuinitatis, ex quo Dei domus vniuersa mentesq. cælestes affluentissimis voluptatum irrigationibus eluuntur. Natant videlicet in Oceano gaudiorum, & diuinitatis intuitu beati, delicijs affluunt, & accipiunt mensuram bonam & coagitatam. Non contemnenda nobis videtur iucunditas, quum de loco altiore subiecta oculis vrbium, terrarumque spatia metimur. Quantum est delectationis in vrbe felicitatis, quum Rectorem illum summum intuentur per immensa cęli, terręque interualla diffusum, ambientem omnia, inclusum omnibus, ab omni exclusum sede, & ita mundi vniuersitatem obeuntem, vt nulli termini definientem omnia circumscribant. Miraris inquit Bernardus, in sole splendorem, in flore pulchritudinem; in pane saporem, in terra fœcunditatem: sed à Deo hęc omnia ducta sunt, nec dubium, quin plus reseruauerit sibi, quàm dederit craturis. Quum igitur principium decoris omnis, ac pulchritudinis sese beatorum mentibus apertissime fruendum aperiat, & quicquid sparsim delectationis ex formosissimis, quibusque libatur, collectum exuberet in diuina natura, iure cælestes singulari gaudio delibuti lætissime concinunt: Conuertere anima mea in requiē tuam. Quid enim aliud re quietem afferre mentibus potest, & felicitatis ardentissimas cupiditates extinguere, quàm fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei? quàm fluuius viuentis aquæ, è Dei Agnique sede par argento deuolutus per media spatia diui-

B. Bernardus. *Psal. 114.* *Bernardus.* *Psal. 45.*

næ Hierusalem, cuius ripas vtrinque vitalis arbor connectit, duodenis onusta pomis: vt & pomorum suauitate ingenita beatitudinis tollatur fames, & crystallina liquoris puritate, cupiditatum ardores extinguantur. Hæc nimirum diuino perfusus lumine, cum animi voluptate præcinuit Hieremias: Tunc lætabitur virgo in choro, iuuenes & senes simul, & conuertam luctum eorum in gaudium, & lætificabo eos à dolore suo. Hanc terram voluptatibus redundantem Hieremiæ admodulatus Malachias enunciat: Beatos vos dicent omnes, dicit Dominus, quoniam eritis vos in terra voluptaria. Et quidem nihil beneficentiæ, nihil æquitati diuinę consentaneum magis, quàm vt miles per sudorem & vulnera, & militiæ labores innumerabiles, in suo voluptuario, vt ita dicam agello, qui sit curarum portus, ærumnarumque terminus, conquiescat. Hac beatissima & amœnitate & possessione delectantur cælestes vniuersi, neque temporum iniurijs obnoxij, neque corporum affectionibus ferui entes. Non timor mentem deprimit, non angit ægritudo, non inflammat cupiditas, non liquefacit lætitia futilis, frigoris euasere asperitates, calorum æstus immodicos, morborum contagiones, ærumnas, pericula, vastitates. Vna cura est viuax, æterna, sed cor suauissime vellicans, summum amare bonum, in id obtutum figere, hoc ardere, hoc in affluentia sitienter expetere. Et sicut chalybs camino iniectus ignem ita ebibit, vt pene suæ oblitus naturæ vestiat ignis alienam: vt aër solis candore penetrabilis, sic lucem imbuit, vti lux non tenuis natura sine fulgore natiuo videatur; ita mens beatorum suauissimis desiderijs ignescit, & luce diuinitatis illuminatur, adeò, vt penè & ipsa ignis consumens, & sol æternæ lucis possit appellari. Et hæc pro captu nostro summa voluptatis est, quam Deus ipse vberrimè suæ familiæ diuidit æterna perennitate: quantæ sunt illæ quas huic tanquam appendiculam adnexuit, quæ per ipsum DEVM è sanctorum Societate ducuntur. Suspicimus in cælum, inquit Chrysostomus, & faces illas purissimum fundentes lumen intuentes, inexplebili iucunditate perfundimur: modo disparem illorum magnitudinem, modo status, conuersiones & progressus, & coniunctiones admirati. At quid tandem stellæ sunt, nisi corpus inanime, lucidum, in materia gemmea seminatum?

Hier. 31. Malach. 3. Chrysost.

igitur

igitur quanta vis gaudij futura est in contemplatione non sydérum, sed mentium beatarum, præ quarum splendore hebes solis lumen in ipso meridie noctem, non lucem spargere videretur? Quid dicam de ordine noueno alatæ militiæ? quid de multiplici classe mortalium, quos virtus illatos cælo reddidit immortales? quid de integerrima cælestium Augusta? cuius ego conspectum quantalibet præter vnum Deum, proposita mercede, non paciscerer. Suspicamur tamen hæc ingentia bona, non assequimur intelligentia: &, si Augustino, cuius ingenio nihil maius natura parens extulit, cum hac de re scribere pararet, diuinitus intonuit, Augustine, Augustine, insanos Oceani tractus potius includas vasculi angustijs; quid mihi, quid cæteris spei possit esse, dum peregrinamur à Domino, dum adhuc sub signis in militia longe à patria distinemur? Hoc interim Pater beatissime, sit solatium desiderio, sit fomentum dolori: Has opes, has diuitias, has voluptates, quas adumbraui, venales esse labore, si credimus Gregorio. Qui socij sunt hodie æternæ lætitiæ, commilitones fuerunt in bello, & per egestatis, & tolerantiæ gradus octonos, quos de sacris literis audiuimus, euaserunt in cælum. Et nos cum nitimur ad id fastigium, vt appareat Princeps pastorum, speremus, vt habet S. Paulus, percepturos immarcescibilem gloriæ coronam. *August.* *Gregor.*

ORATIO IV.



ETERIS, grauisque controuersiæ B.P. quæ de summo bono fuit inter sapientes viros, finem hodiernus dies attulit; idemque initium de patientia, & de paupertate Christiana rectè sentiendi. Apertum est enim iter ad gloriam, atque beatam vitam, quod alij cœno voluptatis inquinauerant, alij diuitiarum difficultatibus intercluserant; & certa felicitatis potiundæ ratio demonstrata est, vt quisque vel iniuriam non propulsando honestus, & nihil habendo beatus esse possit. Decretum est enim mortalium commen

tis diuina auctoritate conuulsis, in contumelia gloriam, in paupertate felicitatem, beatam vitam in vitæ miserijs sitam esse. Itaque quæ duo inter se quodam penè naturæ odio dissidebant, cum ignominia gloria, cum beatitate miseria, ea Christo auctore, maxima omnium lætitia in eandem societatem consensere. Ergo Iudeæ montes, ex quorum iugis beatitudinis sunt facta diuortia, hodierno die arietum instar exultant, lætoque nuntio personant: saxa ipsa concionantis Christi voci respondent, beatam paupertatē, beatas lacrymas, beatas esse calamitates. Et vero quis tam stultus, amensque fuisset, qui spretis honoribus atque diuitijs ignominiam, & paupertatem tanto studio concupisset, tanta alacritate suscepisset, nisi fuisset honestior ac beatior in ignominia, & paupertate, quàm in honoribus, atque diuitijs? In illa sanè aurea ætate nascentis Ecclesiæ, quæ tantam fudit Martyrum copiam, exultabant rerum cælestium amatores se pro Christo contumelijs affectos, & ignominijs omnibus appetitos gloriabantur. Quid enim persequar hoc loco viros pulcherrimi facti laude clarissimos? quid honestissimas fœminas? quid pueros, & virgines? Conspirauerat in eam gloriam virtus genere clarior, sexu maior, ætate fortior, ad præclaram Christiani nominis confessionem, odio humani generis, non scelere gentis, sed furore temporum exardescentem, certatim currebant viri nobilitate principes, diuitijs affluentes, maximis honoribus, & imperijs ornati, omni doctrinæ genere, & sapientia rectè instituti. Quod à Romulo in tām longa serie triumphorum Roma non viderat, ea primum tempestate vidit, & admirata est, mulieres triumphales à colu, & lana arcessitas ad triumphum. atque ex ipso matris amplexu se proripiebat ad gladios ætas illa simplex, victima sine labe, & dolo, à parentibus edocta felicitatem pœnarum. Et vero præclarum erat spectaculum videre teneram illam, & exorientem Rempub. non singulis militibus, aut turmis, sed totis simul castris tanto animorum ardore prodeuntem ad certamen: conflatasque legiones ex flore humani generis perinde ad mortem atque ad immortalitatem festinantes. Sæpè vel deerat multitudini carnifex, atque supplicium: vel sola virginum, & puerorum alacritas terrori erat Tyrāno. Tam magna vis hominum ex omni ordine, genere, sexu, ætate, tanta

tanta contentione conuolasset ad tribunalia, & vitam per summum dedecus amisisset, nisi gloriosum fuisset Christi caussa cum dedecore mori? infamauit ignominiæ malum natura, effecitque pudore, ac timore duabus quasi pestibus obiectis detestabile. Itaque malefici, & scelerati fugiunt lucem, & hominum conspectum, metuunt deprehensi, accusati, cruciatique negant, damnati, mœrore luctuque conficiuntur. Viro Christiano quid simile? lætabatur comprehensus, accusatus non defendebat iniuriam, interrogatus vltro confitebatur, damnatus gratias agebat. Et appellabimus ignominiam, cuius fuit delatio votum, pœna felicitas? quæ sine pudore suscipiebatur, sine timore expectabatur? Quis enim ad iudicem quæsitus, carnifici se sponte non obtulit? adductus ad tribunal, erubuit quæstionem? damnatus ad mortem, non sollicitauit militem, non salutauit patibulum, non osculatus est secures, carnificem non est amplexatus? Quem vnquam puduit seruitij instar, aut scelerati latronis cædi virgis & fustibus, in crucem tolli, bestijs obijci? quis non est sibi visus honestissimus & beatissimus, spoliatus fortunis, eiectus è patria, compunctus notis, vinctus ferro, in ergastulis, lapicidinis, metallis? Solemne, ac pene legitimum fuit non modo viris, sed mulieribus inter leones, inter accensos rogos, inter districtos mucrones, & truculentos carnificum vultus inclamare se beatos; sibi esse feras pro epulis, ignem pro rosa, pro corona gladium, pro triumpho carnificem. quid hic inflammati scelere tyranni? insanire, excogitare nouam carnificinam, excitare ab inferis nouos scelerum architectos. quid factum tandem? quid existimatis? cognitum est Christianam patientiam esse omni supplicio & immanitate maiorem. Erat enim martyr in tolerando fortior, quàm tyrannus in excarnificando crudelior. Illi cum ignominia, nouoque cruciatu, nouus addebatur triumphus, atque lætitia: huic dolor, & furor. O spectaculum non minus luctuosum, quàm gloriosum! martyr de tyranni crudelitate gaudebat, tyrannus de gaudio martyris torquebatur. Nescires vter esset in ea quæstione reus, vter carnifex: plus enim tyrannus alacritate martyris, quàm martyr tyranni feritate cruciabatur. Itaque furebat in sella tyrannus, martyr in cruciatu cantabat, rarus exaudiebatur gemitus, isque quum finem igno-

miniæ carnifex dabat, non corona: quum tyrannus in mansuetudine crudelior inijciebat supplicio moram: quæ cælum differret, ac triumphum in discrimen adduceret. Enimuero honestum vitæ exitum facit caussa mortis, non genus; innocentia, non supplicium. Obitum viri Christiani non ornat pompa funeris, & moles insanæ sepulchrorum, sed vitæ integritas atque religio. Et dubitabimus ignominiam viris sapientibus fuisse materiam gaudij, gloriæ campum? Cæterum, vt tyrannorum nimbus ille detonuit in vrbibus, subito in siluis coortus alter intonuit: defuere quidem immanissimi Nerones, Domitiani, Decij, Diocletiani, nefaria monstra humani generis: sed tyranni non defuere, suos etiam pietas inuenit tyrannos, suos excogitauit cruciatus. Excitata est à viris rerum humanarum contemptoribus noua in se ipsos tempestas, nouumque martyrij genus, in quo idem tyrannus, ac martyr, esset pro gladio patientia, amor pro carnifice. Fuit illa quidem pia crudelitas, sed priore diuturnior, & maior.

Vidisses non custodias martyrum, sed anachoretarum plena cœnobia: non campos humano sanguine purpurascentes, sed vastas regiones, sanctissimis Monachorum choris & laudibus personantes, mutæ ipsæ solitudines mirabantur insolentiam illam coloniarum inter feras & nemora, inter niues & frigora, & homines rursum ex vrbibus deductos in montes, & in agris dispersos inter bestias. Obstupescebant pauperes colonos, indutos pellibus, lugentes in speluncis, præ ieiunitate contabescentes: in ijs tamen ærumnis naturæ triumphatores, ac beatos, ex cinere, & cilicio ad cælum, & immortalitatem conuolantes. Quantum distat humana stultitia à diuina sapientia. Eos vulgus beatos ac florentes putat, qui habitant in ebore & auro, bibunt in gemma, in purpura dormiunt. At Christus beatos prædicat pauperes, & qui calcatis gemmis, triumphato auro in lacrymis & squalore versantur. Vter vero beatus, qui in opibus, an qui in paupertate gloriatur? Conferte vitam cum vita, beatitudinem cum beatitudine. Expallescit diues in eadem gemma, qua bibit, vigilat in culcitra plumea, & in purpureo stragulo cruciatur: pertimescit auro, argentoque circumuallatus; nec cibus, nec somnus illi securus, metus animi carnifex, & peccati recordatio continuus con-

ſcientiæ vulturius funeſtant omnia. quanto felicior paupertatis ſtatus, quanto maioribus bonis affluentior, quæ mentis tranquillitas ſubminiſtrat! ſuauis illi victus ex oluſculis, & puro fonte: diues veſtis ex arborum frondibus, ex animantium pellibus: quietus ſomnus ſuper nuda humo; ſuper frigido ſaxo, iucunda viſa, plenæ voluptatis vigiliæ, rerum cœleſtium pulcherrimæ contemplationes. Deſinite mirari, quum auditis tot Reges, & Imperatores opulentiſſimis Regnis, Imperijſque poſthabitis, cum ſiluis vrbes, cum ſolitudine frequentiam, delicias cum aſperitate vitæ, cum ſeruitio dominatum, cum famulatu ſceptra, cum ſacco purpuram commutaſſe: eam enim paupertatis felicitatem intellexerunt, vt regnis, imperijſque redimendam putarent. Illa inflammatos cenſeo Theodoſios, Michaeles, Iſaacios, Emmanueles, Ioannes ex Orientis Imperatoribus; ex Occidentis vero Lotharios, & Vgones, illa Reges Italiæ Rachiſium & Pipinum: Hiſpaniæ Bambam, Veremundum Caſtellæ, Ramirum Aragoniæ, Carolum Germaniæ, Bulgarorum Trebellium, Henricum Cypri, Armeniæ Ioannem, & feracioris Angliæ, Sigebertum, Eltheredum, Chenredum, Offam, Inam, & Ceolulſum: illa infinitos alios minorum gentium principes, qui ſceptris, & maximis opibus paupertatem prætulere. Ergo dedit illis eam felicitatem paupertas, eaſque voluptates, quas Regnorum luxuries, & imperiorum opulentia non dedit. O beatiſſimam illam terram, in qua triumphat ignominia, ridet luctus, regnat paupertas! Quid dicerent ſuperbi illi Romani Cæſares, & exterarum gentium Imperatores, ac Reges, qui hoc mundi punctum ferro, & ſanguine ſibi diuiſerunt; vt nominis gloriam, & felicitatem conſequerentur. Quid dicerent, ſi æternis ſe ſupplicijs, & ignominijs addictos, illos vero quos tanquam luce, & ſpiritu indignos crudeliſſime mactauerunt, quos egentes, atque pannoſos deriſerunt, intuerentur lacero, nudoq. veſtigio calcantes ſtellarum globos, & Solem ſplendore obſcurantes? Quis eſſet eorum animi ſenſus? quis ſtupor & furor, videre pauperes coronatos, trabeatoſque Regum inſtar? contemplari coronam illam, & purpuram contextam ex innocentia vitæ, diſtinctam meritis, illuminatam ſplendore gloriæ, pictam immortalitate recte factorum? Vtinam nobis tam beatum Regnum

bonis

bonis omnibus circumfluens inuideat noster hostis, non adimat. Nunc ad vos mea se conuertit oratio, triumphantes cælitum turmæ, ducesque fortissimi. Felices qui Regnum gloria diuitijsque florentissimum, ignominia vobis & paupertate peperistis. Gratulamur vobis hodierno die, gloriam, & felicitatem vestram, & opem supplices imploramus. Vos ô Christiani nominis satores, ac præsides. Vos qui hanc Romani Sacerdotij molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulistis, obtestamur, atque obsecramus: Custodite, & seruate hanc Vrbem, arcem fidei, templum sanctitatis: corroborate purpuratorum Principum ceruices, quæ terrarum Orbi fortiter sustinendo sufficiant: protegite omnes prouincias, quas Barbarorum furor aut armis oppugnat, aut scelere: auertite mala & calamitates bonis omnibus impendentes: vt Ecclesia suis ducibus, ac triumphis cælum ornauit, sic Ecclesiam suis præsidijs cælum tueatur. Præclare vero facis B.P. qui tanto robore animi Christianæ Reip. calamitates his temporibus sustines: plane enim ostendis, quid de gloria sentias, & Ecclesię felicitate, eam gloriari in ęrumnis, esse beatam in procellis. Vexet improbissimus hostis Ecclesiam aut ferro, aut lingua: gloriam istam nunquam eripiet, felicitatem nunquam labefactabit. Confirmabit magis & magis: nam ferro semper, & sanguine creuit Ecclesia; artibus, atque præsidijs quibus ea disseminata, & propagata est, ijs in omnibus regnis, prouincijs, populis, vrbibus, dum mundus extabit, Ecclesia conseruabitur.

ORATIO V.



VOD vnum Christi æterni Regis immortalibus victorijs ac triumphis, quod sanctissimorum hominum precibus, votisque terrarum, quod cælestium ciuium gloriæ, quod virtuti deberi, quod ossibus cinerique videbatur, vt expulsis vanitatis erroribus, superstitionum impietate sublata, nefarij Deorum commentitiorum cultus, funesta sacrificia, incestę cerimoniæ, sacri-

legi ritus exterminarentur; hac tandem Sanctorum omnium memoria, sacra & solemni die, Romanorum Pontificum singulari pietate, incredibili gentium omnium lætitia, immortali Dei beneficentia, tributum est: non vt regnum impietatis, euulsis erroribus euerteretur: (hoc enim iam multo ante fuerat Christi virtute perfectum) sed vt omnes illius turpitudinis reliquię delerentur, atque ipsa etiam memoria, euersis monumentis, deletis vestigijs, maculis expiatis, extingueretur, obliuionis tenebris oppressa sempiternis.

Et quidem Christi imperio multo ante constituto, sincera & incorrupta religio, sedem imperij & domicilium dignitatis in ea vrbe, quæ victis gentibus dominaretur, inuictis hostibus collocauerat: vt quæ antea impietatis atque erroris fuisset, eadem & parens sanctitatis esset, & veritatis magistra.

Commutata erat Vrbis species, & Roma seipsa augustior, maiestatem iam sacrosancti Imperij, relictis Capitolij prophanis arcibus, in Vaticanum Cæliumque transcripserat. Deorum fana aut superstitionis odio disiecta, aut vetustate labefacta, aut sanctioribus dominis dedicata. Omnia Vrbis loca, aut Sanctorum extructa Basilicis, aut decora victorijs, aut illustria monumentis. Orbis denique vniuersus Christi imperium, Roma templum augustissimum aut sanctius quoddam in hoc amplissimo templo vniuersitatis sacrarium videbatur.

Tamen nondum expiata Panthei impuritate, nescio quomodo si minus relicta, certe non penitus extincta superstitionis macula videbatur, dum ex illius infamis cloacæ latebris nebula quædam obscuritatis exorta, si non huius cæli serenitatem vel obtenderet, vel inficeret, at minueret certe, eiusque salubritatem quasi sentinæ odore pollueret.

Verum decreto solemni hoc, & Sanctorum omnium gloria illustri die, dedicatis illis sanctissimis adytis, expiata vetustatis turpitudine, & scelerum maculis abolitis, caducæ illæ atque inanes superstitionis nebulæ, quasi clarissimi Solis exortu depulsæ recesserunt: cælum ipsum, superiorum tenebrarum caligine detersa, hodiernæ lucis pulchritudinem tot solibus, totq. siderum splendore illuminat, quot illa sanctorum Virorum triumphis victorijsq. decorata est.

Et quidem ad victoriæ magnitudinem posteris prodendam sæculis, æquum fuerat (quod victis etiam bello populis fieri ac ciuitatibus solet) vt alia Dæmonum fana diruerentur ad ignominiam, alia reseruarentur ad memoriam, alia in vsus etiam sordidiores in stabula, haras, aut si quid abiectius est, ad ludibrium conuerterentur. Hoc vero commune omnium latibulum nec desertum esse oportuit, ob superstitionis metum, nec exscindendum fuit, ne nobilissimæ Ciuitati, si hic illi quasi oculus alter erueretur, multum de dignitate & magnificentia decedere videretur. Nec tamen alijs dominis fuit, quam illis ipsis victoribus adiudicandum; vt ijs potissimum seruiret, quos qui ex eo expulsi essent, propter eorum egregiam sanctitatem semper crudelissime odissent.

Ergo hoc ad gloriæ cumulum pertinere videbatur, vt qui in cælo immortalibus ornamentis & præmijs redundarent, hanc præterea voluptatem ex hostibus suis caperent, si non solum victoriarum suarum recordatione fruerentur; sed in illis etiam ipsis sedibus victorum hostium habitarent: vt quoties sacrum limen illud aspicerent, toties lætitia præteritorum renouaretur, & cresceret triumphorum.

Quamuis enim plurimum ad animi fructum rerum præclare gestarum recordatio valeat, viuit tamen in monumentis ac trophæis hostium, præteritæ victoriæ gloria, illamque ipsam hostis humilitatem victi perpetuo præsentem oculis obijciunt, nec triumphi breuitatem labi, vel fluere patiuntur, sed eam efficiunt vsu perpetuæ semperque præsentis lætitiæ immortalem.

In qua igitur Vrbe hoc tam illustre monumentum constitui oportuit, nisi in ea vnde quasi ex theatro vniuersitatis in omnes exteras gentes atque nationes laudis & gloriæ voces, approbationes, plausus, significationesque referentur? Quæ quum antea quoque princeps esset ac domina terrarum, dedicato tam illustri domicilio, quod etiam coronæ formam imitatur, quasi diademate atque imperij insignibus, tot illigatis insertisque sideribus exornata est.


Vicistis egregie viri Beatissimi, reliquum est, vt qui impurissimos hostes de antiquissima loci possessione deiecistis, eos in sortem Domini debacchantes comprimatis. Scitis quibus Ecclesia Christi bellis prematur, quibus machinis

chinis appetatur, quibus insidijs circunueniatur, quibus hostibus obsideatur : & multo hæc etiam illustrius in gloriæ vestræ luce conspicitis, quàm quum nobiscum in huius vitæ tenebris, pro illius incolumitate dimicabatis! sanctissimæ religionis vel tyrannide oppressæ, vel errore pollutæ, omnis ille prope splendor, quem quondam vidistis, extinctus est. Clades nostras orbis terrarum testatur, atque ostentat notissimarum reliquijs ac vestigijs ruinarum : omnis denique ille prope pristinus gloriæ exustus repressusque flos, siti veteris fœcunditatis exaruit.

Audite igitur ò sanctissimi Cælites, audite gentium omnium, audite huius sacri consessus, audite Pontificis Opt. & Maximi plena æquitatis, plena pietatis & doloris vota, qui in tantis rerum fluctibus vna vestra pietatis fiducia ad spem restituendæ pacis, & tranquillitatis nititur. Nunc tempus est vt experiatur, quantum apud Opificem omnium & gubernatorem Deum, cui semper fuistis charissimi, gratia valeatis. Multum quidem huius precibus lacrymisque debetur, multum quoque iam tributum est, speramus etiam in dies meliora.

Opitulamini igitur ei, qui omnem spem amplificandæ Christianæ dignitatis, in vestra secundum Deum misericordia habet, beneficentiaque repositam. Adeste ope, præsidio, consilio, precibus. Facite vt qui Christianam Remp. tranquilliorem multo quàm superioribus fuerit temporibus reddidit, etiam breui videat in terris, vbi militat, deuictis hostibus tuumphantem.





DOMINICA PRIMA ADVENTVS.



ORATIO PRIMA.



VOD olim in Areopago Atheniensium instituto, Pater Beatissime, oratoribus prænunciabatur, vt sine procemijs vel epilogis causas perorarent, illud mihi hodierna die voce muta imperari videtur. Huius enim grauissimi consessus maiestas & celsitudo, sacrati temporis religiosa solemnitas, natura causæ de qua futurus est sermo, accendunt satis ac inflammant. De vltima humanarum rerum vicissitudine disserendum est, qua tandem mortalium indefessis curis apponetur finis, & desideriorum nostrorum rota, perenni agitatione animos crucians ac dilacerans, validissima Dei dextera firmabitur, & conquiescet. Delitiosi tunc & delicati luxus accuratissime præmeditati subuertentur, subdoli & fraudulenti latentes laquei, & telæ subtilissimæ ante solem istum reuelabuntur, & disrumpentur simul. Hos intuens in illo

Isai. 19. tremendo die Isaias, aiebat: Mærebunt piscatores, lugebunt mittentes in flumen hamum, confundentur, qui operabantur linum, plectentes, & texentes subtilia. Ad illos

Isai. 24. autem reuersus veluti subridens, aiebat: Cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ cum cantico, non bibent vinum: attrita est ciuitas vanitatis. Qui habet aures audiendi audiat. Consultius sane nobis esset, qui in ista scena futuri sumus rei, iuxta magni Gregorij sententiam, iudicia Domini metuenda, formi-

formidoloſo ſilentio venerari, quàm ſermonis apparatu illa recolere. At laudabili conſuetudini morem gerendo, pauide ac religioſe rem aggrediamur. Rationem primo perquiram, qua ductus ſupremus omnium conditor, ſolas ſub ſole filiorum Adam cauſas decreuerit publice examinare, & ſub iudiciaria forma diſcutere ac diffinire. Secundo attingam breuiter, qualis & quantus futurus ſit iudex.


Humanæ naturæ dignitas, diuinus honor & gloria concordi ſuffragio protulerunt, immo & vnanimiter poſtularunt: Iudicetur homo ad tribunal iudicis, aſtet ſui ſuorumque omnium rationem redditurus. Cur ita? ille enim ſolus inter animantia cuncta pleno gaudet dominio, tanta voluntatis libertate pollens, vt neque ab auctore ſuo cogi queat. Sed obijcies, nonne cor regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud? Vertet quidem efficaciſſimo impulſu, ſed ſuaui: validiſſimo, ſed dulci. Attingit enim suprema ſapientia à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: id eſt, illi reſeruatur tanto fœdere fortitudinem, & ſuauitatem coniungere, vt nec ſuauitas atenuet fortitudinem, nec fortitudo inficiat ſuauitatem. Acute ſatis Bernardus: Attingis Domine cuncta fortiter & ſuauiter: fortiter pro te, voluntati enim tuæ quis reſiſtet? ſuauiter pro me, libertatem enim meam quis diſſoluet? O grandis naturæ dignitas, præclarum & ſublime humanæ conditionis priuilegium! Tibi ò homo conceſſum eſt ad Dei imitationem modo hoc, modo illud operari, non cæco naturæ impetu, ſed præuia conſultatione ac electione ſpontanea. Merito ergo tibi adaptatur tribunal, te expectant præmia, vel ſupplicia, te alicient coronæ, vel ignominiæ deterrebunt. Exurge Deus non confortetur homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo: conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos (clamabat Regius propheta) vt ſciant gentes quoniam homines ſunt: ac ſi diceret, ſi legiſlatoris ſeueritas humanos actus non diſcutiat, ignorabunt gentes quidnam ſit, homines eſſe: vel enim propriam excellentiam obliuioni tradentes, iumentorum mores ſectabuntur, vel plùs æquo illam extollentes, diuinos honores affectabunt.

Sap. 8.

Pſal. 9.

Quod autem diuinus honor iudicium hoc efflagitet, clare Propheta teſtatur, dicens: Honor regis iudicium diligit. Pſal. 98.

Idque



Idque sic ostendo: mundus iste palatium regale est & domus regia, illi persimilis, quam olim rex pacificus construxit pro dulci otio captando. Cælorum enim Dominus, hominum amore deuictus de suo stellato solio descendens siluas & nemora nostra non abhorruit: immo intra ferarum latibula domicilium sibi parari voluit, ingenue pro-
Prou. 8. testans: Delitiæ meæ, esse cum filijs hominum. Mirabile diuini amoris argumentum, quod cælum ipsum in stuporem
Apoc. 21. adduxit. Et audiui vocem magnam de cælo dicentem, aiebat Ioannes, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Si igitur domus est regia, reueletur aliquando huius domus venustas, appareat regis æquitas & rectitudo, segregentur fatuæ à prudentibus virginibus, permundetur area, ne tamdiu palearum leuitas frumenti soliditatem occultet, euellantur zizania, quæ bonum suffocant
Psal. 73. semen, pereant impij, puniantur scelerati. Exurge Domine iudica causam tuam, tua res agitur, honori tuo consulito: alias ineptus quisque, vel de sapientia tua dubius per-
Psal. 72. contabitur, Si est scientia in excelso: vel tuæ iniurius pro-
Iob 22. uidentiæ asseuerabit, Circa cardines cæli perambulat, nec
Malac. 3. nostra considerat: vel virtuti detrahens, & iustis insultans, illud Malachiæ impudenter proferet: Vanus est, qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius? Beatos dicemus arrogantes, si quidem ædificati sunt facientes impietatem, tentauerunt Deum & salui facti sunt. O vere vtilissimam gehennæ pœnam, qua scelerum obliquitas quoquo pacto ad ordinem reducitur: ò pulchram, & decoram pyram, qua supremi regis iniuria castigatur, ò certe necessariam creaturam, quæ si post culpam deesset & imperfecta familia, & familiæ pater improuidus censeretur. Sed iam vlterius progrediamur. quando hæc erunt? & quod signum consummationis sæculi? Antiqua satis & peruetusta petitio, sed hucusque nec ipsis An-
Mar. 13. gelis concessa, De die illo nemo scit neque Angeli in cælo, neque Filius hominis, sed solus Pater. Dimittam ergo fabulosa & friuola, quæ ante veritatis hanc sacram Sedem proferre non licet: neque enim vt Basilius dixit, mentis nostræ germina tradere cupimus, ne humana commenta mysteria nostræ religionis appareant, sed quæ a patribus accepimus, ea annunciamus. Inopinatus adueniet dies ille

sicut

ſicut fur, occultus ſicut laqueus, ſubitus ſicut fulgur. At ſi ex ſignis coniectandum eſt, calamitoſum diem illum non procul diſtare, quod vehementius vrget ac premit, eſt execrabilis & inaudita quædam bonorum cæleſtium obliuio, terrenorum vigilantiſſima cura, & perditiſſimus amor. Sicut factum eſt in diebus Loth, dixit ſumma Veritas: Edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant: qua die autem exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & ſulfur, & omnes perdidit: ſecundum hæc erit, qua die Dominus reuelabitur. Edebant & bibebant olim homines, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant. Sed debito vſui, & neceſſitati ſeruientes: qualiter autem noſtris temporibus carni indulgeamus, immo qualiter luxus, & voluptas colatur & adoretur, proponat gentium Doctor orbis & Vrbis vnicum ornamentum: Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum deus venter eſt, qui terrena ſapiunt: ideſt, terrena non ſegniter, non obiter, nec moleſte pertractant, ſed exactiſſime, inceſſanter, iucundiſſime: qui de terrenis ſubtiliſſime philoſophantur, qui tandem terrena vſque ad vltimum pertractare contendunt: non vulgo nota placent iam gaudia, non vſu plebeio trita voluptas, non placent ſuetæ dapes, non tecta, non vilis cibus. Denique Socraticum illud ſed praua mente receptiſſimum eſt, Quæ ſunt ſupra nos, nihil ad nos. Quid ergo ſupereſt? Tempus faciendi Domine, diſſipauerunt legem tuam.

Matth. 24. *Luca 17.* *Phil. 3.* *Pſal. 118.*

Tunc videbunt Filium hominis] Iudex nobis præſcribitur, quem velle refugere ſumma eſt inſania, nec enim ab oriente nec ab occidente patebit fuga, quoniam Deus iudex eſt: nec illum recuſare licet, quia homo, caro enim & frater noſter eſt. Quis recuſabit iudicem, quem redemptorem fatetur? Quis illius ſuſpectam habebit amicitiam, qui ſanguine, & vita eam obſignauit. Quis illius renuet tribunal, qui pro victoria rei profanum tribunal ſubire voluit? Deſcendet itaque potentiſſimus iudex Angelorum millibus circumuallatus, in nube lucida, veluti triumphali curru euectus, ſigno crucis deſuper irradiante, tamquam totius triumphi regali vexillo, collocabuntur throni, ſedes apponentur, aperientur libri, ſilentium indicetur: Terra

Pſal. 74.

enim

enim tremuit & quieuit cū exurgeret in iudicio Deus. Quāta maiestas, quāta venustas, quanta seueritas ibi erit? Deorsum astabit impiorum turba millies infeliciter nata, dæmonum agminibus obsessa, iam in fasciculos distributa, parati
Isai. 13. in cibū ignis inextinguibilis: torsiones & dolores tenebūt, Isaia teste, quasi parturiens dolebunt, vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ, vultus eorum lacrymabiliter montes deprecabuntur, Operite nos: nec audientur, interpellabunt mortem, & fugiet ab eis: Conuertimini filij mendaces, intuemini illum, cuius vultum desi-
Mal. 3. derabat olim vniuersa terra. Sed quis stabit ad videndum eum? non iam mitis & mutus agnus, sed leo sæuissimus & rugiens, non iam brachia extensa amplexus vltro gratisque offerentia, sed in vindictam erecta vibrabunt lanceam, pietatis vulnera, antiqua miserorū refugia præclusa erunt, non iam cordis spatiosa & speciosa fenestra amoris industria elaborata amabiles, sed vltrices & hostiles flammas emittet. De pijssima dextera olim plena diuitijs, & gloria
Psal. 74. dicetur: Iustitia plena est dextera tua. & tandem labia il-
Cant. 4. la, quæ fauus erant distillans, iram longo temporum decursu thesaurizatam effundent clamando: Ite maledicti in
Cant. 6. ignem æternum, ite. Cessauit vox suauis toties repetita. Reuertere, reuertere Sunamitis. Vocaui enim & renuistis, ite ergo ite. Tu Domine via es, veritas, & vita, quo ibunt si a te recedunt? In ignem æternum. Quis poterit habita-
Isai. 33. re cum igne deuorante? Quis habitabit cum ardoribus sempiternis? Quis in illo flammarum pelago poterit cum ignibus perpetuo colluctari? Sed age obsecro pietatis origo, miserationum fons, totius consolationis pater, qua saltim benedictione suffultus infelix filius, à paterna domo repulsus intra flammarum globos reijcitur? Ite ait maledicti. O verbum asperum, o acerbum nuncium, o maledictio omnium maledictionum silua! Congregabo, dixe-
Deut. 32. rat Dominus, super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. ac si diceret, sicut pro mei gregis sorte felicissima, benedictione vnica, bonorum omnium cumulum superefluentem conficiam; ita pro impiorum sorte vndequaque detestabili, maledictione vnica cunctorum malorum congregabo congeriem. Sagittas meas complebo in eis. Sagitta vna olim vniuersum orbem, diluuio perdidit, sagitta alia

Sodo-

Sodomam & finitimas ciuitates dissipauit, telo vnico totius Ægypti insolentiam depressit, at in illo die contra impium exinaniturum se vltionum suarum pharetram promittit. Sagittas meas complebo in eis, lanceis meis impium traijciam, gladijs meis eum transuerberabo, vniuersis illum sagittis feriam, pharetra mea veluti exhausta, & vacua relinquetur. Quis tam ferreus, qui ad vocem huius tonitrui obsurdescat? Quæ ratio sic adeo sepulta, quæ huius supplicij stupore non excitetur? Tempus habemus, vita manet, facultas suppetit, iudex sustinet, assidue vocat, veniam promittit: occurramus omnes, præteruolat enim cum vitæ momento æterni lucri non contemnenda oportunitas. Quod fiet si præstante Domino, consilium illud Bernardi mente & opere teneamus: Ante horrificum illud tribunal assistere curemus, vt iudicati, non vt iudicandi.

ORATIO II.



O tandem vilis ac misera hominum conditio euasit B. P. vt cum S. Christi Ecclesia miserationum Domini haudquaquã immemor, magnum illud pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, annua commemoratione celebrandum diuino aflata spiritu institueret, non prius filijs suis pientissima Dei Saluatoris nostri viscera aperire visa fuerit, quàm formidabilem eis diuini iudicij seueritatem ob oculos poneret: vt vel ipsa terribilis iudicij expectatione correpti, suauissima Dei misericordia, longanimique benignitate minime abuterentur. Neque prius vnigenitum Dei Filium paruulum nobis datum inter duo animantia vili reclinatum præsepio ausa fuerit ostendere, quàm lucidissimo Angelorum agmine comitatum in maiestate & potestate magna, seuerissimum iudicem venturũ prædiceret, horribiliaque aduentus eius in Sole, Luna, & Stellis signa prænuntiaret; ne ipsa magni Principis occultata potentia

ſeruilem formam puſillo in corpore abſque vllo dignitatis ſplendore, humanis conſpectibus exhibitam, cœci & ſtulti homines forſan contemnerent. Præpoſterus quidem ordo, ſed ob viliſſimum hominum genus neceſſario commutandus. Quare Patres Ampliſſ. in hac prima ſacri Aduentus Dominica de ſecundo Chriſti aduentu ad iudicandum verba faciam & quàm potero breuiſſimè: ſed quis poterit cogitare diem aduentus eius? aut quis ſtabit ad videndum eum? ſola terribilis huius diei præſenſione perterriti obſtupeſcent cæli, columnæ cælorum contremiſcent, cæleſtes virtutes conturbatæ mouebuntur, obſcurabitur Sol, tenebreſcet Luna, Stellæ è cælo cadent, & miſeri homines præ timore & terribilium malorum expectatione areſcentes, demiſſo in terram vultu, ad æneum iratumque cælum trepidanti voce, flebilique vlulatu clamabunt. Sed quæ obſecro, tanti erit timoris cauſa? quæve in orbe toto tam indicibilis conturbationis occaſio? Tunc videbunt, ſacri inquiūt Euangeliſtæ, Filium hominis, venientem in poteſtate & maieſtate magna, & plangent omnes tribus terræ. Mira ſane res, quòd Filius hominis mundum ingrediens, ipſum conturbet totum, tantoque pauore conficiat, cuius conſpectus, omnium malorum ac dolorum ſæuitia flagrante, ſummum deberet hominibus ſolamen afferre, nouumque lætitiæ genus, vt in primo eius aduentu contigit, vniuerſis inſenſibilibus etiam creaturis inducere. Quem times ò miſer homo? cuius perhorreſcis aſpectum? Filij hominis, cuius delitiæ ſunt eſſe cum filijs hominum? Qui, vt homo non pro Deo, ſed vere Deus homini eſſet, ex ipſo æterni Patris vtero ante luciferum genitus, factus eſt in tempore Filius hominis: & in magno illo ſuæ virtutis die cum in ſplendoribus ſanctorum in ſuprema Filij Dei maieſtate mundo apparebit glorioſus, quaſi ſuppreſſo diuinitatis nomine, ipſa Filij hominis compellatione gloriabitur. Videbunt Filium hominis. Cur ergo tantopere Filium hominis times o homo? nonne hic pater tuus eſt, qui creauit te, qui genuit te, qui in viſceribus cordis ſui portauit te, qui cum ei adhuc inimicus eſſes, te nimia æternaque charitate dilexit, qui inæſtimabili vitæ ſuæ pretio te miſerum captiuum redemit, qui pretioſo ſanguine ſuo te ſordidum & maculatum lauit, qui pro te, pro tuiſque ſceleribus quaſi manſuetum

Malac. 3. Iohel. 2. Luca 21. Matth. 24. Prou. 8.

tum agniculum semetipsum tradidit immolandum. Quod si te insuperabilis Iudacij leonis fortitudo terret, nouimus quoque benignam & nobilem leonis iram; nam Parcere prostratis scit nobilis ira leonis. Verum cum sit timida nequitia, horrendumque sit incidere in manus Dei viuentis, non mirum si peccator & impius ipsum Filij hominis conspectum pertimescat, & ante excelsum & eleuatum eius iudicis solium, qui mortuus fuerat, & de morte triumphans viuit gloriosus, horribili pauore commotus deficiat ac corruat. Et si de excelso Dominus vt furens leo rugiet, quis non timebit? Nam solitum fuit Ægyptijs inexorabilem & truculentam iram horrida rugientis & furentis leonis effigie catulos suos vnguibus ac dentibus crudeliter dilaniantis Hieroglyphca significatione describere. Nec quidem immerito in die illo pertinax impiorum nequitia furentem pertimescet Iudaici leonis iram, quam sub mansueta agni forma occultatam, eiusque insuperabiles vires iam olim fuerat experta: quando tyrannicum peccati imperium Christus moriendo destruxit, & sæuissimam nequitiæ tyrannidem ad ignem vsque & sanguinem sub infirmitatis specie vti bellator fortis viriliter expugnauit. Calcaui, inquit, eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea. Et vt alter Dauid, quasi tenerrimus ligni vermiculus in ipso crucis ligno pendens, impetu vno interfecit octingentos, abstulitque iniquitatem terræ in die vno. Quod si tenerrimi vermiculi furorem, si mansuetissimi agni iram impia hominum nequitia ferre minime potuit, quidni rugiente ac sæuiente leone expauescat? si à facie iræ columbæ totum iniquitatis & peccati corruit imperium, quidni à facie furoris Domini in potestate magna mundum iudicare venientis, ipsa pertimescat iniquitas, miserosque peccatores & iniquos præ malorum timore arescentes horribili pauore conturbet? Tunc enim (absit iniuria verbo) implacabilis dira & truculenta sæuiet agni leonis ira: non parcet oculus eius, neque cuiusquam miserebitur peccatoris, ipsos quos genuit filios, quos anxio parturientis dolore concepit, proprijs manibus dilaniabit, suisque passundabit pedibus, & quos incomparabili sanguinis sui pretio moriens emit, gloriosa tunc vita fruens, vti vilissimam stipulam in-

Amos 3.

Isai. 63.

2. Reg. 23.

fernorum igni perpetuo cremandam inexorabili furore tradet; Ite, inquiens, maledicti in ignem æternum. Quis
Malach. 3. ergo poterit sustinere diem aduentus eius, aut quis stabit ad videndum eum? Stellæ non stabunt, sublimiores Ecclesiæ Principes, illustriores Euangelici sacrorum mysteriorum dispensatores, qui in caliginoso militantis Ecclesiæ statu, quasi radiantes stellæ lucent, sole iustitiæ exorto, suum omnem in die illo splendorem amittent, & quasi ex supremo cælorum fastigio deiecti misere ruent, quando cœperit DOminus à seruis suis exposcere rationem. Non vt pater cum charissimis filijs dissimulanter aget, non vt primogenitus cum suis fratribus de paternis bonis fraternali beneuolentia conueniet, non vt amicus suis debita liberaliter condonabit, sed cum seruis suis rationem ponet, exacta inuestigatione disquirens, quis fidelis fuerit seruus & prudens,
Matth. 24. quem constituit Dominus super familiam suam: non stabunt montes, excelsiores nimirum sæculi potestates, & potentissimi orbis Principes; nam viderunt montes & doluerunt, & sicut cera fluent à facie Domini iudicantis terram:
Psal. 96. fastigiosamque pristinæ sublimitas altitudinem contemnentes montes montibus dicēt, Cadite super nos, & colles col-
Osea 10. Luca 23. libus, Operite nos: quia pusillum & magnum iudicabit Dominus, & contra omnem superbum & arrogantem irato vultu consurget, destruetque ciuitates & non reputabit homines: nec mirum si non reputet homines, quando eorum destruxerit ciuitates, Ægyptique idola confregerit, in quibus miseri peccatores suam omnem habent fiduciam. Sed neque stabunt hi, qui vel stulta vulgarique hominum opinione, vel fallaci propriæ conscientiæ testimonio seducti, nunc se putant stare, de sua iustitia & sanctitate gloriantes: quoniam orietur in die illo sol iustitiæ, qui illuminabit ab-
1. Cor. 4. scondita tenebrarum, & reuelabit occulta cordium, qui lucem secernet à tenebris, & pretiosum à vili separabit: quo vera splendescet sanctitas, veraque iustitia clarescet: Scrutabitur enim Dominus in lucernis solis iustitiæ lumine ac-
Sopho. 1. censis, non impiam & propha nam Babylonem, quæ tanta disquisitione non eget, sed Hierusalem ciuitatem sanctam, diuinisque dicatam obsequijs. Et multi qui in hac hominis die gloriantur se nosse Deum, in magna illa die Domini terribilem illam vocem à iudice iusto audient, Nescio

vos:

vos: & velint nolint tandem dicent, Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Sed nunquid omnes illo die corruent? omnes peribunt? stabit nullus? iustus morietur cum impio? absit, sed stabunt hi, qui vere iusti fuerint in magna constantia aduersus eos, qui se oppresserunt, & à tyrannica impiorum seruitute redempti, leuabunt capita sua, erectisque in cælum luminibus Filium hominis in maiestatis gloria venientem læti suscipient, & inenarrabili gaudio perfusi ipsum audient dicentem: Venite benedicti Patris mei percipite Regnum, mercedem laborum ego reddam vobis. *Matth. 25.* *Psal. 118.* *Sap. 5.*

ORATIO III.



A est diuinæ bonitatis conditio (Beatissime Pater) vt modo homines alliciat beneficijs, modo terreat iudicijs vltionum: blanditur enim simul, & minatur. Si non blandiretur, inquit S. Prosper, vix esset exhortatio: si non minaretur, rara esset correctio. Qui etiam si irascatur in Euangelica lectione, idcirco irascitur, ne in perpetuum irascarur, & misericorditer ante iudicium adhibet seueritatem, ne æternã iuste inferat vltionem. Tametsi, vt verum fatear, tot iudicij portenta, ipsamet secundi aduentus forma, si impios deterrebunt, (turbabuntur enim, & timebunt qui habitant terminos iustissime Iudex, à signis tuis) iustis plausum excitabunt, cum proposita ficulneæ parabola animentur: Respicite, & leuate capita vestra, ecce appropinquat redemptio vestra. Primo igitur terrorem impiorum, mox iustorum lætitiam breuiter attendamus. *S. Prosper.* *Psal. 64.* *Luc. 21.*

Erunt signa in sole &c. inquit Christus Dominus in Euangelio. Rectissime id quidem ait S. Gregor. vt ea quæ nostris vsibus accommodata in culpam conuertimus, ipsa inquam, nos saucient. Rationabiliter ait S. Chrysost. vt moriente Patrefamilias vniuersi, omnia subiecta pedibus eius lugubri amictu acerbissimam vim doloris ostendant. Quasi *S. Greg.* *S. Chrys.*

Psal. 18. muta voce, sed multum loquaci cæli ipsi (quorum non sunt loquelæ neque sermones, vt non audiantur voces eorum) peccatores alloquantur. Ergone diurnæ nocturnæque nostræ vicissitudines vestris vtilitatibus attemperatæ, ortus, occasus, lumen, influxus tantum obfuerunt, vt essent in tentationem, & muscipulam pedibus insipientium? Cur
Sap. 14. nostris facibus vobis illuximus, si lumine nostro abutentes, contra illum, qui lucem inhabitat inaccessibilem dimicastis? Vtinam hæc ipsa lux, quæ rutilans vestri fuit comes delicti, nunc obscurata, sit ministra doloris. Hem radios radios, si expansi quandoque ad peccandum allexistis, detenti nunc, à peccato reuocate. Parua vestra iactura est,
Isai. 30. nam tandem erit lux lunæ, sicut solis, & solis septempliciter
Tren. 4. effulgebit: sed peccatorum facies denigrabitur super carbones. Saltem si non profuerunt lumina, prosint tenebræ, & si in lumine velut in tenebris aberrastis, illucescant vobis nunc tenebræ nostræ, vt sit nox nostra illuminatio ve-
Psal. 138. stra, non in delicijs, sed in mœstitijs nostris. Rationabiliter tandem erunt prodigia in cælo sursum, & in terra deorsum, vt creatura omnis Creatoris iniurias vlciscatur. Armabit enim Deus creaturam in vltionem inimicorum, & pugnabit sicut scriptum est, cum eo orbis terrarum con-
Sap. 5. tra insensatos. Liceat paulisper in belli huius calamitatibus recensendis immorari. Videmus quotidie, pacis tempore, milites excubijs, & custodijs destinatos, cum procul absit lituum rumor, tubarum clangor, armorum strepitus, in armorum cultu, & elegantia occupatos, & tantam interdum præseferunt pulchritudinem, vt equitum phalanges, cristatæ galeæ, deaurati clypei, hastæ fulgentissimæ intuentium oculos ad se conuertant, quinimo solaribus radijs repercussi, tanta est clypeorum, & galearum coruscatio, vt merito dici possit, Refulsit sol in clypeos aureos, & resplen-
1. Machab. 6 duerunt montes ab eis. Sed cum pugnandum est, & manus cum hoste conserendæ; tunc nulla militi ratio, nulla cura ornamentorum est, nulla certæ stationis habita ratione, miscentur exercitus, confunduntur omnia, nec aliud videre iam liceat nisi instar niuis iaculorum ingruentium impetum, densam caliginem, fumum omnium oculos excæcantem. Hic sanguinis torrentes, ibi cadauerum aceruum: hic cadentium gemitus, ibi stantium clamores: hic rotas,

& cur-

& currus ſanguine tinctos, ibi confractos arcus, ſagittas, ſcuta, gladios, & bellum; tantam denique calamitatem, vt etiam fortiſſimi, & inuictiſſimi duces ſola militiæ recordatione exhorreſcant. Verum militiæ iſta pictura modo expreſſa, puerorum potius ludus, & oblectatio quàm bellum cenſeri debet. Illud certamen eſt metuendum, quando in nouiſſimo die, die pugnæ, die hoſtis, & belli, accingetur militia cæleſtis exercitus, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Leuate in excelſum oculos veſtros, & certè in operibus digitorum ſuorum exultabitis. Quàm perfecti ſunt cæli, & omnis ornatus eorum: ſiue vt Chaldæus legit, exercitus eorum. Verè glorioſa ſpecies cæli, gloria ſtellarum mundum illuminans: ſtellę enim dederunt lumen, in cuſtodijs ſuis, & vocatæ, dicunt, Ecce adſumus: vt merito à magnitudine, & ſpecie earum poſſit rerum opifex Deus agnoſci. Attamen cum exurget in iudicio Deus, tabeſcet (Iſaias ait) militia cælorum, & complicabuntur cæli, ſicut liber: Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, ſtellæ cadent de cælo, in luce ſagittarum ibunt in ſimilitudinem fulgurantis haſtæ ſuæ, vt hinc cernas ignem, ſanguinem, vaporem fumi, inde cruores occiſorum, & in triumphi ſignum, cęleſtes ciues lauantes manus in ſanguine peccatorum. In tam horribili clade, & bellico apparatu, ſi vix iuſtus erit ſecurus, quid faciet peccator? quo ſe vertet? quo fugiet? cum cæli, terræ, maris, & vniuerſæ creaturæ ſtimulis ad gehennales flammas vrgeatur. De ſcorpione tradunt naturales, & experientia compertum eſt, ſi vndequaque flammis accingatur, vim luminis ferre non valens, præſentiens vim ardoris, iactetur, ſtimuletur, crucietur, agitetur in rota miſer: omnem aggreditur viam, huc & illuc concurſitando, ſi forte rimulas reperiat, vnde diffugiat: ſed cum omnis euadendi ei præcludatur locus, vindictæ potius, quã naturæ inſtinctu ductus, ſuimet ſit carnifex truculentus, nam venenata cauda, & proprio aculeo proprium corpus pungit atque cruentat, vt hoc ſit illi dulcius proprio furore ſe cædere, quàm flamma prius poſſit exurere. Talis erit peccatorum ſors accerbiſſima. Ignis enim iudicem præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Surſum ſedebit Triumphator in Iſraël, qui non parcet, nec pœnitudine flectetur.


Dilata-

Pſal. 45. Iob 38. Pſal. 49. Gen. 2. Eccli. 43. Baruch. 3. Sap. 13. Pſal. 75. Iſai. 34. Habac. 3. Ioel 2. Pſal. 57. Pſal. 96.

Dilatabit deorſum infernus animam ſuam abſque vllo ter-
Daniel.7. mino: in circuitu throni millia millium, & decies centena
Cant. 3. millia aſſiſtent ei, omnes tenentes gladios, & ad bella
Apoc. 6. doctiſſimi. Abſcondent ſe homines, in ſpeluncis, & in pe-
tris montium, à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira
Agni. Sed quo fugitis? quo pergitis? quo tenditis? clau-
ſa eſt ianua, nulla ſalutis via vobis reſerabitur, neque ab
oriente, neque ab occidente, neque à deſertis montibus,
Pſal.74. quia Deus iudex eſt. Quomodo ergo impius in tanta an-
guſtia, non ſub peccato triſtis? quomodo non ſub iudice
tremens? quomodo non ſub theatro orbis totius erube-
Pſal.111. ſcens? quõ non ſub criminibus deſperatus? Quid tandem?
Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabe-
ſcet: fremet culpa, tabeſcet pœna, fremet iuſtitia, tabeſcet
iudicio; fremet priuatus gratia, tabeſcet orbatus gloria;
fremet conflagratione vniuerſi, tabeſcet æterni plaga ſup-
1.Cor.15. plicij: fremet, & tabeſcet; nam conſcientiæ aculeo (ſtimu-
lus enim mortis peccatum eſt) animam ſuam lacerare in-
cipiet, antequam deputetur igni ardenti, & ardoribus
Iſai. 33. ſempiternis. Sed bellorum peritis militaris tuba inſonat
diſciplinam, pauidis timorem, ſuis addit vires, hoſtibus
pauores. Non ſecus vox Chriſti, (quæ non arctato ſpiritu
per concauum ligni cornu, exigui tantum ſonitus dabit
mugitum, ſed quæ de cælo intonans mortuos reuocabit ad
Matth. 24. vitam) ſicut impijs metum incutit, ita electos conſolatur,
Luca 21. cum dicit, Ab arbore fiſci diſcite parabolam; his enim præ-
Cant.2. cedentibus ſignis, mox canitur: Ficus protulit groſſos ſuos,
tempus putationis, hoc eſt, iudicij aduenit. Tunc electi
Iſai. 24. (Iſaias inquit) leuabunt vocem ſuam, atque laudabunt cum
glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. Verè hin-
nient fugatis voluptatum ſpumis, vitiorum fluctibus ſu-
peratis, decurſis criminum procellis, poſſidentes paſchæ
portum, lucrum vitæ, gaudia reſurrectionis. Vox iſta
Apoc.vlt. (Beatiſſime Pater) exultationis, & ſalutis reperiatur in
tabernaculis noſtris, & ſi diligimus aduentum eius, dica-
mus: Veni, nam ſpiritus, & ſponſa dicunt, Veni. Veniat
Pſal.102. veniat, qui coronet nos in miſericordia, & miſerationi-
bus. Veniat veniat, vt carnem reparet, animas innouet,
& vniuerſa in meliorem ſtatum reformet. Veniat veniat,
vt peccatum tollat, mortem deleat, ſepulchri deſtruat mo-
lem,

lem, inferis bellum inferat, mortuis vitam inſpiret, reſurgentes ad vitam gratiæ, euocet ad triumphos. Audiamus, quid reſpondeat Sponſus: Venio cito. Veni Domine Ieſu, & gratia tua ſit ſemper cum nobis omnibus. *Apoc. vlt.*
Amen.

ORATIO IIII.


VFFICERET hodierna die (Beatiſſime Pater) vt areſcerent homines præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi, Solis, & Lunæ obſcuritas, defectus, & lapſus ſyderum, cæleſtium virtutum, & elementorum inopinata turbatio, gentium preſſura, maris fragor, & ſtrepitus, terra internis externiſque agitata concuſſibus, tubæ ſonitus, pauor inſolitus inferorum, ſpontanea reſeratio ſepulchrorum; ſi his fieri incipientibus non inuitarentur ad tripudia, non prouocarentur ad palmas: Reſpicite & leuate capita veſtra, ecce appropinquat redemptio veſtra. *Luc. 21.* Mira Dei diſpenſatio, animari hominem ex horrore, quo crederetur extingui. Vt ſiue hinc ex lenitate ad fiduciam excitetur intentio; ſiue illinc ex iudicio accendatur vtilis timor, ſemper, & miſericors, & iuſtus appareat, cum rationali naturæ, & manſuetudine conſulat, & flagello. Primo ergo terroris, mox fiduciæ argumenta perpendamus.

Minatur, ecce, propria mundus excidia, & vniuerſo concuſſo, natura deficiens, ad terrendos, impios, vltimi exitus monumenta teſtatur. Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis. Quæ ſigna? Reſpondeat Iſaias: Quoniam ſtellæ cæli, non expandent lumen ſuum, obtenebratus eſt ſol in ortu, & luna non ſplendeſcet in lumine ſuo. *Iſai. 13.* Quid ita? erubeſcet enim ſol, & confundetur, cum Dominus in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus. *Iſai. 24.* Cur iſta? Cernentes (ait Hieronymus) nil dignum præſtitiſſe bonitate eius, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. *D. Hier. in hunc loc.* Quid? ſi non erubeſcerent, ſed timerent? an potius, veluti ſanguine præcordia inuadente palleſcerent? *Iſai.* Ita prænunciat Ioel: Sol, *Ioel 2.*

& Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Quo pacto? siue ob conflagrationem fumo cælestia lumina offuscāte, ex Origene: siue Dominicæ crucis superueniente fulgore, ex Chrysostomo: vel densarum nubium interpositione, vel luminis suspensione ex Scholasticis: certum est, quòd dies tenebrarum tyrannide exclusus, obscuram noctem dissimulato iure contradictionis admittet, importunæ tenebræ aliena tempora inuadent; vt moriente die, nec vera nox nascatur, & oriente nocte, suum dies sentiat occasum. Quòd si quidpiam tremulo videatur splendere sub lumine, & eructantes flammæ, sæua incendia, igniti globi, fulgura per conscissas nubes discurrentia, spissam innaturalis noctis caliginem illustrare videantur, non erit propterea terra illustrata fulgoribus, sed inclinato per alternos vices pondere commota dissiliet, & circumstrepentibus tàm maris vndis, quàm igne fluctuante adoperta succumbet. Tanta igitur rerum perturbatione loquetur mundus occasum suum; nec tam contra rebelles rationabiliter creaturas conspirasse demonstrabit, quàm diuinam sapientiam, in eiusdem molis dissolutione admirabilem extitisse prædicabit. Nam, quemadmodum qui definiturus est tempus, & horam, qua somno excitetur, horologij rotas diligenter componit, lineas, & puncta adamussim intersecat, & tantùm abest, ob leuem illam rotarum susurrationem excitari, quòd inde placidissimum somnum sibi conciliet. At cum minutorum peruolauerit tempus, ruunt rotæ, aguntur, colliduntur, vt ob earum violentam concursitationem, horologij structura dissolui videatur: excutitur somnus, euigilat homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. Non secus, qui fabricatus est auroram, & solem, statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum in æquitate. Idcirco qui cælestia lumina efformauit, vt essent in signa, & tempora, & dies, & annos, ipsemet aptauit cælestes rotas, substantia fusas quasi ære solidissimo, magnitudine spectabiles, figura tornatas, situ subordinatas, impetu celeres, motu veloces, non agitatione excisas, nec sex millia annorum spacio consumptas: tanta leuitate præditas, vt à se ipsis moueri diceres, nisi spiritus vitæ esset in rotis, assistens scilicet intelligentia. Quibus cum nullo corporeo fulcimento suis librata ponderibus, substernatur terra,

Orig. ho. 30. in Matth. *Chrys. hom. 77. in Mat.* *Schol. in 4. dist. 46.* *Psal. 103.* *Psal. 73.* *Act. 17.* *Gen. 1.* *Iob 37.* *Ezech. 1.*

terra, & indicatrix sphærula distinguat horas (dies enim diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam) & in omnem terram exeat sonus cælorum. Quid amplius in hoc horologio naturali desiderem? Dicam necesse est: Concentum cæli quis dormire faciet? Attamen instante mundi consummatione, cæli magno impetu transient, elementa calore soluentur, virtutes cælorum mouebuntur: prima rota, videlicet Angelica natura cęlos, cæli elemēta, elemēta homines mouebunt, vt ad tubæ sonitum, qui in puluere dormiunt, euigilent, & excitetur tamquam dormiens Dominus, vt faciat opus suum, impios nimirum igni inextinguibili deputare, & ardoribus sempiternis: peregrinum certe opus ab eo qui non venerat perdere, sed saluare. Sed ò ineffabilia diuini amoris argumenta, ex aliorum terrore fiduciam nasci, quæ parentis lucem extinguat; & nouo timoris antitodo, contra timorem, iustum roborari. Respicite & leuate capita vestra, ecce appropinquat redemptio vestra. Quod vt mihi persuadeam, miserabilem Christianorum apud Barbaros captiuitatem ante oculos meos statuo. Quid quæso anhelant nisi amabilissimam libertatem? Turres sublimes interdum ascendunt, rupes inaccessibiles adeunt, terræ marisque longissimos tractus explorantes, si vel expectata aut inopinata præsidia cernant: si forte hinc vela, & crispantes vndas auratis clypeis, vel solis luce repercussas, illinc camporum planicies, rutilantibus armis corruscantes aspiciant, hinc sentiant vndarum fragorem, illinc hinnitus equorum; vndique tandem aduertant constipatos duces, milites; sagittarios, funditores, iaculatores, triremes, phalanges, & ad expugnandos barbaros accinctam aciem vniuersam? Bone Deus, quæ alacritas, quæ lætitia depressa colla non subleuaret? Interim dum bellicus rumor horribili fama crebrescit, & horrisonus tubarum clangor acies instruit, mox tyrannis formidolosa mortis imago occurrit; sed captiuorum, ita pectus accenditur, vt moras pugnæ arguant, dilationem accusent, vt non tam milites armis, quàm captiuos voce, vultu, gestu aduersarios terruisse, manifestissimè appareat. Quid moror? vix dat belli signum tuba; insurgunt exercitus in tyrannos, & quò magis funesto cælorum imbre densantur, eò pœnam de cruore occisorum sumentes, præcipiti furore feruntur

Psal. 44.
Iob 38.
2. Pet. 3.
Dan. 12.
Psal. 76.
Isai. 28.

ad triumphos. Et ne quid desit ad victoriæ cumulum, mu-
Psal.149. tantur rerum vicissitudines: alligantur enim Reges in com-
Rom.8. pedibus; & de catenis captiui regrediuntur ad regnum.
Vanitati subiecta est creatura non volens, & sub tyrannide,
tam sensuum, quàm impiorum constituta, seruile tamen
nescit ingenium; sed ingemiscit & parturit vsque adhuc.
Rom.7. Nonne istæ voces, vt parturientis? Infelix ego homo, quis
me liberabit de corpore mortis huius? Et illæ? Educ de
Psal.141. custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: sed
propter eum, qui subiecit eam in spe, expectat liberari à
Rom.8. seruitute corruptionis. Interea, clamat iste Propheta,
Zach.9. Accingimini ad munitionem vincti spei. Respondet ille:
Habac.2. Super munitionem meam figam gradum, vt videam. Ex-
Ierem.4. plorat iste: Non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit
Isai.13. anima mea. Indicat ille: En. Vox multitudinis in monti-
bus, quasi populorum frequentium. Videbunt tandem om-
nes, cum dies erit tubæ, & clangoris; & ecce sonitus qua-
drigarum super capita montium, velut sonitus flammæ de-
Ioel.2. uorantis stipulam, sicut populus fortis præparatus ad præ-
lium. A facie eorum turbabuntur impij, stupebunt metu,
obrigent horrore, vicinitatem æternæ mortis horrentes.
Iam videre mihi videor peccatorem pauidas cogitationes,
secum tacita mente reuoluentem. Heu, ô, quid est? Quid
est quod meos fallere possit obtutus? quid est, quod contra
me video? currus igneos, flammantes rotas, equites ar-
dentes. Quis ista fabrefecit, temonem protendit, aptauit
lora; vt cùm nulla alia regio, nisi ignea ista produxerit,
nec aurigarum vestigia incalescant? Quàm citis saltibus
equi inane ferientes glomerant cursus, quòd nec vertigo
oculorum possit aduertere. Obuiam istis militibus ire cu-
pio, sed armatæ copiæ mihi non suppetunt; iacula con-
torquere desidero, sed non valeo. Sine congressione superor,
eo quòd solo vincor aspectu. Nosco illos. Angeli sunt. Agno
sco fortissimos bellatores, de mea natura sæpe victores. Quo
ties peccando contra illos pugnaui: lædere non potui, cum
redeant ad pugnam acriores. O meam deflendam miseriã!
O miserandã conditionem! O iniquitatem proprijs armis
expugnatam! Hæc & deploranda nimis iniquorum pars.
Psal.117. Verum quæ vox exultationis & salutis in tabernaculis ca-
ptiuorum, tabernaculis iustorum? Audiamus: Leuate ca-
pita

pita vestra, ecce appropinquat redemptio vestra. Leuabunt capita: nam & si ferro abscindatur vitis abundans, erumpentibus pampinis, melius vua vestitur, vt non tam mundus perfectius instauretur, quam iustus vitam, mundi morte reperiat. Leuabunt capita: frangerent enim gloriam victoris exercitus, si impij plangeretur pœna: nec esset plena lætitia in triumpho, si hostis lamentarentur interitum. Leuabunt capita, cum cedat mors in vitam, labor in ocium: ad præmium pœna, ad cælum terra, miseria transeat ad regnum: prospera succedant, aduersa procumbant, aptentur imperia, infernus occludatur, faciant securos desudata iam prœlia, nec amplius sollicitent rediuiua certamina. Leuabunt tandem capita sua, dum omnes creaturæ leuabunt manus in superbias iniquorum, ponentes non signa sua, signa, sed Dei, stantes in ordine suo stellæ, cęlum, elementa, Angeli, & vniuersus orbis contra impios dimicantes: donec intingatur pes eorum in sanguine, & auctore belli prostrato, & in profundum demerso, atque gehennalibus flammis alligato, soluantur vincula colli captiuæ filiæ Sion, procedentis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Leuemus & nos capita nostra (Beatissime Pater) auidissimè expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. Nobis enim etiam dicitur: Ab arbore fici discite parabolam: Et cum videritis hæc omnia fieri, scitote, quia prope est Regnum Dei. Dulcis epistola bone Iesu, sed quousque veniat maiestas quæ misit: necessarium chirographum, sed vsque ad debiti solutionem: grati flores, sed vsque dum fructus parturient. Festinet præsentia, & epistolam deleat, rumpat solutio cautionem, flores absumantur à pomis, desiderium collium æternorum. Interim dum caro nostra requiescit in spe, sit crux tua corporis nostri aratrum, semen fides, sepulchrum sulcus, expectatio tempus: vt cum ver Dominici temporis arriserit, matura viriditas, vitalem surgat in messem, ignoraturam canitiem, non passuram falces, sed nouum gloriosi corporis erumpens in fructum. Amen.

Psal. 73. *Iud. 5.* *Psal. 67.* *Isai. 52.* *Rom. 8.* *Tit. 2.* *Matth. 24.* *Luc. 21.* *Ex D. Petro Chrysol. Serm. 62.* *Ex eodem Serm. 103.*



ORA-

ORATIO V.



IHIL mihi quidem de magno nouissimoque die iudicij breui oratione dicturo, opportunum magis occurrere poterat B. P. neque his, qui pro Christiana fide atque pietate de supremis rerum humanarum finibus loquentem attentius audituri sunt, iucũdius quicquam vtiliusve admirando hoc Christi Aduentu atque conspectu enarrari videtur potuisse. Hoc enim illud est Patris æterni Verbum, quod vt in carne olim exinanitum, ita in fine denique temporum peracto naturę cursu, numero electorum expleto, totiusque humanæ redemptionis opere consummato, abbreuiatum faciet Dominus super terrã, vt super terram in nubibus cæli sedens, in momento, & in ictu oculi, mundum ante se aduocet vniuersum, quem de iustitia neglectæ legis arguat, quem de iudicio contemptiq. beneficij reprehendat, cui pro suorum qualitate factorum, supplicia premiave decernat. Tametsi enim sedeat sitque sessurus in solio maiestatis antiquus ille dierum Pater, orbem terræ in æquitate iudicaturus: perueniet tamen & ad thronum eius Filius hominis, cui potestatem, honorem atque regnum dedit, vt verus homo, suaui hominibus iudicio causam ipsorum agat atque definiat, summa virtute, quàm & assumptæ contulit carni, mortuorum corpora ad perpetuam reuocet vitam. Denique vt formam serui, quam despectam olim sine specie atque decore redimendo homini prætulerat; eximia tandem gloria atque maiestate nitentem, confundendis impijs bonisque recreandis vtrorumque iudex ostendat. Pater siquidem omne iudicium Filio dedit? quid enim non dedisset? Verbum eius æternum est, per quod omnia fecit: Filius & idem hominis est, per quem facta cuncta redemit; eius proinde munus iure optimo futurum est, vt peccato collapsa restauret, restaurata pro meritis discernat: discreta iudicet, iudicata condemnet aut saluet: districtã deniq.

1. Cor. 15.

Psal. 9.

Ioan. 5.

fui

sui sanguinis, qui mundi redemptionis pretium est, ab hominibus exigat rationem: Exurge, propterea Vates olim clamabat, exurge Domine iudica causam tuam, qui suaui pietatis sopore, seu graui quodam somno arreptus, hominũ tamdiu peccata dissimulas, qui in feruentissimo tuæ charitatis meridie pascens ac recumbans, summa sustines patientia, quinimmò effusi zelo cruoris quasi perdulci crapulatus à vino, eximia peccatores longanimite ad pœnitentiã expectas, iam tandem euigila, exurge tandem iudica causam tuam, qui aliorum causas iuste iudicas, tuam denique haud fas est negligas. Honor siquidem Regis iudicium diligit, vt cuius causa iam iudicata est, causam iudiciumque recipiat, exaltet caput, qui de torrente in via bibit, sedeatque iudex, qui sub iudicem stetit. Iudicet iniquos, qui cum iniquis est reputatus. Damnet reos, qui falso factus est reus. Viuus appareat in nube, qui mortuus est in Cruce. Veniat cum potestate, qui in infirmitate passus est, conspicuus fiat in maiestate iudex, qui iudicandus in humilitate delituit. Honor regis iudicium diligit, vt vltionem suis hostibus reddat, & his, qui oderunt eum, retribuat, denique honor regis cui propriũ misereri, ipsa est misericordia, q̃ iustitia vsq; adeo diligit, vt teste Apostolo: Misericordia superexaltet iudicium: vt sola videlicet neglecta contemptaque Dei misericordia iusto eius iudicio firmum, inconcussumq. argumentum sit præbitura. Adueniet tandem dies ille magnus, in quo suam hanc causam iudicaturus cum potestate ac maiestate adueniet Dñs, vt cuius modo misericordia pœnitentiũ peccata donantur, in eius tũc iudicio misericordiã contemnentium peccata puniantur. Adueniet dies ille magnus tanquam fur, vt hoc totum vniuersum in eius vindictam concitet ac impellat, qui in Cruce in medio latronum suspensus, ea quæ non rapuerat, pretio sui Cruoris exsoluit. An non tamquam fur in nocte, magnus ille dies adueniet, qui illata naturæ vi, ac mundi domo perfossa, à Sole lucem, splendorem à Luna, ab astris ordinem, trãquillitatem à mari, à terra stabilitatẽ, vitã ab animantibus, à prauis hominibus spem omnẽ auferet, ac lætitiam. An non tanquã fur, in quo quasi furtim repente, ligatis manibus & pedibus, sublata videlicet operandi merendique potestate, mittendus reus erit in tenebras exteriores? An non tanquam fur dies

Psal. 73.
Psal. 77.
Psal. 98.
Psal. 109.
Isai. 53.
Iacob 2.
1. Thes. 5.
Matth. 21.

dies illa crudelis, in qua, proh dolor, & ab ipso Patre misericordiarũ quasi ipsa auferri videbitur misericordia, vt teste
Iacob 2. Apostolo, sine misericordia ab eo iudicium habendũ sit, aduersus eum, qui non fecerit misericordiã? in quo deniq; nedum vlla impijs, ex iucundissimo pulcherrimoque Christi conspectu iucunditas lætitiave sit accessura, quinimmo fere constituta illis sit summa malorum? Ideo inquit Vates: Non
Psal. 1. resurgent impij in iudicio &c. Quidnam hoc quæso? nonne omnes astabimus ante tribunal Christi? at non resurgent, inquit, impij, non sponte accedent, non vltro iudicis sese conspectui præsentabunt: quin canente tuba excitabuntur mortui, & vocabuntur perterriti, compellentur confusi, &
Luca 23. ad tribunal Christi trahentur inuiti, quem ne conspicere cogerentur, & montes super se cadere, & a collibus operiri, & sensu vitaque penitus vellent orbari; quibus satius est, decem millia fulminum aut ipsum orbem collabentem sustinere, quàm mansuetã Christi faciem aduersam infœlicibus illis oculis contueri. Sed quidnam hoc quæso? quid
Gen. 3. si præuaricator Adam flammeum gladium ac versatilem Cherubim manu tenentem, iratum seque è paradiso expellentem videret? quid si leonem hedorum grex iste immanẽ se inuadentem conspiceret? quid si tartarei funestissimique corui cœtus hic pullorum volitantem super se crudelem viderent accipitrem? Videbunt Filium hominis. At vero non Angelus hic ille est, sed hominis Filius qui hominem perditum, ad regna cælestia reuocauit: non leo est rugiens, sed mitis Dei Agnus, qui coram tondente se obmutuit, & mundi crimina tulit: non sæuus accipiter, sed simplex, & placida columba est, quæ pacis æternæ mundo è cælo fœdera deportauit. Quid itaque huius humanitate iucundius? quid huius mansuetudine dulcius, quid huius pace atque delectatione suauius? quid denique huius conspectu delectabilius? At heu heu A. P. hæc ipsa diuini amoris signa, hæc ipsa Christi benignitatis maximæ officia prædamnabunt! quid enim dicturus, quid facturus tunc eris ò infelix homo, cum Deum pro tua salute hominem factum, ad tui perditionem iudicem videbis iratum? qui clamabit obijcietque, Quid vineæ meæ facere debui, & non feci? quibus
Esai. 5. impie te benedictionibus dulcedinis non præueni? quibus te beneficijs non inuitaui? quibus verbis monitisque insipientem

pientem non edocui, non quæsiui errantem, perditum non reuocaui, non roboraui pauentē, cadentem non erexi, effrenem non terrui, audacem non compescui, non increpaui superbum? quibus remedijs non sanaui debilem, vulneratum non curaui, defunctum non suscitaui, sepultum quatriduanum fœtentemque è tumulo non eripui, ab inferis non reuocaui? Aspice iam miser, operiatque confusio faciem tuam, cum in forma Christi essem, vt Deus ipse fieres, factus sum homo, vt diues paupertatem, vt magnus humilitatem, vt sanus infirmitatem, vt felix miseriā, vt liber seruitutem, vt viuus mortem, vt cæli ciuis, in aëre crucem, & in terra sepulturam elegi: tu vero odisti disciplinam, monita despexisti, contempsisti beneficia, insuper, quo nihil turpius, nihil nequius excogitari poterat, pro bonis mala impie reddidisti. Thesaurizas, inquit Apostolus, tibi iram in die iræ &c. quidnam quæso, cum ira thesaurus? ira est quā punimur, thesaurus quo ditamur, & pulchre vtique, Christi enim vita prædicatio, mores, exēpla, miracula, opprobria, passio, dolor, mors, merita, ceteraque nobis collata beneficia, quibus velut cumulatissimis quibusdam thesauris redimi, ditari, bearique vniuersi homines debuerant, iustam tunc maxime eius iram accendent, impiosque peccatores condemnabunt, vt iam ponat in thesauris abyssos, contineatq. in ira sua misericordias suas. Mitissimus Dei Agnus maximo tunc furore succensebit, cum & hinc beneficiorum quæ hominibus pro sua pietate contulit, inde peccatorum quibus ingrati scelestique homines pro sua impietate, ex tam dulci rore letiferum venenum auxere, libros aperiet, vt omni ira crudelior futura sit despecta Agni huius misericordia. Inde, inquit Apostolus, clamabūt illi petris atque montibus, Cadite super nos, & abscondite nos à facie iræ Agni: cælestis denique columba, quæ ex sacratissima Virginis arca procedens, Patris placauerat iram, mortis imperium, & diaboli tyrannidem effugarat maxima cum tranquillitate, homines iudicatura, summa ira exardescet, vt quibus nulla veræ sinceræque pacis fœdera profuerunt, nulla quoque reconciliationis, nulla spes veniæ, tunc sit relinquenda. Et conticuerunt, inquit Vates, arua pacis à facie furoris Domini: facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ. Tunc itaque videbunt Filium hominis.


Ioan. 11. *Rom. 2.* *Psal. 32.* *Apoc. 6.* *Ierem. 25.*

Iustum iudicem quem Saluatorem clementissimum recipere noluerunt, tunc cum latere erit impossibile, intolerabilē apparere. Tunc cum nullum impijs erit effugium, refugium nullum, nulla spes veniæ, nullus locus pœnitentiæ, tunc videbunt Filium hominis in nubibus &c. vt nubes vndique pluant iustum, dum hinc pluuiam voluntariam æternæ benedictionis segregabit hæreditati suæ: inde pluet super peccatores laqueos ignis: erit thronus eius in columna nubis, vt in medio sedens, cælum aduocet sursum, & terram discernere populum suum, vt stellas cæli ab arena maris, hedos ab ouibus, iustos ab iniquis, & à beandis separet æternæ mortis pœna damnandos. Adueniet Iudex hic in potestate magna, ac maiestate: in potestate cui nemo resistat, in maiestate, quam totus orbis adorabit. In maiestate, quæ iustos felicissima tandem sui præsentia glorificandos enunciabit, cum potestate qua impios in æterna morte victuros, in infernum detrudet. Tunc videbunt Filium hominis, cuius nutu totus per ignem orbis renouabitur, cuius pietate cælestia mox patebunt regna beatis, cuius iustitia reprobi pœnis cruciabuntur æternis. Heu heu Amp. P. quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Magnus ille legis æmulator Elias, cum spiritus commotionē ignem atque tenuis auræ sibilum, quæ supremi huius erunt signa iudicij, sensisset, nimio timore percussus, pallio vultum operuit. Cum sanctissimus ille Christi dilectus Ioannes terribilem iudicis huius faciem in spiritu vix longe fuisset intuitus, expauit, defecit viribus, & ad pedes eius quasi mortuus cecidit. Heu quid nos legis contēptores, quid diuinæ gratiæ munere destituti, peccatis onerati, repleti miserijs, in quos fines sæculorum deuenerunt, læti vitam hanc mortalem ducimus! Mare hoc magnum vbi sunt reptilia quorum non est numerus, vbi draco ille magnus ad nos deuorandum, semper est paratus, flante Aquilone, vnde omne malum pandendum est: quasi in summa tranquillitate alacres enauigamus. Tremit ciuitas super petram ædificata, an domus firma manebit super arenam constituta? Si concutientur cedri Libani, inconcussa manebunt deserti virgulta? si flectentur concedentque cæli columnæ, leuissimę paleæ consistent erectæ? Sæuus iam ille fur est in ianuis, vt domum nostram perfodiat, & adhuc somno,

Psal.67. *Psal.10.* *Eccli.24.* *Malach.3.* *3.Reg.19* *Apoc.1.* *Psal.103.*

somno, & adhuc torpore tabescimus? Ad radicem arboris iam posita securis est, vt succidatur, & in ignem mittatur, & adhuc solis vanitatum atque voluptatum folijs lasciuiens, terram inutilis occupat, & vineam Domini replet infructuosa? Securi & læti pacem atque tranquillitatem decantamus, cum repentinus subito super nos sit casurus interitus? Hæc illa sunt B. P. quæ mundo ruinam, quæ hominibus præcipitium parant: vitæ spes longioris, diuinæ charitatis obliuio, nulla iudicij, nulla mortis meditatio. Eia itaque emendemus nos ipsos iam tandem, & quæ quomodocunque peccauimus, salutaribus lacrymis defleamus, ne subito præoccupati die iudicij, spatium quæramus pœnitentiæ, & inuenire non possimus: talenta quæ nobis Deus sua liberalitate tradidit, cum vsura sine fraude amplificare studeamus: grato animo Christi suscipiamus beneficia, diuinæ gratiæ vigili spiritu cooperemur, humiles veneremur maiestatem, nostrorum conscij delictorum potestatem vereamur, vt venientem in nubibus cæli cum potestate magna ac maiestate Iudicem securi videamus. *Matth. 3.*





DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.



ORATIO PRIMA.

Psal. 87. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & Iustitia tua in terra obliuionis?* Canit diuinus Psaltes P. B.



OBLIVIONIS terram Propheta Regius hanc nominat vitam: Deus namque & bonorum, & malorum hominum fere obliuisci videtur. Bonorum quidē, in laboribus quos eius amore sustinent. Malorum autem cum ipsos, vt eorum facinora exigunt, non puniat. Iustis nunc illis eripit bona, nunc varijs affligit morbis, nunc demum innumeris illos torquet doloribus. Peccatores exaduerso tam secure ambulant, ac si iustus Iudex illos non videret, & quod admirabilius, Deus ipse sic illos impune viuere sinit, ac si eorum scelera non essent, neque ijs offenderetur. Quis talia animaduertens cum Propheta, mundum hunc terram non diceret obliuionis? Perillustre exemplum huius nobis hodiernum præbet Euangelium. Vir sanctus & iustus, sanctitatis norma, vitæ magisterium Ioannes Baptista in vinculis manet, & carceris ignominiosa fastidia patitur. Impius tamen, ac flagitiosissimus tyrannus regnat Herodes. Herodes Rex immanis huius sæculi diuitijs abunde, & libere perfruitur. San-

Matth. 11.

ctissimus

ctissimus Christi Præcursor, qui singularem animi continentiam cum horrido atque aspero vestitu coniunxerat, nihilominus tanquam aliquis luxu diffluens ac dissolutus, vinculis coercetur. At forte dicat aliquis, loca deserta Ioannes incolebat, vt malum & exitium alicui moliretur, vtque aut vitę, aut opibus aliorum insidias tenderet? Immo vero pœnitentiam erratorum ille suadebat: & qui duas tunicas haberet, vt alteram non habenti daret, & vt omnes contenti essent stipendijs suis. An forte pœnitentiam ille *Luca 3.* in ore habebat, cum reipsa tamen nihil minus, quàm resipiscentiam sibi cogitaret? immo vestibus ille è pilis camelorum contextis vtebatur. Esca eius erat locusta, & mel siluestre. Vnde de ipso hodie Veritas clamat: Quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestitum? An vero sibi forte homo ambitiosus Messiæ nomen vendicabat? Tam longe id abfuit, vt se Christum non esse neque Eliam, neque Prophetam asseuerantissime affirmaret: licet hodie eum Prophetam, & plusquam Prophetam Christus ipse turbis pronunciet. Et quia omnem gloriam contempsit, quæ aliquid saperet impietatis: nedum homo à Deo missus, sed Angelus hodie nominatur. Quare ergo vinctus? quia linguā aduersus eos soluit, qui nefarijs erāt inter se vinculis obstricti. Turpia vincula, quæ Herodem, & vxorem fratris inuicem connectebant, linguæ gladio amputare nitebatur. Hanc ardentem lucernam, atque lucentem lippientes vtriusque oculi ferre diu non poterant. Impudentissima, atque importunissima feminarum Herodias, quæ relicto viro, adhæserat tyranno, acerbam sibi vitam viuo Ioanne, maximam sibi impositam seruitutem libero illo ac soluto, existimauit. Hæc ergo causa vinculorum, veritas: & quia verum Vox clamantis reticere noluit, neq; in publica concione veritus est Regi ipsi in os dicere, Non licet tibi habere vxorem fratris tui: in vincula conijcitur. Et dum eremi cultor, ac maximus vatum tetro carceri mancipatur, incestuosus Rex dominatur, iniqua Herodias libertate vtitur: vterque voluptati dat operam. Quis est qui terram hanc, terram non dicat obliuionis? Quis est qui cum Chrysostomo non exclamet, Vbi lex? vbi homo? vbi Deus? *Chrysost.*

Dicite obsecro (Illustrissimi Principes) si miles aliquis in hostium confinibus esset, qui die noctuque ferro onustus incede-

incederet, cibum, & quietem, vt arcem sui Regis defendat, raro sumeret. Rex autem eius bona eriperet, carceribus eum mancipari, ac tandem vulnerari iuberet. Nonne Regem ingratum appellaretis? Nonne officiorum omnium, & tam fidelis militis meritorum oblitum esse diceretis? Et si in Vrbe hac latro esset famosissimus, homicida, proditor, & millies mori dignus: iudex autem impune in omnem culpam eum prolabi permitteret. Nonne Iudicem tamquam iniustum accusaretis? nonne huius hominis scelerum tantorumque facinorum oblitum esse clamaretis? Id ipsum sanctissimo Ioanni & Herodi scelestissimo in terra hac obliuionis accidisse quis est, qui non animaduertat?

Ioannes qui vt hanc animæ arcem ab hostium vi, & insidijs tueatur, die noctuque laborat, vigilat, orat, ac spiritualibus exercitijs pluribus occupatur, in vinculis tamen manet, libertate priuatur, & vitam amittit: Herodes impijssimus in mensa tam laute epulatur, scelusque tam grande committit, liber tamen Rex regna promittit. O rem admirabilem, & eximio stupore dignam! Ioannes iacet in carcere pœnali; sed tamen Herodes in throno regali? Funibus Ioannes circumligatur, purpura vero Herodes ornatur. Ioannes inter vinctos angustiatur, Herodes cum conuiuis puellam saltantem spectare lætatur. Ioannes tandem audit extremum sibi diem imminere mortalem, quando impius Herodes suum celebrat natalem. Tremendum spectaculum, ac timendum exemplum nobis Dominus in Sanctis suis, & hodie in Ioanne, quo inter natos mulierum non surrexerat maior, considerandum proponit. Vir tantus qui missus fuerat, vt audiret gemitus compeditorum, &
Psal. 101. solueret filios interemptorum: in vinculis manet malefactorum, quoniam iustus & sanctus: sciebat Herodes, vt
Mar. 6. inquit Diuus Marcus Euangelista, eum virum iustum & sanctum: ô iudiciorum Dei profunditatem, ô Altissimi secretorum incomprehensibilitatem! Videtur equidem Deus rectitudinis ordinem commutare, cum malo proficiat, bono vero officiat. Scelestum Herodem finit in mensa lætari, Ioannem sanctissimum in carcere lacrymarum pane sustentari. Non sane rerum ordinem mutat, qui iustus est,
Sap. 17. atque semper laudabilis Deus. Magna enim & imperscrutabilia sunt iudicia eius. Hoc est quod aperit mysterium

Prophe-

Propheta Dauid: Ponens (canit de Deo) in thesauris abyssos. Deum namque in thesauris arcas custodire, præposterus videtur ordo, qui enim thesaurizant thesauros in arcis, non arcas thesauris includunt. Deum autem viceuersa in thesauris arcas custodire Regius canit Propheta. Hoc certe significare videtur, quod de Ioanne hodierna narrat historia. In qua si externa tantum spectemus, & occulta Dei non penetremus mysteria, profecto diuina non videtur elucere iustitia. At vere in thesauris est abyssus, occultum Dei latet iudicium, quod suo tempore patefiet: superuacaneum nunc inuestigari existimo, cur Deus permittat iustos calamitates in præsenti sæculo sustinere, impios vero in vijs suis prospere agere: vel cur contra Catholicam, sanctamque Romanam Ecclesiam falsos permittat magistros, ac varios seductores? & tot prauis non accurrat erroribus. Nos in carne mortali agentes hæc scire non decet, nec si sciremus, beatiores idcirco fieremus. Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, inquit hodie Veritas ipsa, hoc forsitan innuere intendens, vel si aliquid ad nostram doctrinam de his dicere vellemus, Augustino auctore hæc narrare possemus: Deus Opt. Max. probos viros in hac vita plurimis conflictari sinit incommodis, quia vult ea re tam pios, quàm impios admonere illos quidem vt huius mundi bona eo magis contemnant: hos autem vt eo magis extremi iudicij diem reformident: si enim sanctos viros ita accipit in hac vita Deus, quomodo accipiet tunc impios, cum non amplius veniæ ac misericordiæ locus erit? Si tunc vix iustus saluabitur, quomodo igitur putat peccator luxu & otio sine vlla molestia & labore saluari? Si vincula, & vinculorum incommoda patitur qui vera dicit; de eo, qui vt ad sui domini voluntatem loquatur, passim mentitur, & periurus est, quid fiet? Si qui locustas comedit & rigidis pilis camelorum vestitur, in vinculis est, quid gulosi & delicati? Si qui ne venialiter peccaret, in deserti solitudine vixit, occiditur; quid illi, qui vt peccarent, prauis sese, & corruptis familiaritatibus dediderunt? Sed hæc Dei arcana suo tempore patefient, nunc in thesauris est abyssus, occultum Dei latet iudicium. Est vtique in vinculis Ioannes, vt tamen postea regnet in cælo. Herodes in hac vita delitijs gaudet, vt in inferno carcere æterna patiatur tormenta;

Psal. 32. August.

menta; certe in thesauris ponit abyssos. Habet se Deus profecto in hoc, vt locuples mercator, qui in emporium tendens, vt mercimonia necessaria emat, quę sunt vilia & parui valoris mercatur: hæc statim persoluit: sunt autem alia pretiosa, quæ statim persolui non possunt: atque hæc fide iussa emit, vt tandem in futuro persoluat emporio. Mercator est Saluator noster, qui fideles prudenter mercari
Luc. 19. præcepit, Negotiamini dum venio: & alibi: Simile est re-
Matth. 13. gnum cælorum homini negotiatori. Venit quidem in huius sæculi emporium ad nostra omnia iam emenda opera, quæ in mortali peccato facta inuenit, tamquam vilia & parui pretij statim in hoc mũdo persoluit, reddens pro illis honores, diuitias, & his similia: quæ tamen in charitate facta agnoscit, tanti estimat, vt in futuro sæculo æterno præmio persoluenda relinquat. Vere igitur est ponens in thesauris abyssos. Hinc iusti non mirantur, nec animo deficiunt cum contra eos impij insurgunt. In hoc sæculo, inquit summus ille Pontifex Gregorius, Sancti timent prospera magis quàm aduersa, immo vero in aduersis sperant magis & gaudent. Hoc aperte hodiernum monstrat Euangelium, Ioannes in vinculis duos misit discipulos, & interrogat, Tu quis es? Non prius ausus fuerat ab eo petere vt se Christum incredulis manifestaret discipulis: sed modo interrogat & sperat intrepidus, quia se videt in vinculis pro veritate coniectum. Miram enim iustis fiduciam operatur tribulatio, quam pro Deo sustinent: tunc omnia se obtenturos credunt: de quo optime apud Oseam legitur:
Osea 2. Et dabo eos vinitores ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem. Achor turbationem, & afflictiones significat, quibus maxime Sanctorum spes confirmatur. Hinc Propheta subiungit, Ad aperiendam spem, idest, vt inde ostium magnum ad Dei sperandam magnificentiam ape-
Symachus. riatur. Vnde Symmachus merito vertit, In ostiũ spei, quod optime exponit Paulus: Non solum autem, inquit Sanctus
Rom. 5. Apostolus, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem; probatio autem spem, spes vero non confundit. In vinculis ergo Christum se discipulis propalaturum sperat Præcursor, & iam responsum accipit non sibi, sed discipulis necessarium. Nam volens mundi Redemptor ta-

lis

lis agnosci factis suis, Cæcis lumen, surdis auditum, mortuis vitam restituit; fecit vt claudi ambularent, & pauperes euangelizarentur: ad locum Isaiæ alludens, quando *Isai. 35.* Prophetico prædixit spiritu, Deus ipse veniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, aures surdorum patebunt, saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.

Sed cui fundamento ò Ioannes tua hæc firmissima spes innititur? Video me in valle Achor, inquit sanctus Christi Præcursor, in vinculis scilicet, cum manicis ferreis pro veritate detentum, magnus mihi ad spem aditus patet: spes est super spem: nihil enim negari potest pro Christo,& veritate patienti. Cum ergo fuerimus in hac vita tribulati,haudquaquam turbemur,nec animo in angustijs deficiamus. Dominus enim amat iudicium, & seruos suos non derelinquit; prospera magis, quàm aduersa timere debemus. Christianæ dignitatis non est in temporalibus exaltari, sed potius deprimi; cum mali prorsus nihil in cælo,& boni parum habeant in mundo, siquidem fides nostra est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium,inquit Apostolus. In his ergo quæ apparent,haud sperare debemus, sed in Domino spes nostra omnis ponenda *Heb. 11.* est, à quo petamus quæcumque libuerit, dat omnibus affluenter, & non improperat:ipsi,non mundi principibus,inquit Dauid: Reuelemus vias nostras, & tanquam prote- *Iaco. 1.* ctor in tempore tribulationis dabit petitiones cordis nostri: nec æmulemur eos,qua prospere agant in vijs suis ma- *Psal.145.* lis,quoniam tanquam fœnum velociter arescent:exiccatum est fœnum, & flos eius decidit,inquit sanctus Isaias. Infelix Herodes, qui in vijs suis malis prosperabatur, nunc autem æterna pœna cruciatur. O nimium felix Christi Præcursor, *Isai. 40.* qui compedibus iam eras grauatus: nunc vero tanquam scintilla in cælesti arundineto discurris exoneratus. Hæc *Psal.36.* mutatio dexteræ excelsi est, qui in thesauris ponit abyssos. *Sap.3.* Herodes quidem in hac vita sedebat in throno regali: nunc vero detinetur in carcere infernali. Ioannes qui inter vinctos cruciabatur: nunc iam inter beatos fine fine lætatur. Herodes, qui diem sollemnem suæ celebrabat natiuitatis. nunc æternæ mortis suæ irascitur immortalitati. Ioannes qui dulci erat libertate priuatus, à militibus tamquam in-

famis ſpernebatur, nunc autem ab omnibus ſummopere veneratur, & lætus iubilat gloria & honore coronatus.

ORATIO II.

Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti.


VO potiſſimum ſunt (Beatiſſime Pater) quæ hodie in Euangelica lectione diuinitus continentur. Vnum quod ad cuiuſcunque noſtri ſalutem pertinet: Aliud vero quod ad Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ ſtatum refertur. Hoc allegoricè; illud vero moraliter à me quantuncunque minimo, breuioribus quoàd potero verbis erit explicatum.

Quatuor equidem ſunt, quæ ad noſtram iuſtificationem maximopere conducunt, vt clariſſime in ſacro Tridentino *Conc. Trid. Seſſ. 6.* Concilio, à Patribus ſancitum eſt, nempe lex diuina, fides Chriſti, gratia cæleſtis, & opera noſtra bona. Quæ in frontiſpicio hodierni Euangelij mirabiliter inſinuantur, dum apud Matthæum dicit: Cum in vinculis audiſſet?

Mar. 3. In vinculis, ecce lex ſancta, in qua Dei mãdata cõtinetur.

Audiſſet, ecce vera Ieſu Chriſti fides.

Ioannes, ecce cæleſtis in illo diuina gratia ſignificata.

Opera Chriſti, ecce noſtræ bonæ actiones. Quibus quatuor alia duo concurrentia adduntur, nempe liberum arbitrium noſtrum, ex intellectu & voluntate conſtans, quod manifeſtatur, dum dicitur: Mittens duos ex &c. & meritum Chriſti, quod exprimitur ibi, Ite, & renunciate. Agam, quæſo de ſingulis.

Sacroſanctæ legis mandata rationabiliter vincula nuncupantur, ex eo quia adeo nos ad diuinæ voluntatis exequendum ſtudium ligant, vt hac, atque illac minime ſecundum ſenſum noſtrum viuere valeamus, ſed arctiori nodo conſtricti, & nos ipſos per legem cognoſcimus, & diuinum velle, & iudicium, & iuſtitiam eius in lege tanquam in purgatiſſimo ſpeculo conſpicimus.

Miſerabi-

Miſerabiliter quoad omnes tam internas, quàm externas potentias erant ſub iugo legis multi homines ligati, in intellectu, quia omnia contigebant illis in figuris: ligati in voluntate, quia frequenter, non amoris gratia, ſed timore ducti operabantur: ligati in memoria, quia quaſi promiſſorum Dei obliti, ollas carnium, cucumeres, & pepones Ægyptiorum exoptabant: ligati in oculis, quia clariorem vultum Moyſis conſpicere non valebant: ligati in auribus, quia dulciſſimum Dei verbum deterrebat eos, vnde dicebant filij Iſraël ad Moyſem, Loquere tu nobis, nõ loquatur Deus, ne forte moriamur. Hinc Dauid clamabat aduerſus eos, Os habent, & non loquentur, oculos habent. *Exo.13.34.* *Exo. 20.* *Pſal. 113.*

Nos autem legis Euangelicæ ſectatores etſi libertate, per Chriſtum Dominum noſtrũ acquiſita gaudeamus, quia reuelata facie credimus; ſub iugo tamen, & in vinculis executionis manemus, vt ait Chriſtus Deus noſter: Iugum meum ſum. Mandata itaque legis ſaluti noſtræ conuenientia, quæcunque illa ſint, iure vincula dicentur. *Mat.11.*

At quemadmodum non ſat eſt, infirmo, vt ſuum cognoſcat morbum, ſed neceſſario adhibenda ſunt alia medicamenta; ita ad peccatoris curam non ſufficit per legem ſuorum peccatorum cognitio, ſed diligentiſſime alia ſunt exquirenda, vtpote pro fundamento ſpiritualis ſanitatis, fides Chriſti; ſic ſcriptum eſt, Qui non crediderit, condemnabitur, ideo inter vincula, ideſt legis mandata, dicitur. Audiſſet, ideſt fidei neceſſitas accedit. *Mar.16.*

Noſtis intelligentes, quod fides noſtra in adultis habetur per auditum, & expreſſum verbum Dei, vt perbelle vos Romanos docet Apoſtolus: Fides eſt ex auditu. Hinc recte dicitur, quòd auditus eſt germanus Chriſtianorum ſenſus, per quem omnis Chriſti aſſecla Deo Patri fit obediens, vt olim per os Dauid dixerat: In auditu auris obediuit mihi. ea propter in hac particula Audiſſet, Fides vti noſtræ iuſtificationis fundamentum præintelligi poteſt. *Rom.10.* *Pſal.17.*

Ceterum cum fides ſola, & nuda abſque auxilio diuinæ gratiæ minime peccatorem iuſtificare valeat, ideo Euangeliſta ſequitur Ioannes, qui habens gratiam interpretatur; Gratia enim éſt cauſa formalis iuſtificationis, fidei noſtræ, vim ſanatiuam tribuens.

Lex enim ſua natura impium iuſtificare non poteſt; Ni-

Heb. 7. hil ad perfectum deducebat lex, testimonio D. Pauli: Fides similiter peccatorem non viuificat, quia sine operibus
Iacob 2. mortua est, teste Iacobo. Sed ijs necessaria est diuina gra-
Rom. 3. tia, Iustificati gratis per gratiam ipsius, ait Apostolus. At non sine præcedentibus nostris bonis operibus, quæ ad iustificationem peccatorem præparant, atque disponunt.

Gratia enim cum sit accidens quoddam spirituale, absque subiecto haud existere potest, & quia forma necessario dispositum expostulat subiectum, ideo opera bona, animam nostram disponentia, quæ auxilio Christi fiunt, ex parte nostri requiruntur; quod manifeste declaratur, dum dicitur, Opera Christi.

Hinc elicitur hæc Catholica Conclusio aduersus persecutores nostros hæreticos, quia liberum arbitrium hominis, tanquam concausa concurrit ad nostram iustificationem.

Liberum arbitrium, quia ex intellectu & voluntate, tanquam ex duobus principijs constat, vt in De libero ar-
August. bitrio tradit B. P. Augustinus. Liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligimus gratia assistente, malum vero gratia desistente; ideo id nobis aperire volens Matth. d. Mittens duos.

Vnde ex lege docente, & fundamento fidei posito, ex gratia Dei assistente, ex dispositione hominis per bona opera, ex determinatione liberi arbitrij per intellectum & voluntatem, tanquam per nuncios ad Christum missos, ex præsupposito merito Domini nostri Iesu Christi, qui primã gratiam, & remissionem peccatorum nobis meruit, iustificatur omnis homo. Quod meritum notificatur omnibus ex responsione Christi ad discipulos Ioannis: Ite, & renunciate Ioanni, quæ &c.

Sine legis cognitione, Christi fide, Dei gratia, hominis dispositione, liberi arbitrij ad bonum determinatione, & absque merito Christi, omnes cęci sunt propter ignorantiã, claudi propter sæcularia desideria, leprosi propter carnis concupiscentiam, surdi propter contemptum verbi Dei, mortui propter peccatorum consuetudinem, & pauperes propter diuinæ gratiæ priuationem.

At dum Ioannes est in vinculis, audit, idest, dum peccator per legem cognoscit semetipsum, fide adhæret Deo, habet diuinam gratiam, mittit nuncios bonæ voluntatis ad

Iesum,

Iesum, illico cæci vident statum suum, claudi ambulant ad bonum, leprosi mundantur ab illecebris carnis, surdi audiũt verbum veritatis, mortui resurgunt ad pœnitentiam, & pau peres euangelizantur propter gratiam.

O felicem iustificatum peccatorem, qui non modo à malis omnibus liberatur, sed in deserto huius sæculi ab ore Christi in multis commendatur! Commendatur primo, quia iustificatus peccator firmus est, & stabilis, diabolicæ fraudi resistens. Quid existis &c? Arundinem vento agitatã? nequaquam. Commendatur secundo, quia omnia huius mundi vana respuit. Quid existis? Hominem mollibus vestitum? nec hoc. Commendatur tertio, quia à terrenis ad cælestia eleuatus, recordatur præterita, cognoscit præsentia, præuidet futura, & veluti Angelus Domini in puritate existens, viam penitẽtiæ Domino Deo suo parat. Laudemus ergo Deum, & nomini sancto eius dicamus gratias, qui dedit potestatem talem hominibus.

Allegorice autem (sanctissime Pater) & citius modum dicendi faciam. Quid Ioannes in vinculis, nisi Ecclesia Christi visibilis, hincinde in terris, tot tantisque angustijs, calamitatibus, seditionibus, perturbationibus circumligata, & minis, & bellis, flagitiosique sceleris inimicis circundata?

Quid Christus diligens Ioannem, ipsumque publicè magnificans, nisi summus Romanus Pont. vniuersalis Ecclesiæ caput, & pastor? qui vices Christi in terris gerens, semper dilectam eius Ecclesiam custodiet.

Quid duo ex discipulis eius ad Christum missi, nisi duo S. R. E. potiores status, Ecclesiasticus, videlicet & Sæcularis? Qui concordi voluntate rogent, humiliterque Romano Pontifici supplicent, vt ipse, ipse sit, cui traditæ sunt, in vtrunque statum claues, qui Ecclesiæ sanctæ prouideat, eam ad inimicis protegat, Catholicos Principes aduersus hostes vniat, infideles destruat, hæreticos comprimat, rebelles anathematizet, malos perdat, bonos diligat, pauperes defendat, religiosos visitet, & studiosos subleuet.

Semper fuit, semperque erit Ecclesia Christi militans in vinculis Herodis constricta. Qualis & quanta fuerit nascentis Ecclesiæ persecutio, & in persona Christi & Apostolorum, & discipulorum eius ab insidijs Iudæorum, sacri codices

dices docent. Qualis, ac quanta erit circa nouissima tempora eiusdem Ecclesiæ persecutio, ipsemet Christus prædixit nobis: Cum videritis abhomina. *Matth. 24.*

Nunc autem hac ferrea nostra ætate (hem lugubre spectaculum) Ioannes in maximis vinculis, in angustijs, & tribulationibus reperitur: & est sancta Iesu Christi Ecclesia, quæ ex vno latere ab infidelibus premitur, ex alio ab hæreticis dilaniatur, circumcirca, & in medio à pseudo Christianis vilipenditur. Orientalis draco aperto ore aduersus eam mouetur. Occidentalis vipera vsque ad mortem mordet eam. Septemtrionalis basiliscus venenoso aspectu occidere, & ad nihilum redigere omnes neruos contendit, & vniuersus orbis in armis positus, publicè cum Angelo percutiente clamat, veh, veh, veh, habitantibus in terra. Iam vbique illustrissimi Patres, insurrexerunt hæretici, hostes nostri, & dictis & factis aduersus Christi Ecclesiam, & defensores eius crudeliter dimicant. Mouentur verbis, dum Romanam Ecclesiam, Romanum Pontificem, Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos, religiosos execrantur. *Apoc. 8.*

Mouentur factis, dum furenti multitudine arua deuastant, demoliuntur vineas, succendunt habitacula, expugnant arces, depopulantur ciuitates, violant monasteria monialium, vi opprimunt religiosos, prophanant sanctuaria, reliquias sanctorum, & eorum imagines proijciunt, crucem Christi vilipendunt. Et hoc genus hominum, graue, & inutile pondus super terram, à nobis sustinendum est? non, non, non. Quid ergo agendum?

Duo ex discipulis Ioannis mittendi sunt ad Christum, idest, Principes Ecclesiastici, simul & sæculares concordi voluntate currant ad Roman. Pontif. qui Vicarius Christi est, & vno ore dicant: Tu es qui venturus &c?

Et tunc stante hac omnium principum vnione, illico respondebit Romanus Pontifex: Ite renunciate, & Cardinales fratres dicite omnibus: Oratores filij annunciate Principibus vestris, ꝙ ego dictis & factis pro Christi Ecclesia, & ouibus meis omnino paratus sum & animam ponere: Dicite, dicite libenti animo: Cæci vident, claudi, &c. quia diebus nostris omnium vitiorum genera erunt euulsa, & tempore nostro, sic fauente Deo, in Ecclesia Christi redibunt aurea sæcula.

Loque-

Loquere, loquere (Pater ſancte) & cuilibet Eccleſiam ſponſam tuam opprimenti dic velocius: Quid exiſtis? Arundinem? Nunquid Eccleſia Chriſti infirma ſit, & inſtabilis? Hoc non; quia ſcriptum eſt, Portæ inferi non. Quia fundata eſt domus &c. Quia fundamenta eius in montibus.

Quid exiſtis? Hominem? Nunquid Eccleſia Chriſti Romana & Catholica carnalis, corrupta, & deprauata ſit? Nec hoc eſſe poteſt, quia tota pulchra eſt, & macula &c. Quia columna eſt, & firmamentum veritatis.

Quid exiſtis? Prophetam? Et ego dico, quodammodo pluſquam Prophetam; quia Eccleſia Chriſti omnia videt, omnia nouit, omnia iudicat, omnia determinat, ſemper verax eſt, nunquam mendax, & errare non poteſt. Ideo Angelus Domini eſt, quia in amore, & obſequio Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto viam pulchram, & impollutam parat. Angelus Domini eſt, quia manifeſtat abſcondita tenebrarum. Angelus Domini eſt, quia ex ore Altiſſimi prodijt, ab eodem originem traxit, & aliunde comparari nequit. Angelus Domini eſt, quia candor quidam lucis æternæ exiſtit, imago bonitatis Dei, ſuperflua delet, neceſſaria claudit, inania prohibet, & pia vndequaque admittit. Angelus Domini eſt, quia gyrum cæli circuiui ſola, profundum abyſſi penetrat, in fluctibus maris ambulat, in omni populo, & in omni gente primatum tenet, ſuperborum hæreticorum, & ſublimium Turcarum colla diuina virtute calcat. O admirabilem & inſuperabilem Chriſti Eccleſiam, quæ lætiſſime cum Propheta, clamat, Sæpe expugnauerunt. *Sap. 7.* *Eccli. 24.*

Gaudeamus ergo omnes, & dulci ſpiritus modulatione exultemus in Deo ſalutari noſtro, quia velati nos in vinculis peccatorum manentes, aſſiſtente gratia Spiritu ſancti, cooperantibus nobis cum bonis noſtris operibus iuſtificati ſumus; ita Eccleſia Catholica, & Apoſtolica Romana in perſecutionibus poſita, concurrentibus vobis Principibus, tanquam duobus vnitis diſcipulis eius, erepta erit de laqueo venantium hæreticorum. Faxit Deus vt tempore tuo (Beatiſſime Pater) dulciter à nobis cantetur, Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. & tunc deuictis hoſtibus, à ſolis ortu vſq; ad occaſum in Eccleſia ſancta laudabitur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti inuocabitur, vexillum ſan-

ctum

ctum eius explicabitur, & ante faciem omnium populorum humiliter adorabitur. Et ita factum fit ab eo, qui viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO III.



VI rite perpenderit (Beatissime Pater) naturam malignam peccati, quàm sit eius origo pudenda, & infœlix finis, quam infinite bonitatem Dei offendat, mundum peruertat, & peccatorem deordinet, mentem implens tenebris, affectum iniquitate, vitam scandalis, cor obstinatione, animam morte; vt & viuendo iram in die iræ, & moriendo iudicium sibi thesaurizet, & gehennam; perpendere vel facile poterit quantum sit opus aduentus Messiæ D. N. cum in plenitudine temporis plenitudinem ferens lucis iustitiæ, gratiæ, sanctitatis, redemptionis, & vitæ, illuminauit fide, rectificauit gratia, mundauit sanguine, viuificauit morte, ditauitque meritis, restituens hominem in gratiam, in spem gloriæ, & in libertatem filiorum Dei. Opus enim hoc est omnium maximum totius etiam orbis molitione maius, quod sine ipsamet Deitate expediri non potuit. De quo si ex altitudine rei & loci oritur difficultas fandi vbi adest ratio non tacendi, illud Sapientis tremula ipse arundo exordiar.

Rom. 8.

Tria mihi difficilia sunt, & quartum penitus ignoro: via aquilæ volantis, vestigium serpentis in petra, semitæ nauis in mari, & via viri in iuuentute sua.

Prou. 30.

Inprimis enim quod Aquila illa diuina, inimica serpentum Christus Dominus sit eminentissimus euolans super Cherubin & Seraphin natura, gratia, potentia, virtutibus, & meritis scire licet, & quod de cælo delapsus in hac ipsa Ecclesia posuerit nidum suum, vt alius ab eo Messias, Saluator, & Redemptor non sit expectandus, certo certius est: vt vero tanta maiestas venire, & se ipsam exinanire, & hominem assumere dignata fuerit, vt virgo verbo repente

conce-

conceperit,& virum ſtatim circumdederit, & vnico partu, ac prole diuinam & humanam inter ſe diſtinctiſſimas, & diuerſiſſimas, non mixtas, non compoſitas, non tranſmutatas, non oppoſitas, ſed in tantam vnitatem coniunctas ediderit naturas, vt faciant connubium ſempiternum, & miraculũ perpetuæ felicitatis & gloriæ, vt homo fiat Deus; & Deus homo, immortalis mortalis, lux eclypſis, inuiſibilis viſibilis, ſeruus Dominus, ſupremus infimus,& humanitatem ſubſtineat, & non confundat, ſed conſoletur & beet diuinitas, & formam ſerui forma Dei non adimat; & formam Dei formam ſerui non minùat, via Aquilæ eſt, quam nec mundus capere, nec mens concipere, nec vox fari ſufficit, ſed tantum admirari, & exclamare licet. O inueſtigabiles viæ eius! At admirabilior ſi rite attendatur, finis aduentus eius videbitur. Vnde eſt, vt eclypſetur Sol, niſi vt cæci videant, & mens hominis illuſtretur fide? Cur infirmatur virtus? vt claudi ambulent, vt ſpes erigatur,& confidamus omnia à Patre nos poſſe habere per Chriſtum, quando nobis cum illo omnia donata ſunt. Cur munditíes effecta leproſa, niſi quia vetera holocauſta, & victimæ, lex & Prophetæ mundare & iuſtificare non poterant. (Vmbræ enim erant) & morbus læthalis in mente, non tollitur per vnctionem ſanguinis animalium in carne; vnde Iſaias dolebat, Vulnus originalis, liuor venialis, & plaga tumens mortalis peccati non eſt curata medicamine, neque fota oleo, ideo venit vnguentarius, qui vnctionem confecit ſanitatis, vt mundarentur leproſi. Sic vt ſurdi audiant, Verbum aſſumpſit carnem; & mortalitati noſtræ ſempiterna eſt vnita vita, vt dupla morte mortui viueremus. Hinc & ditati pauperes, quia facta eſt Dei ad humana deſcenſio, vt fieret pauperum ad ęterna prouectio, & ingredi,& egredi detur ad Deum ad hominem,& duplicia feliciſſima inuenire paſcua. O Amor nobilis, qui Deum hominem,& homines deos facis! O ineffabile Sacramentum amoris, O ineſtimabilis dilectio charitatis! Sed aliud difficile audite.

Rom. 11. *Rom. 8.* *Iſai. 1.*

Si Chriſtus petra eſt, ſi fundamentum aliud Eccleſiæ, fidei, & ſalutis, nemo poteſt ponere, quomodo ſuper petram hanc imprimi vnquam potuit ſerpentis veſtigium & peccatum? Quomodo eſſet Chriſtus inter mortuos liber, & de-

1. Cor. 3. *Rom. 8.*

Num. 21. peccato damnasset peccatum? Quomodo secundus homo de cælo cęlestis,& mysticus anguis morsus serpentum sanaret,& cæteros serpentes deglutiret? Necesse erat,vt semen in quo benedicendæ erant omnes gentes, esset sanctum, vt sanctificare posset. (Quis enim potest facere mundum de immundo?)Nec mortis inuentor diabolus originalem dedititij generis nostri, seruitutē admisisset,nisi pro reconciliãdis hostia esset nostri generis socia, & nostræ contaminationis aliena. Ex sanctitate ergo Christi nostra deletur iniquitas,& adducitur iustitia sempiterna: sic mors morte destruitur, vetustas nouitate reparatur, sic de impijs iusti, & de terrenis incipiunt homines esse cælestes, & filij Dei, quando & redemptio aufert seruitutem, & regeneratio mutat originem, & eodem spiritu, quo de virginis visceribus natus est Christus, de sinu sanctę matris Ecclesiæ renascitur Christianus.Perspicite quæso cordatæ mentes, quanti referat nullum in petra serpentis impressum esse vestigium, & quàm pura ab eo reddatur Siloe & Iordanis, quamque secura in peccatorum diluuio euadat Ecclesiæ Arca, in qua vna omnis reconditur salus & sanctitas.

Iob 14.

Et hæc est illa nauis Patres Amplissimi, cuius inuestigabiles penitus sunt semitæ. Quis enim nouit quomodo innascenti sua aurora (ita enim appellari liceat) Baptista noster) in ergastulis posita, & in Ioannis capite minuta; argumentum sumpserit veluti noua Phœnix in latere & morte Christi nascendi, & in Christo in Cruce crescente crescendi? Quæ via est ista, vt dum persequitur floreat,dum opprimitur crescat, dum læditur vincat? Hoc proprium Sponsæ tuæ est, Pater Beatissime, quod de suis cladibus ingrauata triumphat, persecutionibus proficit, tribulationibus dilatatur, sanguine martyrum irrigatur,fletibus pascitur,ieiunijs reficitur, & inde potius augetur,vnde mundus deficit. O humiltas & sublimitas! O tabernaculum Cedar & cæleste palatium & domus lutea, & aula regia,& corpus mortis, & templum lucis, media inter cælum & terram, continens cælestes, & terrestres, vias tuas quis inuestigabit? Tu ante Christum polluta vano deorum cultu: at per aduentum Christi virgo effecta (mirabile dictu) vni viro admirabili Christo desponsata es.

Hic enim vir tuus, vir ille est, cuius iuuentutis viæ penitus

nitus ignorantur, quia nullus mortalium explicare potest, quæ opera patrauerit in terris, quæ itinera virtutum duxerit, quæ miracula ediderit. Exigua illa sunt, quæ ex Euangelio audistis, Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, at si omnia descripta essent, mundus (inquit Io.) capere non posset. *Ioan. 21.*

Vnum illud satis sit. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Agnosce ergo ò homo dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, gratiæ & sanctitatis, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire, quando pretium tuuum sanguis est Christi. *Luca 6.* *Leo Pap. ser. 1. Se. Nat. Domini.*

Noscat & sancta Mater Ecclesia in aduentus Christi humilitate gloriam suam, quoniam ex eius latere orta, & ex sanctitate, & morte eius, sanctitate & immortalitate donata, hoc priuilegio decorata est, vt Sponsa Christi, mater & magistra Ecclesiarum totius orbis dicatur & sit: & quod stipiti ramus, quod capiti membra, quod soli radij, quod fonti riuuli, hoc Apostolicæ Sedis eminentiæ debeant omnes aliæ.

Quod si Asia, & Bithynia, Persis & Oriens, Indus & Scytha vnum non adeunt & colunt Christum, & vnam Catholicam non integrant Ecclesiam, si non illuminantur, rectificantur, mundantur, resurgunt, euangelizantur (testes inuoco cælum & terram) eorum est culpa, cum in Ecclesia sua pro omnibus aduenerit, & factus sit Christus lux, iustitia, sanctificatio, & redemptio, quousque Arcam hanc Ecclesiæ suæ sistat in montibus sanctis, vbi gratia terminetur in gloriam, & fiat in ea Christus forma, vita, & gloria inhabitantium. Amen. *1. Cor. 1.*

ORATIO IIII.



AGNVM inter mulierem & serpentem certamen attendo, magnum bellum dispositum esse considero, magnam sollicitudinem habendam esse cognosco: directa est vtrinque acies, paratum est bellum, statur cominus, proprius consistitur, ab vtrisque intentè prouoca-

tur, vt cautela adsit, sollicitudo intendat, & securitas conquiescat. Stat mulier in procinctu, caput serpentis obseruans & vitans, obseruans, vt calcet, vitans, vt eius morsum declinet. Adest paratus serpens, callidus & subtilis, callidus ne mulieris pede calcetur, subtilis vt eius morsu, vt mulier incauta prosternatur. Hanc pugnam intēdit, & lætus aspicit Deus, quasi præuidens priscam eius in serpente consummandam esse sententiam, hoc breui carmine complexam: Seque suo mulier perimet cum semine cuius, Extremis tantum insidiabere plantis. Hanc pugnam nobis non inutilem audire non dedignetur S. B. & ego breuibus me expediam.

Præclara est illorum sententia, qui mulieris appellatione sanctam accipiunt Ecclesiam, cui perpetuum & irreconciliabile cum antiquo satana hoste certamen horribile indictum est. Ille namque serpens turbulentus, ardens, & natura vehemens tanto in Ecclesiam odio inflammatus est, vt ad illius exitium aperto marte, & furiosissime nihil non moliatur. Sic namque insidiabatur serpens calcaneo Ecclesiæ, Adæ scilicet primo parenti nostro, vt velut extrema de terra terrestris pars corporis Christi, quod est Ecclesia, ob fucatas eius suggestiones plagata, & saucia relinqueretur. Inuidebat enim hostis, quod ipse superioris naturæ, inde ceciderat, quò inferioris naturæ homo accedere sperabat: & quod homo de terra in cælum esset migraturus, vnde infeliciter & irreuocabiliter fuerat ille delapsus. Vnde toto industriæ conatu hominem fraude & versutia sic adorsus est, vt impio telo, quam primum scientiam eius nobilem & innocentiam plagauit, lætalem scientiam insinuando, dicens: Eritis sicut Dij scientes bonum & malum; & criminosam inobedientiam suggerendo, inquiens: Nequaquam moriemini. ita vt perfecta scientia orbatus, & ruinosa inobedientia claudus Adam effectus, sic vocem Altissimi tum vocantis fugiebat, vt non tantum cæcus & claudus, sed & surdus etiam ipse videretur.

Gen. 3.

At pijssima mulier in hostem spiritu fremens, ictuque Ecclesiasticæ pharetræ illum petens, suo comitata sponso, plagas hominis & vulnera pietate curat, charitate sanat, & prouide componit. Qua in re eò peruentum est, vt victus fuerit, qui prius victor credebatur. Incertus est enim

bellorum

bellorum exitus. Nam ſerpens intendebat hominis cæcitatem, obliquitatem, cordis duritiam, fœditatem, ac denique mortem. Mulieris autem & Sponſi eius opera, Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, leproſi mundantem, & mortui reſurgunt. *Matth. 11.*

Cæci vident, quia ſancta mater Eccleſia ſingulari pietate, & lepidiſſimo affectu; ſic mentes noſtras illuſtrat, vt quod ignorat natura, quod mens non capit humana, & quod non percepit ratio creata, à nobis fideliter dignoſcatur. Cæci fuimus in principio, modo videmus in fidei ſpeculo: cæci iam plagati, videmus modo reparati: nam Deum trinum & vnum diſtinctè cognoſcere: originem & noſtri finẽ apice noſtri intellectus illuſtrati attingere; cuncta media in finem reſpicientia, & inuiſibilia quæque, quaſi manu tangere; viatoribus obſcura, quaſi certo ſcire: & præmium noſtrorum laborum fiducialiter præuidere, ſumma hominis diſciplina, grande hominis decus, magna viatoris gloria, & ſingularis honor.

Nos rurſus cæcos illuminat Eccleſia, quia docet ſuperna ad quæ ſuſpiramus; interna, vnde plangimus; externa, vnde laudamus, & inferna, vnde horreſcimus. Coram hac muliere cæci vident, enim vero ipſam ſanctam Eccleſiam etiam videntes Philoſophi cæci ſunt, & pertinaces hæretici in ſua cæcitate peribunt.

Claudi ambulant. En ſecundi vulneris curatio. Nam primus parens noſter morſu inobedientiæ deuictus, obliquus factus & claudus, eius tamen ſanitatem præſefert Eccleſię Sponſus inquiens, Claudi ambulant, ac ſi aperte dicat: Claudi iam non amplius claudi, ſed ambulant; immo & recte ambulant.

Recte autem ambulant, qui relictis impietatibus ad virtutes mouent, in virtutibus proficiunt, & à via veritatis, neque fide, neque opere aberrant.

Recte, inquam, ambulant, qui digne & caute ambulant: digne quidem, qui vt præmio & corona digni ſint, vocationem ſuam laudabili conſummatione perficiunt. Caute vero qui vitantes nociua procurant vtilia. Vtiliſſimum autem eſt manere in Eccleſia (Eccleſię ſeruare pręcepta) & Eccleſię Paſtorem agnoſcere.

Manent in Eccleſia, qui lauari, nutriri, coaleſcere, diligenter

genter saluari petunt ab Ecclesia,cum salubriter cibum,potum,lauacrum, & salutem nō præstet nisi Ecclesia, nec recte Deum amare quis potest nisi in Ecclesia Dei est,quia Deus Ecclesiæ spiritus, & vita æterna est.

Præcepta seruant Ecclesiæ, qui ritus & traditiones Ecclesiæ gratanter recipiunt, & humiliter obseruant: in illis enim est quædam dulcis ad omne bonum directiua notitia, & in obseruationibus earum fidelium fidelissima praxis: in illis inquam traditionibus, cui debeatur honor, cui affectus, cui reuerentia,cui timor, cui consolatio, cui admonitio, cui coerctio, cui disciplina, cui obiurgatio, & cui supplicium, sedulo docet Ecclesia.

Pastorem Ecclesiæ agnoscunt,qui Vicarium Christi recipiunt & colunt, & curam eius non contemnunt, cum extra curam eius non sit sanitas, neque curatio. Huic enim vni claues Ecclesiæ collatæ sunt, illique data omnis potestas in cælo,& in terra, vt euellat, & destruat, ædificet,& plantet. Et propterea ab ipso & à sacrosancta Romana Ecclesia omnium magistra vniuersus orbis instituitur,curatur, & componitur. Huc enim tendit traditionum, & legum prudens conditio, vt scilicet cæci videant. Huc vtriusque Signaturæ prouida institutio, vt claudi ambulent.

Ierem. 1.

Huc Congregationum Concilij, Episcoporum, & Regni consultorum illustrissima prouisio, vt surdi audiant. Huc sanctissimæ Inquisitionis Officiū, vt leprosi mundentur. Huc sacra Pœnitentiariæ opitulatio, vt mortui in peccatis resurgant. Huc tandem copiosa eleemosynarum erogatio vt pauperes euangelizentur. Hinc lacrymæ & suspiria serpentis; in hic & per hæc omnia inuictissima mulier serpentem calcat,vincit, & perdit. Hæc est mulieris victoria, & gloriosus eius triumphus, quo sicut potimur in via, sic Domino concedente fruamur in patria. Amen.



ORA-

ORATIO V.

Laudemus Viros gloriosos, Clamitat Ecclesiasticus.P.B. *Eccli.* 44.



Tsi neque laudis causa virtus capessenda, neque coram laudare tutum sit, aut decorum; virtus tamen ipsa laudem meretur maximam, & eam suo loco, ac tempore, absque adulationis vitio laudare, laudabile est, vtile quoque & fructuosum, interdum etiam necessarium. Laudabile quidem, quia charitatis hoc magnum est argumentum. Vtile ac fructuosum: sicut enim pictores exemplar diligenter aspiciunt, inquit magnus ille Basilius, vt ad eius lineamenta & colores imaginem exprimant; sic qui virtutum imaginem in se exprimere cupit, Sanctorum vitas, dicta & facta diligenter inspiciat oportet. Necessarium demum; nam à natura comparatum est, vt qualia in alijs, vel audimus, vel cernimus, talia fere imitari, & facere soleamus: oues enim Iacob virgas intuentes varias, similes Agnos pariebant: sic iuxta ea, quæ cernimus, seu bona, seu mala, impetus animi operantur. Quod propemodum naturale cum sit, magna est interdum necessitas sanctorum & fortium virorum virtutes præclaras studiose laudari: sic suos senex ille Mathathias ad fortiter pro Dei legibus pugnandum, filios hortabatur, exemplo scilicet Phineez proposito, sic castissima vidua illa Iudith veterum exemplorum memor, fiduciā accepit occidendi Holofernem. Sanctus quoque Isaias sic concionabatur: Attendite ad Abraham Patrem vestrum: & rursum, Attendite ad petram, de qua excisi estis. Diuinus ille præco sic suos alloquebatur, Mementote præpositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini & fidem: sic demum, vt alios taceam, sancti Præcursoris virtutes, egregia & facta à Christo Iesu hodie in Euangelio proponuntur, vt per id, quid Christianos deceat

Basilius. *Gen.* 30. 1.*Machab.* 2 *Iud.* 8. *Isai.* 51. *Ad Heb.* 13.

ceat viros, animaduertamus. Sane virtutem laus, vt vmbra corpus, sequitur: vere sequitur, accurrentem tamen fugit. Sanctus Præcursor sic omnem laudem fugit humanam, vt desertum peteret, ab omni humana conuersatione remotus, & laude alienus, at sic laudatur, vt nemo vnquam mortalium magis. Sed quidnam in eo hodie Christus magni faciat, attendamus. Vnam ne virtutem dumtaxat, aut alteram? minime vero, sed varias, & multiplices. Constantiam scilicet, vitæ asperitatem, futurorum præmeditationem, Angelicam puritatem, ac Præcursoris officium, eximiam dignitatem. Quid existis in desertum videre?

Ioan. 1. Arundinem vento agitatam? Non est profecto Ioannes, arundo quolibet in constantiæ vento agitata, sed Ecclesiæ columna firmissima in amore constans, & innocentiæ im-

Ierem. 1. mobilis conseruator; de quo sanctus Hieremias vaticinans, Ego (inquit) dedi te in columnam ferream. & vere columnã; nam nec ventis, nec tempestatibus, nec mundi hominibus, & fauore commotus. Herodis namque potentiam non timet, nec Iudæorum assentationi cedit. Sed illius incestas improbat nuptias: & his tentantibus, an Christum se profiteri vellet, Confessus est, & non negauit; quia non sum ego Christus. Qui enim hominibus placent, tempori seruiunt, vitijs varijs laborant, ad omnem tentationis pulsationem aurem porriguut, ac animum mutant. Hi profecto arundo sunt vento agitata. Quid per arundinem, inquit

Gregor. Maximus ille Pontifex sanctus Gregorius, nisi carnalis animus designatur? qui mox vt fauore, vel detractione tangitur, statim in partem alteram inclinatur. Non sic, non sic sanctus Ioannes Baptista, nam quod libere, & fortiter fecit, constanter etiam in carcere tenuit; & vt animo constans, sic mollia fugiebat. Quid enim existis videre, hominem mollibus vestitum? idest amicum sæculi, qui eius fruatur bonis? Mollibus namque non erat vestitus sanctus Christi Præcursor, mollia immo abhorrebat, durioribus se affligebat, multisque vitæ laboribus sanctitatem custodiebat. Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt; affirmat hodie Veritas ipsa: & vestes quidem non damnantur, sed vitium vestibus abutentium. Quis ignorat sub purpura multos Deo placuisse, plures tamen sub sacco displicuisse? sunt namque qui in purpura non efferentur, & qui se vesti-

tos

tos sacco, vel dolent, vel certe gloriantur. Magnus sane est quem saccus non deijcit, & quem purpura non extollit: talis erat Dauid, & talis Ioannes Baptista; nam nec ille sub purpura, nec sub cilicio iste arundo erant agitata. Sed quid existis videre? Prophetam? equidem Prophetæ est de Christo prædicere, & ipse Propheta fuit; nam nedum futura prædixit, sed in vtero constitutus, Deum in eo quoque cognouit: sed plusquam Prophetam existis videre, & audire, dum alij quæ de Deo ventura forent, prænunciarunt: at de Ioanne Deus ipse in Malachia prophetauit, inquiens: *Mal. 3.* Ecce ego mitto Angelum meum. Angelus à mundi Redemptore in testimonium esse plusquam Prophetam, ex prophetæ vaticinatione hodie ergo est nuncupatus. Audi nunc, & intellige dignitatem, ait Chrysostomus, puto si non audaciç *Chrysost.* dicere, quòd gloriosior est Ioannes, quia homo fuit, & propter virtutis meritum Angelus est vocatus, quàm si nomine Angelus, & natura fuisset. Angelus enim hoc ipsum quod Angelus est, non tam est virtutis præmium, quàm naturæ proprietas: iste autem mirabilis est, qui humana natura Angelicam sanctitatem transgressus, quod non habuit natura, per gratiam Dei tamen obtinuit. Vere itaque Ioannes Angelus nuncupatur, Angelus vita, Angelus conuersatione, Angelus oratione, Angelus contemplatione, Angelus charitate, Angelus denique & si non natura, tamen puritate. Proculdubio homo sicuti & nos Ioannes erat; sed si vitam, & actiones eius spectemus, nullam videbatur habere hominis similitudinem. Etenim eius cogitatio, eius voluntas, eius desiderium, eiusque denique actio admirandum quid, & diuinum potius, quàm humanum præseferebant, vnde ante Euangelium, Euangelicam vitam ducens, Euangelicus homo, viam præbuit Euangelio. Venit in *Ioan. 1.* testimonium vt testimonium perhiberet de lumine. O vere lucernam ardentem, diuinum lumen ostendentem! ò Prænuncij amplitudinem! ò Præcursoris dignitatem, ac nobilitatem!

Oratione satis explicari possit? quibus laudibus tua dignitas efferri? Vnde autem commodius perspicere quis poterit quanta sit tua nobilitas, quàm ex officio tibi iniuncto? Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. Sed quis de luce perhibere potest testimonium? luce

enim omnia monstrantur, luce omnia clarent; lucem esse per se manifestam, cui non est conpertum? Quis igitur poterit lucem monstrare? datur ne lux maior luce? & si non erat ille lux; quomodo lucem demonstrabat? si lux non erat, potius lucem obscurare, quam monstrare poterat. Attendite quæso diligenter, lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Venit Ioannes, vt tenebris testimonium perhiberet de lumine, non propter lucem, quæ de se clarissima erat: sed propter tenebras, quæ lucem ipsam comprehendere minime poterant: Non poterant, inquam, homines tenebris assueti, apertis oculis solem inspicere: præmissus ergo est Ioannes tanquam lucerna ardens, & lucens, vt per eam ad cernendum solis radios vires acquirerent. Mira res Illustrissimi Principes, & omni admiratione digna, triginta annis inter homines Deus erat, & factus est homo, cum hominibus loquebatur, neque tamen agnoscebatur. Tantum inquam mysterium, tam singulare beneficium in mundo erat, & mundum latebat. Venit Ioannes, vt de hoc homines admoneret, & latentem in homine maiestatem cæteris indicaret: ipse enim erat lucerna ardens, & lucens; vere ardens, & lucens, inqnit sanctus Bernardus, vt nos per hoc quid agere debeamus, intelligamus. Lucet, & ardet homo perfectus: est enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum: ardere, & lucere perfectum. Audiamus quid dicat Scriptura: Sapiens permanet vt sol, stultus autem vt luna mutatur. quia splendet luna sine feruore, modo plena, modo exigua, modo nulla videtur: sic qui conscientias suas in alienis labijs posuerunt, modo magni, modo parui sunt, modo nulli videntur, secundum quod adulantium linguis, vel vituperare placuerit, vel laudare.

Ioan.5. *S. Bernardus.* *Eccli. 27.*

At vero solis splendor igneus est, & cum feruet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor, intus & foris lucet. Et si ei non datur vtrũque, curat semper ardere magis, vt Pater suus, qui videt eum in abscondito, reddat ei. Væ nobis si luxerimus tantum: nam lucemus quidem, & magnificamur ab hominibus. Sed mihi pro minimo est, vt ab humano iudicer die: qui enim iudicat me, Dominus est. Qui feruorem ab hominibus exiget, pariter & splendorem.

1.Cor.4.

Matth.5. Apostolis ac Apostolicis dicitur viris; Luceat lux vestra

coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Apostolus mundi fuit Ioannes, non in vnam Prouinciam, vt cæteri, sed in vniuersum orbem præmissus, vt quem tot retro sæculis ab initio creationis venturum prophetarum cętus prędixerat; hunc ipsum non tam vaticinatione, quàm digito tanquam lucerna ardens & lucens ostenderet. Quid enim venisse profuisset, nisi agnosci contigisset? Christus venit vt pretium redemptionis Deo exolueret. Ioannes vt hæc ipsa redemptio mundo per ipsum innotesceret. Christus vt afferret salutem in medio terræ, Ioannes vt salus illa per vniuersam terram crederetur, Christus, vt viuificaret, Ioannes vt illuminaret: Vt omnes, inquit sanctus Euangelista Ioannes, crederent per illum. Voluit namque Christus per Ioannem aduentum suum esse testatum, vt veluti tanquam alter mediator inter mediatorem Christum, & hominem intercederet. Nam Ioannes homo fuit missus à Deo, vt homines conuerteret: & multos Filiorum Israël conuertet ad Dominum suum. Christus autem venit vt homines à peccatis absolueret: Ioannes ergo correxit, vt Christus susciperet: Ioannes mandauit, vt Christus sanctificaret: Ioannes demum præparauit, vt Christus inhabitaret. Et habitauit in nobis, de Saluatore dicitur: qui præparauit viam, inquit Christus de Ioanne. Quis vnquam Sanctorum, talem in Ecclesia Dei sortitus est locum? quis ad tantum dignitatis gradum ascendit? Nam & si Ioannes propter tenebras in lucis testimonium venerit; maius tamen ipse testimonium à luce accepit, quàm dederit. *Ioan. 1.* *Luc. 1.*

Ioannes enim Christum laudans, humanam illi contulit gratiam; inquit eloquentissimus Chrysostomus: Christus autem Ioanni diuinam contulit gloriam: Ioannes Christum Agnum ostendit: Christus autem Ioannem Angelum prædicauit: Ioannes minus laudauit in Christo, quam erat; nam non tantum peccata mundi abstulit, sed etiam vitam æternam mundo donauit: Christus vero Ioannem supra quàm videbatur erexit, vt qui homo erat, Angelus diceretur. *Chrysost.*

Quid maius ad Ioannis gloriam potest accedere, cum nullus in orbe, Dei etiam testimonio, sit præferendus: quænam maior Ioannis dignitas, quàm vt à Christo, iam viuus

laudaretur? Agnoſcite, inquit, doctiſſimus ille Nyſſenus, magnificentiam laudis, ex dignitate laudantis.


O te igitur beatum Ioannes Baptiſta, quem ille te laudat, qui nec adulari, nec falſo laudare poteſt: ille te magnificat, cuius potentiæ non eſt finis, & ſapientiæ non eſt numerus: ab illo tandem glorificaris, cui ſumma laus, & gloria debetur.



DO-



DOMINICA TERTIA ADVENTVS.



ORATIO PRIMA.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Ioan. 1.



OMMVNIS quidem, satisque vsu recepta (Beatissime Pater) hæc Sacerdotum, ac Leuitarum interrogatio; sed non vulgaris, nec ab omnibus vsurpata Ioannis responsio nobis hodierna lectione proponitur expendenda. Illa siquidem tumore vndequaque referta, hæc singulari humilitate est decorata. Illa sæculi vanitate infecta, hæc prophetico, ac subinde Diuino roborata testimonio. Illa ex falsa suspicione profecta, hæc constanti confessione obfirmata. Et confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. Tu quis es? Ioannem interrogant Sacerdotes, Messiæ eidem vltro offerentes dignitatem: ille vero demissionis scuto protectus, Eliæ nomen, Prophetæ, vel Angeli, alias sibi conuenienس, sponte reiecit, Vocis tantum appellatione contentus. Ego vox (inquit) clamantis in deserto. Quare, propheticum illud nequissimis hisce nuncijs fas erat obijcere: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. temerè redarguentibus: Quid ergo baptizas, si tu Psal.54.

non

non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Verum, vti ex amaro flore, cælesti rore conspersо, mel colligunt apes, non secus diuino adspirante numine, suauissimum sui ipsius cognitionis liquorem ex hoc tam fucato quæsito sugere nobis licebit, illo sapientissimo, ac perinsigni oraculo, *Nosce te ipsum*, memoria retento; ne quandoque nostrorum obliti, obliuioni quoque à Deo tradamur. O infelix, nimisque deplorandum quorundam ingenium, rerum naturalium studijs tantopere incumbentium, domesticis negotijs inuigilantium, profunda maris inquirentium, cælorum cursus, variosque syderum influxus perscrutantium, sui ipsius vera, atque salubri (admirante Bernardo) cognitione neglecta. Qua in re oculis cuncta cernentibus (se ipsis tamen inuisis) meritò comparantur. Quorum propterea impietatem plane designari amphoræ illius visione, quam oculum esse in vniuersa terra Zachariæ vati, quidnam videret, hæsitanti, exposuit Angelus, coniectura quisque facile consequi poterit. Ad perfectam vero sui notitiam comparandam, duo potissimum ob oculos sibi homo proponat: Naturam scilicet ipsam, Christianumque institutum. Vt primum iugiter meditetur, summo animi affectu hunc in modum Diuinus precabatur Vates: Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes, quoniam homines sunt. inde beneficij accepti haud immemor, adiecit: Mirabilis facta est scientia tua ex me: vtramque cognitionem sub eodem prorsus animi sensu efflagitans pater Augustinus, orabat, Nouerim te, nouerim me. Duo autem in homine inter se conspiciuntur longe diuersa, corpus nimirum, & animus. Vniuersa vanitas omnis homo viuens, en corporea moles. Benedic anima mea Domino, qui coronat te in misericordia, & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum: en summa, ac perennis animorum felicitas: ex illo mortalitas, ex hoc perpetuitas: ex priori vix pecudum naturam excedimus, ex altero ad cælestes mentes patet salutaris accessus. Nobis, quales natura simus cogitantibus, homines re vera nudos, pauperes, miseros, de muliere ad laborem, non ad honorem natos, breuique admodum victuros esse, aperte comperiemus. Ex terrena igitur conditione, abiectionem nostram agnoscamus, nuditatem erubescamus, labores deploremus, de muliere

Lib. 2. de consid. ad Eug.

Zach. 5.

Psal. 9.

Psal. 138.

August. in Sol. c. 31.

Psal. 38.

Psal. 102.

Iob 14.

Ibid. 5.

mulierc ortum duxisse, flocci natalia faciamus, ex temporis breuitate fluentis, erumpentibus hinc inde ruinis, ingruentibusque periculis: innumeris pariter insidijs animo vndique presso, vitijs irretito, improbis affectionibus pergrauato, terrestrium cupiditatum feritate percusso, metus exterius, interiusue pendet assiduus. Hasce tum animi, tum etiam corporis calamitates Rex ille Salomon ad summum sapientiæ, & dignitatis fastigium euectus, graphice describens, in hęc verba prorupit: Sum quidem & ego mortalis *Sap. 7.*
homo, similis omnibus, ex genere terreno illius, qui prior factus est. Detestemur itaque perniciosam hanc humanæ mentis cæcitatem, qua homo sui ipsius ignarus efficitur. Eia agite (Amplissimi Patres) dignoscamus quæso nos ipsos, in quibus non modica elucet animorum præstantia; *Gen. 2.*
se namque homo ad sui conditoris imaginem formatum, immortalitatis participem, Diuinæ naturæ consortem, cælorum hæredem, & Angelorum conciuem quandoque futurum, luce clarius conspiciet. Hæc si mortales secum tota mente reuoluerent, cunctis huius sæculi, cum Ioanne Baptista effugatis fallacijs, ad ea dumtaxat, quæ præparauit Deus diligentibus se, consequenda, toto conuerterentur affectu; neque apponerent vltra magnificare se super terram; sed blandientem hanc desidiam procul pellentes, terrestriũ *Psal. 9.*
voluptatum iam somno sopitos, ad sui notitiam assequendã, se ipsos vel maximè excitarent. Quod vt diuinitus efficeretur, sic Isaiæ præcepit Omnipotens: Clama. Quid (re- *Isai. 40.*
spondit Propheta) clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Clamare iusserat Dominus, quia *Psal. 13.*
de cælo prospiciens super filios hominum, si est intelligens, aut requirens Deum, vidit (proh dolor) omnes declinasse, simulque inutiles effectos, statuisse oculos declinare in terram: suo non dissimiles Protoplasto, qui cum in honore es- *Psal. 16.*
set, non intellexit, sed iumentis insipientibus comparatus, è deliciarum loco in maximã deiectus est miseriam. Quod non obscure exprobatum est Sponsæ: Si ignoras te ò pul- *Cant. 1.*
cherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos, carnis scilicet effrænis affectibus nutriendis: iuxta tabernacula pastorum, vbi petulantes homines dominatrices animi cupiditates pascere solent. Quorum indignum plane obsequium, tamquam

idolola-

Isai. 44. idololatriæ scelus reprehendens Propheta, inquit: Pars eius cinis est, & cor insipiens adorauit illud. Si rursus quid nobis profitendum sit, æqua lance libremus; non quidem homini quantumuis præpotenti, sed vniuersorum Conditori fidem spopondisse, iustitiæ baptismali ad Agni nuptias degustandas, candida stola suscepta: eamq. postmodum (ò impiũ facinus) accumulatis flagitijs violasse, minime diffitebimur. Cuius ingrati animi, fractæque fidei vitium

Deut. 32. spiritus nobis Diuinus ita exprobrabat: Hæccine reddis Domino Deo tuo popule stulte, & insipiens? Stultissima quidem res est, ac prorsus detestanda, vnà cum Anania, &

Act. 5. Saphira Deo primæ veritati mentiri. Nil certe perniciosius viro Christianæ fidei cultori (teste Hieronymo) quàm proprio munere posthabito, se ipsum, opificemque suum obliuioni tradere. quo tam graui scelere inter alios Saul,

1. Reg. 16. & Rex ille Ægyptius infecti quandoque fuere: quos pro-

Exo. 14. inde superbientes, Deique monita contemnentes, & imperijs orbatos, & cruciatibus perpetuis mancipatos, sacra contestantur oracula. Id malorum genus, vt caueret Domini Præcursor, tenera sub ætate deserti antra, sæculi honoribus quantumlibet sponte oblatis, omnino reiectis, sibi

Ioan. 1. petendum, sapientissime duxit. quamobrem à Sacerdotibus hodie an Messias foret, rogatus; confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. sed

Isai. 40. iuxta propheticum vaticinium respondit: Ego vox clamantis in deserto. Ecquid (obsecro) vox est, nisi spiritus

Psal. 77. vadens, & non rediens? En vanitas humana diuino præsignata mysterio. Neque vox clamans, ne quid sibi plus æquo tribuere videretur; sed clamantis adiecit, vt nos ipsos, & quæcumque nostra in Deum bonorum omnium largitorem referenda, insinuaret. Quare humili corde, ac mente pura debitas illis gratias hunc in modum persoluamus: Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.



ORA-

ORATIO II.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, *& Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es?*



VLLVS est in hac vita locus (Beatissime Pater) nullus est hominis status, qui periculis subiectus, & vehementibus tentationum procellis, non reperiatur obnoxius. Nullus est qui hanc vitam viuat, & placida animi cōstitutione potiri possit. Infestissimus dæmō, quasi quidam latrunculus, & viarum obsessor, frequentes insidias tendit, deceptionis laqueos parat, & nos in lætale periculum curat abducere. Et licet malos, quos quieto quodam iure possidet, non infestet: per eos tamen in bonos impetum facit, vt eorum cordibus inconcussa potestate dominetur. Et sicut pirata, qui mare nauigijs peruagatur, non nauim portu exeuntem, sed cum primum conspexerit eam onustam sarcinis redeuntem, inuadit: ita dæmon, simul ac viderit animæ nostræ nauigium pretiosis virtutum lapidibus plenum, ipsum irrumpit, vt demergat. Hoc vnum præcipue sacrosancta Euangelij lectio, hodierna luce non obscure demonstrat. Ioannes gratia decoratus, desertum peragrat: non homines, sed Angelos socios habet, humi cubat, locustis nutritur, æstu cruciatur, & gelu, Deum trinum veneratur & vnum, & tamen dæmonis instigatione tentatur, vt sibi Christi honorem vendicet, ac dignitatem. Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Iure certè, ac omni merito dixerat doctus ille, & re, ac nomine sapiens: Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Verum quæ fuerit huius missionis, & tentationis ratio, vel causa, quo item pacto sacer Præcursor se

Greg. ho. 11 in Matth.

Greg. lib. 4. mor. 21. to. 2

Chrysost. ho. 3. super cap. 6. Isai. 1.

Ioan. 1.

Eccli. 2.

se liberarit, paulo longius dicendum est. Principio dicendum existimariin Iudæos non ignorasse Ioannem non esse Messiam, vel Redemptorem mundo promissum: nam nec in
Mich. 5. Bethleem fuisse natum, nec de tribu Iuda, satis aperte no-
Isai. 32. uerant. Nullum præterea miraculum aspexerant, cum tamen Christus ingenti quadam hominum admiratione, innumera præstitisset: sed diuitijs, honoribus, voluptatibus, alijsque fluxis, ac perituris bonis seipsos tradentes, inutilem Christum temerè censentes (quippe qui ea despiciens, æterna atque cælestia prędicabat) eum quærebant Messiam, qui eos voluptatibus perfunderet, vrbana negotia non negligeret, terrenumque ac temporalem quæstum
3. Reg. 22. facilè pateretur. Ecce Achab, qui Micheam vera dicentem, ac prædicantem in vincula dedit, & eos prophetas quæritabat, qui & regi blandirentur, & ad voluptatem,
1. Reg. 14. non ad veritatem loquerentur. Ecce Saul, qui (non respondente sibi Domino quæ voluisset) phytonissam quæsiuit, vt Samuelem quàm citius excitaret. Ecce Ochozias, qui (grauissima infirmitate correptus) stultè consulere voluit Deum Accaron. Hinc igitur perditissimi Iudæi Messiæ honorem soli Christo debitum, Ioanni volunt offerre, vt tanti beneficij memor, eorum vitia dissimulet, auaritiæ pariter
Ioan. 1. atque ambitioni faueat, studeat, suffragetur. Vos misistis ad Ioannem? dixit Iesus Phariseis, & voluistis ad horam exultare in luce eius. Hoc est, Ioanni honorem obtulistis, vt eius prętensa licentia, licentius illecebris studeretis. Sed re vera tantum facinus Christi famulum commissurũ, opinari nefas erat, cum ab ineunte ætate in his mundanis ineptijs, in his vanis ac perituris huius sęculi rebus abijciendis, eximiam sui animi pręstantiam & fortitudinem optimè ostenderit. Libet itaque audire Ioannem sapientissime respondentem: Non sum ego Christus, non Helias,
Gen. 39. non Propheta, sed vox clamantis in deserto. Ioseph, cum in Ægypto domum reliquaque bona domini sui sibi credita sciret, vxorem non ignorauit exceptam: nouerat mulierem gloriam esse viri, & ingrati hominis esse dehonestare eum, à quo mirificè dilectus, honore maximo cohonestatus erat. Ioannes bona meminerat, quę sibi Christus cęlitus attulerat, & inde meritas gratias persoluens, grato animo præ-
Psal. 115. cinebat: Quid retribuam Domino pro his quæ retribuit mihi?

mihi? Afferte, afferte Domino gloriam & honorem; & *Psal. 28.*
nunc interrogatus, Tu qui es? consulto respondet: Non sum ego Christus. Confessus est, refert Diuus Euangelista, & non negauit, & confessus est, quia non sum Messias. Confessus est veritatem, non sum ego Christus: confessus in corde, non negauit in ore. Confessus est coram amicis, & inimicis, quia non sum ego Christus. Magnam vim maioremque emphasim præseferunt verba semel, atque iterum repetita, apertè siquidem indicant immane nefas esse, impiumque facinus, & sacrilegum semper, honorem Dei sibi homines arrogare. Paulus, & Barnabas, cum eos Ly- *Act. 14.*
strij ciues propter edita miracula venerari, & adorare vellent, conscissis tunicis, tantæ impietati repentè obstiterunt, dicentes: Viri, quid facitis? & nos mortales sumus. Neque vero contenti ab hac temeritate populum reuocasse, cursu, voce, vestiumque abscissione, quantus eos tremor inuasisset, satis superque indicarunt. Simili consilio, & affectu Ioannes à se diuinos honores depellit, inanem hominum gloriam detestatur, & de se humillimè sentiendo, magna animi submissione respondet: Non sum ego Christus, sed vox clamantis in deserto. Ecce (Patres Amplissimi) miles expertus, qui cùm viderit per aërem, & super caput volitare sagittam, ne cadente vulneretur in capite, sese demittit. Ecce, inquam, Ioannes, qui, ne inanis gloriæ callidæ insidiatricis offendatur ictu, demissè respondet: Non sum ego Christus, non Helias, non Propheta, sed vox clamantis in deserto. Mirentur alij alia in Ioanne, ego maiori, ac potiore iure humilitatem eius admiror. Nam non inquirere, neque desiderare honores, & alta loca, perfectum quidem est, sed oblatos respuere, iisque minime delectari, hoc summum est, hoc Ioannis est. Non magnum est in abiectione humilem esse, sed magna prorsus & rara virtus est, humilitas honorata. Haud satis ponderare queo, quem splendorem humilitas habeat. Hæc Deum hominibus peperit, hæc vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. Hæc est aqua, quæ tantò altius ascendit, quantò eam quisque ad ima deducit. Sed ad Ioannem redeamus, & illuc oratio reuocetur, vnde aliquantulum declinauit. Non sum ego Christus, non Helias, non

Propheta. Vnus eſt Ioannes (tradit D. Bernardus) & ſecundum non habet. Si diceret, Chriſtus ſum, ſecundum haberet, quia alius eſt Chriſtus. Si Helias, ſecundum haberet, quia alius eſt Helias. Iam vero quia vnus eſt, ſecundum non habet. Neque Chriſtus, neque Helias, neque Propheta, ſed ego vox clamantis in deſerto. Vox quidem,
Gen. 41. ſed docens quæ ſunt Chriſti Domini. Dum Ioſeph regio curru vehebatur, ſumma animi alacritate præco clamabat, vt populus flecteret genu, & vniuerſæ terræ Ægypti Præpo-
Iſai. 12. ſitum coleret, veneraretur. Medius veſtrum ſtetit (cecinit cæleſtis ille Vates) quem vos neſcitis, cuius non ſum dignus corrigiam calciamenti ſoluere. Iure optimo in medio Chriſtus, eſt enim medius inter veterem legem; & gratiam Euangelij, & qui eum præceſſerunt, ſequunturque, per eum miſericordiam conſequentur. Erant ante peccatum quaſi contigua Deus & Homo; qui ſi innocens perſtitiſſet, mediatore non indiguiſſet. Verum dæmonis veſtigia ſectando, & ad eius caſtra transfugiendo, turpitudini ſe dedit, & veluti ingratus, in Deum benefactorem optimum deliquit. ex quo factum eſt, vt peccatis atque flagitijs receſſerit à Deo, & longè ab impio Deus. Chriſtus autem clementiſſimus Dei Filius, noſtræ ſalutis auctor, vt è mundo peccatum aboleret, dæmonem detruderet, longèque depelleret, & nobis æternum Patrem animo clementem, & vultu
Ioan. 2. placidum redderet, factus eſt mediator noſter, propitiatio noſtra. Singulare profectò beneficium, & gratiſſima recordatione dignum: quemadmodum enim ſi inter cælum & terram vacuum eſſet, nulla è cælo ad terram influentia deſcenderet: ita ſi inter Deum Patrem & hominem Chriſtus medius non eſſet, nec quicquam boni haberemus. Ipſe namque origo fontium, fluminum mare, virtutum auctor, ac ſcientiarum Dominus eſt. Continentia carnis, cordis munditia, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Si quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde eſt. Theſauri ſapientiæ, atque ſcientiæ, ibi omnes abſconditi ſunt. Quid? recta conſilia, iuſta iudi-
Iſai. 12. cia, ſancta deſideria, riuuli ſunt fontis illius. Exulta igitur, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël. Verum & animi circunſpectione, & diligentia
Ibidem. curandum eſt, nè nobis dicatur: Medius veſtrum ſtetit,

quem

quem vos nescitis. magnum siquidem dedecus, & ingens animæ periculum est, nolle cognoscere eum, à quo quisque factus est. Infelix homo (proclamat Augustinus) qui multa nouit, Christum autem nescit. Beatus autem qui Christum nouit, si omnia alia nescit. Consueuerunt homines (Beatissime Pater) cælestium atque terrestrium commendare scientias, de ijs grauiter, & peracutè disserere: at prudentiores quidem, & longè sapientiores sunt, qui Christi notitiam curant habere. Cęterum, si Christum ignoremus, quomodo sperabimus in eo, quem ignoramus? Væ cæcis oculis, qui non vident Christum, lumen verum, lumen admirabile, lumen superlaudabile illuminans omnem hominem venientem in mundum. Eia igitur ad Christum confugiamus, Christum prædicemus, mentem, & linguam ad Christum laudandum excitemus; & cum pro nobis apud Patrem ardentissima quadam benignitate, & charitate, mediatoris munere functus sit, grati animi recordatione debitas sibi gratias persoluamus.

ORATIO III.



EMINISTIS arbitror, Pater Beatissime, Sacer Amplissimorum Patrum Senatus, validissimæ illius vocis, quæ in huius sæculi deserto potentissimè dum clamaret, fidissimi simul testis & egregij Concionatoris officium, solertissimique Præcursoris ita re, vt nomine præstitit. Id enim mihi superiori anno ex amplissimo hoc loco dicenti argumentum orationis fuit. Nunc vero postquam vocem ipsam in eremo clamantem pro virili nostra patefecimus, & rerum ordo, & ratio ipsa exposcere videtur, vt ipsius etiam vocis clamorem qualis scilicet fuerit, explicemus. Dirigite, inquit, viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Libet Patres Amplissimi, ipsa quoque diuini vatis verba in medium afferre: vt quàm concinne prophetica simul, atque Euangelica *Ioan.1.*

tuba

tuba sibi inuicem occinant, & adstipulentur, nonnulla intimorum sensuum voluptate, velut cælestem quandam harmoniam percipiamus. Parate, ait, viam Domini. Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Duo igitur hæc tantummodo à me explicanda attendite, Amplissimi Patres, quæ nam hæ semitæ sint, & qua ratione parandæ, ac dirigendæ. Et ne quis huiusmodi vias aut nosse, aut ignorare, nostra parum fortasse nihilue referre putet, audiat ipsum Dominum per Prophetam suum, sic comminantem: Ipsi inquit, non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Quod si ex harum viarum inscitia in Diuinam iram incurrimus, & cælestis patriæ hæreditate priuamur, orandum certè nobis est cum Psalmographo, vt vias nobis suas Dominus patefacere, & semitas suas nos docere non dedignetur.

Isai. 40. *Psal. 94.*

Porro & si multæ & incomprehensibiles, immo vero inuestigabiles (vt dixit Apostolus) sint viæ Domini, aptissimè tamen eas ac veluti breui quodam compendio colligit, in Psalmo sacratissimus Vates, vbi ait: Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Siue enim has vias æternas Diuinæ mentis cogitationes, & rerum ideas accipiamus, de quibus, vt reor, alibi idem diuinus Psaltes canebat: In mari viæ tuæ & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur; in his & misericordiam & veritatem contemplari licet: tum quia sola sua misericordi bonitate, de vniuerso hoc producendo, iuxta æternum, quod mente gerebat simulacrum, Deus præcogitauit: tum quia res ipsæ, vt rectè affirmant Sancti Patres, in se quidem veræ sunt, at in Opifice Deo sunt ipsa veritas.

Rom. 11. *Psal. 24.* *Psal. 76.* *August.*

Siue etiam has semitas rerum ipsarum productiones intelligas, iuxta quem sensum sanctus Iob, luciferum principium viarum Domini appellauit, in his similiter Diuina misericordia atque veritas clarissimè splendent.

Iob 40.

Misericordia quidem, in ablatione defectus, veritas autem in iustissima distributione. Quia nimirum quicquid Deus rebus à se conditis tribuit, conuenienti ordine ac proportione distribuit. Quicquid vero his tribuitur, ex ipsius dumtaxat benignitate proficiscitur. Vniuersæ igitur viæ Domini misericordia & veritas. Sed si præcepta Dei, vias eius interpretemur: in quibus scilicet nos ambulare vult

& con-

& conuersari, hęc profecto maxima misericordia atque veritate plena esse cognoscuntur, ab ijs prærsertim qui cum Propheta verè pronunciant: In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. Omnes denique Diuinæ actiones, quæ viarum etiam nomine in sacris litteris designantur, misericordia itidem ac veritate comprehenduntur: optimo diuinorum eloquiorum interprete Augustino attestante, vbi ait: Docebit, inquit Psalmista, mites vias suas. Quas autem vias docebit eos? nisi misericordiam, qua placabilis est, & veritatem qua incorruptus est? Quorum alterum præbuit donando peccata, alterum merita dijudicando. Et ideo vniuersæ viæ Domini, duo aduentus Filij Dei: vnus miserantis, alter iudicantis. Vnde & perspicitis opinor, Ampliss. Patres, quàm rectè moneant Isaias atque Præcursor, vt in vtroque Redemptoris nostri Aduentu paremus viam Domini, rectasque eius semitas faciamus.

Psal. 118.

Psal. 24.

P. August.

Parabimus autem atque dirigemus, si nullis nostris meritis in primo eius Aduentu nos liberatos esse cernentes, deponamus superbiam, & in secundo examinantis seueritatem caueamus, qui subuenientis clementiam experti sumus. Hoc nempe est parare viam, auferre sentes, lapides, lutum, cæteraque impedimenta, idest, præterita errata deflendo, à futuris pręcauere, hoc dirigere semitas, obliquas, scilicet ac vitiosas viuendi rationes ad rectam virtutis normam componere, viasque nostras in Domini vias felici commutatione transferre. Viæ siquidem hominum sunt, iniquitas, cupiditas, elatio, mendacium, dolus, fraus, ambitio, detractio, hypocrisis & his similia. Quę quàm toto distent cælo ab illa misericordia, ab illa veritate, quibus vniuersas vias Domini Propheta conclusit, vel lippis ipsis, & cęcutientibus manifestum est. Vnde non immeritо Ieremias ciues suos hunc in modum hortatur: Bonas facite vias vestras, & studia vestra. Paremus itaque Patres & nos, non nostras, sed Domini vias, & aduentanti Domino iter in animis nostris aperiamus, & scelerum detestatione atque expiatione semitas purgemus, vt rectà ad cordis nostri thalamum Saluator gradiatur, ibique maneat atque insideat, aduentuque suo nos bonorum omnium compotes efficiat. Amen.

Ierem. 7.

ORATIO IIII.

Ioan. 1. *Confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.*



E ſuprema apud Iudæos dignitate (Beatiſſime Pater) Baptiſta ſanctus rogatus, cuius iam ſpecimen totius vitæ auſteritate, ac ſanctitate, diuina prædicatione, & noui baptiſmi adminiſtratione ſatis dediſſe videbatur) non frigide & cunctanter, ſed prompte & conſtanter illum ſe eſſe quem illi arbitrabantur, pernegauit. Confeſſus eſt & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Huiuſmodi ad Sacerdotes, & Leuitas ſalutare reſponſum, cur tam efficaciter, toties iterata confeſſione, exaggeret Euãgeliſta, paucis percurram, modo diuinum adſit auxilium, ſimulque Ampliſſimorum Patrum, grauiſſimique conſeſſus non minus benignum, quàm deuotum concedatur cum attentione ſilentium, &c.

Nullus vnquam mortalium eſt repertus, qui tantopere in ſui, aut amicorum ſuorum puro, & incorrupto ſeruando honore fuerit ſtudioſus, vt ſancti omnes erga vnius triniq. Dei gloriam, & honorem, nil prorſus de eo detrahentes, ſibique tribuentes. Vnde parta ab Iſraële contra Amalechitas victoria, Moyſes in gratiarum actionem ædificatum altare appellauit, Dominus exaltatio mea, quia, ſubdidit, manus ſolius DOMINI erit contra Amalech à generatione in generationem. En ſeruus DEI, neque propriæ virtuti, ſuis rationibus, aut dexteritati, neque populi viribus, ſed omnia ad votum obtenta, ſoli DEO (à quo omne datum optimum & omne donum perfectum eſt) adſcripſit.

Exo. 17.

Iacob 1.

Paulus & Barnabas, cum illis diuinos honores Lyſtrenſes, propter ſanatum claudum exhibere vellent, conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas, clamantes; Viri quid hæc facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, an-

Act. 14.

nunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum. Petrus & Ioannes ob simile miraculum, accurrenti populo dixerunt: Viri Israëlitæ quid miramini in hoc, aut quid intuemini? quasi nostra virtute & potestate fecerimus hunc ambulare? *Act. 3.*

Petrus item Cornelium Ducem Romanum coram seipso procidentem (tanto alioquin dignus honore) his verbis eleuauit: Surge, & ego ipse homo sum. Immo Angelus quidam Ioanni in Pathmos apparens, Ioannem ipsum ad eius pedes, vt illum adoraret procumbentem, statim sic monuit: Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentiũ testimonium Iesu, Deum adora. Non secus omnia nostra, seu naturæ, seu gratiæ munera in Dei conspectu offerre nos semper oportet, & mittere meritorum, si quæ adsint, coronas ante thronum Dei viuentis, cum iustis omnibus acclamantes, Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem: Laudem dicite Deo omnes sancti eius, & qui timetis eum pusilli & magni: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Ibid. 10.* *Apoc. 9.* *Apoc. 4.* *Apoc. 19.*

Gratam hanc sanctamque gentem fauoribus explosis humanis, omnia in Deum, vt par est referentem sanctus commendabat Gregorius: Sunt namque plerique, inquit, continentes, qui ab exteriori se appetitu custodiunt, & spe ad interiora rapiuntur, carnem macerant, & toto desiderio ad supernam patriam anhelant, æterna præmia expetunt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt. Hi nimirum gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscíētiam contegunt. Ingens profecto cura, & sollicitudo maxima sanctorum semper extitit, vt non leuiter, & oscitanter, sed acriter & accuratè laudis & excellentiæ famam, ita à se longissimè repellerent, vt ne quidem illam in veris virtutibus, veraque laude dignis, vllo pacto admitterent: Baptistam immitantes, in quo sic vincebat sublimitatem nominis, humilitas cordis, vt non tantum posset eum vniuersus mundus erigere, quantum seipsum magno sanctitatis studio deijciebat solus. Quod hodierno responso, omni prorsus vero Messiæ honore tributo, non obscurè commostrat: Et confessus est, quia non sum ego Christus. Quanto se quisque submissius gerit, tanto altius diuinitus extolli, chariusque diligi à Deo, ex hoc humili Baptistæ responso *Psal. 113.* *Gregor.*

facilè docemur. Dauid etiam cum ſibi denuntiati, ſe generum futurum Regis, hac humilitate reſpondiſſet: Quis ſum ego, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſraël, vt fiam gener Regis? tunc minimus inter fratres, dum oues in deſerto paſcit, in ſiluis, & ſpeluncis latitans ac victitans, ad Regiam inde fuit dignitatem euectus.

1. Reg. 18

Petrus quoque Redemptori dicens, Exi à me quia homo peccator ſum Domine: illico audiuit, Ex hoc iam homines eris capiens. fitque poſtea paſtorum Princeps, Petra, & fundamentum Eccleſiæ, clauigerque Regni cælorum. Baptiſta aſſerens hodie ſe non eſſe dignum, vt calceamentorum Chriſti corrigiam ſolueret, quod tamen minimum erat obſequium, ac ſe eſſe Chriſtum negans, dignus poſtmodum fuit, vt manum ſuam eius capiti imponeret in Iordane, & ab eodem Domino magnificè commendaretur: Inter natos mulierum non ſurrexit maior Io. Baptiſta. Magnum id fuit diuinæ gratiæ argumentum. Quoties enim quis verè ſeipſum (vt Baptiſta) demittit, ſibi tum Deum eſſe propitium, ſic è contra infenſum, mox credere fas eſt. Propterea Saul dum Dei eſſet amicus, ad populi ſui regnum renuens ſublimari, in hæc verba prorupit humillima: Numquid non filius Iemini ego ſum, de minima tribu Iſraël, & cognatio mea nouiſſima inter omnes familias de tribu Beniamin? At acri illa in eum merito lata, & audita ſententia, Quia proieciſti ſermonem Domini, & proiecit te Dominus. hunc in modum ſuperba mente reſpondit: Peccaui, ſed nunc honora me coram Senioribus populi mei, & coram Iſraël. Expendite, quæſo, quantum à ſe ipſo nunc differat Saul: etenim ſua culpa reprobatus à Deo, tunc coram hominibus honorari inuerecundè petijt. Verum cæli gratia perfuſus, ipſum cõtemnebat honorem, nec ſolum de minima tribu, ſed & de minori minimę tribus familia vocare ſeipſum non erubuit, & in Regem electus, abſconditus eſt domi. Ea enim eſt veræ humilitatis conditio, vt quo quis vberius donis cæleſtibus fuerit illuſtratus, eò fixius, & intenſius, terram ex qua conditus eſt, tota mentis acie inſpiciat, & contempletur, ſeque puluerem agnoſcens, eius ſpectata vilitate, ac fragilitate, ſemetipſum magis, magiſque deijciat. Quod ob oculos habẽs Ambroſius ita prodidit: Sicut apis quoties acres ventos ſuſpectos habet, lapillis ſæpe ſublatis, per inania ſe

Luc. 5.

Matth. 11.

1. Reg. 15.

librat nubila, ne leue alarum remigium præcipitent flabra ventorum: sic quisquis à vanæ gloriæ vento sibi timet, ne eius impulsu intransuersum rapiatur, culparum suarum meditatione assumpta, mentis suæ cogitationes libret, vt quantum potuit eum vanagloria attollere, tantum deprimat humilitas. Præstabant id primi illi Ecclesiæ Patres, qui cum alicubi aliqua inciperent sanctitatis opinione clarescere, inania huius sęculi à se procul pellentes, ignota loca, eaque vilissima petebant, sacra illa monita probe callentes: Quæ est enim vita nostra? Vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Confide autem in Deo, & mane in loco tuo: facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. Noli quærere ab homine Ducatum, atque à Rege cathedram honoris. Hanc hodie repudians Baptista, confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. O admirabilis doctrina, recusat vir sanctus, quod verè non est, reputari: nos vero peccatores miseri, & infelices admodum, quod non sumus, appetimus existimari: Humiles dum superbi: mites dum iracundi, benigni dum seueri, vtiles dum inuidi, liberales dum auari, continentes dum impudici, sobrij dum edaces, solliciti dum negligentes, peruigiles dum dormimus, prudentes dum stulti, fortes dum timidi, iusti absque iustitia, docti dum imperiti, diuites dum pauperes, illustres dum ignobiles, boni denique dum mali alijsque peiores. Reiecit Baptista, licet sanctissimus, sibi dignitatem oblatam, nos autem vani, quod non offertur, neque fortasse conuenit, vt illud assequamur (etiam cum propriæ salutis dispendio) summopere desudamus. Immo vero quod magis deplorandum est, honoribus ipsis ac dignitatibus indebitè forsan nos aliquando aucti, gaudemus, lætamur, atque ridemus. Auertat Deus (obsecremus) auertat, ne risus hic dolore quandoq. misceatur, & extrema gaudij luctus occupet, hisque comparemur, qui tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi: ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Quos etiam diuina ita carpit Sapientia: Vsquequo paruuli diligitis infantiã, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam? Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis, id quod timebatis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & in-

Iaco. 4. *Eccli. 11.* *Ibid. 7.* *Prou. 14.* *Iob 21.* *Prou. 1.*

teritus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio, & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Magna certè stoliditas, maior temeritas, maxima impietas est hic improbus prælationis affectus. Puerilis quidem stultitia, cum veris honoribus ex virtute procedentibus, vmbraticos, falsosque in caducis constitutos, miserè nunc homines quidam anteponant, & his adeò corrupto oblectentur iudicio, vt ad eos parandos, aut tuendos, & humana, & diuina iura non dubitent violare; nescientes miserrimi, quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet, & incipiet à domo Dei iudicium. Estque temeritas maior, impietasque maxima, alijs præesse velle, & subesse numquam: quod arguens Bernardus, aiebat: Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc verè non sapio, quæ Dei sunt. & alibi: Radix iniquitatis ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminis fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina languorem. Christus Dominus pestem hanc, tamquam ethnicum affectum, atque adeò doctrinæ, ac vitæ Christianæ cultoribus indignum à
Matth. 20. suorum cordibus abducere volens: Qui maior est (inquit) fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Quid enim reuera aura laudeque populari fucatius, & inani gloria mendacius? quæ vt sentit Basilius, spiritualium ope-
Mar. 12. rum est latro, blandus animarum hostis, sub mellis illitu fraudis suæ venena propinat, & poculum ijs mortiferum porrigit, quos captiuos tenet, eos ad omne nefas facile impellit. Quantuncunque id turpe sit, & inhonestum, nec modo honestas omnes actiones subuertit, sed ad improbas
Luc. 9. quoque facit iter. Erudiamur ergo, erudiamur (obsecro) non semel repetito, eoque saluberrimo Baptistæ responso: vana quæcumque atque inprimis superbiã gehennæ matrẽ, & bonorum operum (vt ait Chrysostomus) naufragium, ad superiora semper pro quibus contendunt omnes perniciosè anhelantes, neruis omnibus fugientes, humilitatem
omni

omni diligentia amplectentes. Hæc enim tam pretiosa virtus inferiora, quorum nulla vnquam est, pugna continuo petens, concordiam inuenit vbique & pacem, quam cum mundus iste immundus dare non possit, diuinam, diuque noctuque hac nostra præsertim asperrima ætate, in summis versante angustijs imploremus clementiam, vt illam tibi potissimum (Pater Beatissime) & vniuerso gregi, tuæ pastorali credito vigilantiæ, hostium sublata formidine, elisa superbia, prostrataque contumacia, ac omnibus catholicæ Ecclesiæ gremio ope diuina restitutis, humillimo intercedente, ac protegente Baptista, impertiri dignetur. Amen.

ORATIO V.



ON alienum ab Ecclesiæ instituto hoc sacrosancto Aduentus tempore videtur esse, Pater Beatissime, vt aliquid de Ioannes Baptistæ laudibus dicatur, ita enim laus omnis, quæ in Ioannē conuenit, cum Christi laude coniuncta est; vt magnam vim habere ad eius aduētum comprobandum existimari debeat. Sed quoniam neque Ioannis laudes singulas percenseri temporis patiuntur angustiæ, neque is, quem Christi breuissima illa quidem, sed diuina tamen laudatio exornauit, cuiusque dicendi desiderare copiam videtur, tres dumtaxat ex hodierni sacri Euangelij historia Ioannes laudes summa breuitate perstringam: verum has laudes ex his, quæ alio loco de se Ioannes asserit simili ratione intelligi posse existimo, qua præclarissimi colores vmbris distingui, atque illustrari solent, cum aliquando totius religionis monumenta Iudæorum scelere in Ioannis potestatem adducerentur, isque in eum locum expetiretur, qui summus est in Ecclesia, qui Christo vni debebatur, quique nisi cum totius humani generis pernicie occupari ab alio non posset. Ioannes neque sui oblitus, neque vnquam dissimili tanto animi ardo-

ardore inprudentissimam Iudæorum legationem repulit; vt ne explicari quidem pateretur, & confessus est, & non negauit: & confessus est, quia non sum ego Christus. Cumque eorum insania vehementius vrgeretur, Elias ne aut Propheta esset, ac tandem importunitate, à modestissimo viro sententiam de se ipso extorquerēt: neque se Eliam, aut Prophetam, sed vocem quandam esse affirmauit. Iam, vt vmbram cum colore conferamus, vocem ille rem sanè multo arundine tenuiorem affirmarat. Christus non arundinem, sed videlicet solidam quandam esse arborem docet, eius similem, de qua illud Dauidis extat, Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. quod sterilis arundinis dissimile fructum suum dabit in tempore suo, cuiusque non modo truncus nullo ventorum impetu commouebitur, sed ne folium quidem defluet: arundinem ita tenuissima quæque aura exagitat, vt rectum retinere statum diutius non possit. In huius arboris trunco verba illa leguntur incisa: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Illud tamen in laudes arundinis referri solet, quod vento frangi non potest, at neque transferri, vt marcescere eodem, quo sita est loco, pluuiarum iniuria cogatur, hæc vera arbor, nec flecti, neque frangi potest, sed vi Herodianæ crudelitatis, tamquam vehementissimo quodā vento transferrenda fuit, vt Christi etiam ad inferos præiret aduentum. Nunc alteram Ioannes laudem attingamus, Eliam ille esse se Iudæis interrogantibus negauit, è contra Christus eum Eliam esse affirmat: non est vlla ratione existimandum Ioannem Christi contrarium, sed vmbram esse colori appositam, qui enim si res ipsa spectetur, Elias non erat, si vitæ, morumq. consuetudo perpendatur, Elias erat; Et ecce inquit Angelus apud Lucam, pręcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ, incredibilis fuit inter Ioannem & Eliam similitudo, vterque cultor eremi, vterque aquarum vicinitatem amauit, Iordanem alter, alter Torrentem, cultus vestiū idem, vterque potentissimorum, superbissimorumq. Regum reprehensor acerrimus, vt iure optimo cum Ioannes alter Elias esse existimetur, Herodes alter Achab censeri possit. Fuit in Elia magna quędam animi vis ad religionem collapsam, iacentemque suis temporibus erigendam, & confirmandam, Ioannes tanto animi ardore præparandæ Domino

Psal. 1.

Luca 1.

no plebis semper æstuauit, vt ne quidem ante huius lucis vsuram impetum, ardoremq. animi continere potuerit, & extiterit, vt elegantissimè dixit Augustinus, feruẽs nuncius qui ante gestiuit nunciare, quàm viuere, impatiens dux, qui antequam peruenerit ad corpus, peruenit ad Regem, ante rapuit arma, quàm membra, ante aciem petit, quàm lucem, & vt vinceret mundum, vicit ante naturam. Illud etiam singulare erat in Elia, vt ad reprehensionis acerbitatem sæpe ferrum, ignemq. adderet; Ioannes quoque vitæ sanctimonia, doctrinaque diuina Iudæorum animos inflammabat, quæ ferri vis maior excogitari potest, quã quę cum illa verborum grauitate coniuncta erat? Postremo Ioannes Prophetę nomen, honoremq. recusauit, Christus verò non eum, cum cæteris Prophetis conferendum esse, sed eis omnibus anteferrendum putauit: non enim prophetam, sed plusquam Prophetã appellauit, munus prophetarum erat præcipuum, vt Messiam futurum esse prædicerent, & felicissima illa tempora certa aliqua ratione describerent: tanto igitur Ioannes est Prophetis omnibus superior, quanto præclarius, ac diuinius est, non tàm contemplari futurum, ac prædicere, quã intueri præsentem, ac demonstrare. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ioannes, quod nulli prophetarum contigit, tanto ante interuallo temporis Malachiæ oraculo promittitur, ne in contentionem cum cęteris prophetis adduceretur, non homo promittitur, sed Angelus, nimirum non propheta, sed plusquam propheta futurus erat. O virum tanto nomine, tantaque laude dignum, qui antequam ederetur in lucem, diuinò, quo plenus erat redundante spiritu, etiam maternum pectus compleuerit, qui nascens clausum Zacharię os sui nominis pronunciatione aperuerit! Diutius orationem vagari P.B. non patiar, & qui tres tantum elegantissimos flores ex tanta copia elegi, cęterorum omnium iacturam ęgrefaciens, vno omnia complectar verbo, Non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista.



DO-



DOMINICA QVARTA ADVENTVS.



ORATIO PRIMA.



CCESSV & recessu causarum, infinitæ propemodum conuersiones rerum, & commutationes eruperunt in actum: deinde suis horis prætericrunt, & effluxerunt (Pater Beatissime) quæ si assidua lectione euoluantur, deliniunt animos, adferunt absque satietate oblectatione, necnon admirationem, plerumq. etiam mœrores excitant: legentibus tamen maxima confertur vtilitas. Ex illis enim admonentur ponderari consilia, periculis prouideri, eaque fortiter ferre cum imminent, & impendent. Præ cæteris vero (si adsit fides) nihil temere, fortuito, & casu à Deo euenire: cui placuit ea commendari ex historia, atque ex sanctorum vaticinationibus. Ab historia quippe mutuamur euentorum, ac temporum ordinem, explicatur radix, origo, & principium in rebus gestis, quæ hominibus contingunt, vel profluunt ab illis. Amplius illinc excipitur qua fama, quo iudicio, qua præstantia excelluerint, potissimum Imperatores, Reges, Duces, Sacerdotes, Præsides, Præfecti. Horum omnium exemplum præcla-

præclariſſimum hodie nobis propoſuit Diuus Lucas, commemorans Tiberium Cæſarem, tertium Romanorum Imperatorem, Cæſaris Augusti ſucceſſorem; Tetrarchas, Principes, Sacerdotes, Annam & Caypham, intermedijs Iſmaele, Eleazaro, & Simone ſilentio ſtudiosè prætermiſſis. Eiuſmodi narratione, cur horum hominum ſeries hic intexta fuerit, & quanti eorum imagines æſtimandę ſint, quę in terris collucent, ſplendent, & auidè expectantur, maximè ſi cum Deo ex ſimilitudine comparentur, enunciare conſtitui, nixus Dei ope, Patrum doctrina; vobis item indulgentibus, veſtræque voluntatis inclinatione in me propendente. Lucæ 3.

Si princeps, & architectus alicuius ædificij (Ampliſſimi Pręſules) vniuerſa exquirenda, & præmunienda, vt opus ſuum abſoluat, inſtruit, molitur, & parat; ſi à pictore nulla pars vllius ornamenti relinquitur, quò forma, & pictura beatur nitida, læta, & colluſtrata; ſimiliter decet literatos rerum explicatores conſilia, acta, euentus, conſtituta, atque tempora (digreſſionibus interiectis, ſicut varij occurrunt geſtorum exitus) in volumina referre. Ibi digerere, & ordinare ſermonem, intelligentiam recondere, ac partes ſingulas quaſque conquirere curioſius. At qui eiuſmodi ſcripta contrahere ſtudent, rerum ſummam cogunt, & accipiunt, porrectas narrationes vitant, ac declinant, ſicut effecit Diuus Euangeliſta noſter, qui perinde, vt hiſtoricus prudens, ſeuerus, & grauis, tantum nomina, dignitates, officia, annos, loca, diuinum inſtitutum ſuper Ioannem, eius item vocem, & pręddicationem effinxit breuiter, & expreſſit. Non modo Principes, Duceſque Iudææ, ſicut Prophetæ in ſibi collatis diuino afflatu oraculis proferunt, ſed maxima ſapientia, maximoque iudicio Imperatoris nomen ad ſuam deſcriptionem adiunxit, vt Iudæis, mundoque huic vniuerſo (cui Imperator dominari videbatur) hanc prædicationem gloriandam, nunciandam, & præſeferendam eſſe innueret, & patefaceret. Altius deinde myſterium attulit, Iudæę Procuratorem recenſens, Galilæę pariter, Itureæ, & Traconitidis, ſimulque Abilinæ Tetrarchas. Horum enim adminiſtratione, & gubernatione, Auguſti decreto inſtituta aperuit, quod præſenſerat Iacob de ſceptro auferendo ab Iuda, finem accepiſſe, dominationem

M fuiſſe

fuiſſe ſublatam, aduenisse Sylo, ſeu Meſſiam, & qui mittendus erat, mutatumq. dominum. Idem autumabat vox clamantis in ſolitudine, enuncians ſalutare Dei, omnium oculis obijciendum. Amplius, proprio nomine ſignauit ſacerdotes Annam, & Caipham, prætermiſſis intermedijs, quod minime conſpirauerant in Chriſtum, quia illi duo nequiſſimi ex perfidia, ex malitia, ex ſimulatione officij, occultiores excogitauerant inſidias, oculoſque adiecerant, quò pateret aditus ad ſcelus innocentiſſimi ſanguinis effundendi perficiendum.

Sunt hæc certè, quę ex hac lectione collegimus, maxima; ſed aliud inde excipitur inſigne ad ſummam Chriſti virtutem, ad ſummamque dignitatem, ob Imperatorem, Præſides Regum loco, & Sacerdotes. Profectò monebat ſingulos certioreſque faciebat, Chriſtum extitiſſe ſummę amplitudinis Imperatorem, Regem, necnon Sacerdotem, Sacerdotem videlicet fidelem, ſempiternum, immo victimam, hoſtiam, ſacrificium, magnum Pontificem ad ſalutem noſtram
Pſal. 44. reſeruatũ. Fuit præterea Rex à Deo oleo lætitię vnctus, ille,
2. Cor. 1. ille qui vnxit nos, dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris; ſub cuius pedibus omne regnum, Regnum perpetuum; Rex item ſęculorum, & hominum, nedum Iudæorum, & hominum. Imperij quoque dignitatē tanta excelluit, quanta in omnibus reliquis vnquam viſum, aut auditum fuerat. Habuit enim ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem. Qua militiæ ſcientia, viros delegit dociles, & idoneos, eos inſtruxit, armis muniuit, deſignauit hoſpitia, prouidit, vt nihil deeſſet, prædixit pericula; adeò reddidit intrepidos, vt haberēt mortem in deſiderio, & vitam in patientia. Eiuſdem virtus fuit incredibilis, ac diuina, cum ei non abfuerit velle pati terribilia, quod eſt valde nobilius, quàm velle illa repellere. Mirifica etiam virtus, vis erat intus permagnis nitens viribus; diſpoſitio non tantum perfecti ad optimum, ſed abſolutiſſima. Aderat mens optimè inſtituta, rectè conſulens ratio, voluntas ſapientiſſimè imperans. Ex illa ipſa virtute, cunctis pro adipiſcenda victoria, fiducia oriebatur. Ne ob triſtitiam imminentis mali animus decideret, tribuebatur patientia, perſeuerantia verò infundebatur, ne imbelles afflictione diuturna titubarent, nec diſtraherentur. Refertiſſima

quoque

quoque infuit auctoritas, & potestas, quia æterna, quia non vna, sed omnis, & tota; quia non ex hominibus, sed à Deo; quia non vno in loco, sed in cælo, & in terra. Eius denique felicitatem quis explicabit? Moriens mortem vicit, destruxit eum, qui habebat mortis imperium, inferno fuit doloris morsus; cadens hostem prostrauit; surgens captiuam duxit captiuitatem, triumphans hominibus contulit inaudita ac preciosa munera. Quid ergo Duces, quid Reges, quid Imperatores, quid cæteri summi viri, quid vniuersa, si huic conferantur, & comparentur? Nimirum creata subsistunt, quia à Deo; at non existunt, quia non sunt, quod est Deus. Id namque verè esse dicitur, quod constãs, & immutabile; nec de perpetua hic iam quis, sed de hac exigua vita cogitare potest. Homo enim est sicut fœnum, & dies eius, sicut flos agri, qui viget verno tempore, & paulo post oblanguet, ac defluit. Inde vates illud edidit obstupescens: Omnis homo mendax, seu mendacium, seu deficit, seu mentitur.

Heb. 2.
Psal. 67.
Psal. 102.
Isai. 40.
Psal. 115.

Hominis namque felicitas, nihil firmitatis habet, at magis quævis firmitas (si nostra fuerit) infirmitas extat. Deus vero excelsus super omnes, quia dignior, & sublimior, cuncta intuens, sua vi moderans, ac potentia. Magnus est, quia omnipotens, & stabilis, manens dat cuncta moueri, laudabilis, quia misericors. Terribilis, quia metuendus. Terribilis est, apud Reges terræ, quorum baltheum dissoluit, renes præcingit fune, & spe sua facit aberrare, sicut euenit huic Tiberio Cęsari, cupienti in principatum imperij sufficere Tiberium ex Druso filio nepotem. At diuino numine ei aduersante, successit Caius. De Herode Ascalonita (cuius regnum in Tetrachias diuisum fuit) non est omittendum, quàm terribiliter Deus in eum animaduerterit. Ob cuius immanitatem grauissimis morbis ita fuit adactus, & sæuissimè coli doloribus, intestinorum putredine, vermium multitudine teterrimè fuerit cruciatus. Sic Herodes Antipas eius filius Tetrarchia priuatus, cunctis spoliatus opibus, cum Herodiade apud Lugdunum æterno mulctatur exilio, & ambo ex beatis fiunt miseri; quo nihil infelicius. Hi, & horum similes, montes sunt, & colles editi in altum gloriæ huius orbis; quos Diuus Ioannes pronunciat dimittendos, ac sternendos humi; è contrario autem stratos, &

abiectos, vallium instar, complanandos, & extollendos, non hominum, sed potestate Dei, qui deprimit, & amplificat: minuit, & adauget, plerumque etiam infimos collocat inter Principes. Sine dubio terribilia, & admiranda sunt, quæ ex Diui Lucæ historia excepimus. Ecquem Principum ac Potentum, horum non commouerent exempla? Scripsit hęc eò studiosius, quo primum Dei Filij, ac Diui Ioannis gesta fuisse præclara, & commemoranda elucidaret: Deinde vt induceret animos ad sese abducendos ab inflatis cogitationibus, quę vanę sunt, ad mala procliues, & faciles, pręsertim ad confidentiam in vi, armis, opibus, nobilitate, & potentia positam.

Re vera nihil hic sincerum, lætitijs mox iunguntur tristitię. Nuptijs viduitates, puerorum educationi solicitudo, liberorum procreationi eorum amissio, charitati ignominia: secundis detrimenta: satietates delitijs: quę si traduntur ventri, finis earum est secessus. Demum risus dolore miscetur, & extrema gaudij luctus occupat. Non solum falsa sunt hęc omnia, sed aduersissima nobis, diuina Sapientia testante: Creaturas Dei in odium factas, in tentationem hominum, & in muscipulam pedibus insipientum. Ea quidem semper deceptura sunt, nisi (vt Christi Pręcursor ante dixit) viam Domini parauerimus. Adhibeamus ergo diligentem pręparationem: sancta menti nostræ cohærescant cogitata, funesta flagitia mœrore, & fletu detestemur; expetantur virtutes, pro illis adipiscendis, omnis adiungatur conatus, ad bona stabilia, atque perpetua, omne studium dirigatur, manus, & cursus, gratia Dei præuia, simulque operante.

Prou. 14.

Sap. 14.

Iam quæ huius viæ ingressum impediunt, & precludunt, copiosè enunciauimus, à quibus maximè cauendum monuit Magister omnium IESVS Christus, videns hominum propè infinitam, & inexhaustam auiditatem, cum inquit: Attendite ne grauentur corda vestra crapula, ebrietate, & curis huius vitæ. Corda inspexit, quia parum refert si oneribus, & officijs vrgeatur corpus; homo enim ad laborem nascitur. Sed maximum est pondus, si spe horum nimia corda premantur, vel grauescant. Diligi possunt ista, cum ea in hominum gratiam Deus effecerit; sed pręuidendum est, ne sit immoderatus amor, quod est vinum cordis.

Nam


Nam quemadmodum vino, vltra quàm satis exhausto, ebrius quisque efficitur; sic euenit plus æquo & extra modum ambienti amantique facultates, dignitates, & honores. Quare abstinentes ab hoc vino, animum, & desideria, vel temperantes, vel cohercentes, viam Domini ingrediamur; cogitantes ex Imperatore, ex Tetrarchis, & Sacerdotibus degentibus extra hanc viam, quàm terribilis sit, turpitudinum, ac flagitiorum nostrorum animaduersiones, & supplicia inculcans. Item quàm clemens, & beneuolus ijs qui illam obambulant.

Sit spes nostra, & expectatio Dominus. Ille placatus iuxta mœnia, confringet hostium potentias, arcum, scutum, & gladium; alioquin excitabit furorem indignationis, & forte bellum. Rectas faciamus semitas Dei nostri; in illis delectemur; non adsit animæ somnus, quæ est creatoris obliuio. At magis dormiamus sæculo, vigilemus de luce, vt habeamus Deum in memoria.

Tum enim auferentur praua, emollientur aspera, sitiet mens nostra ad Deum, non ad improbam cupiditatem, non ad insolentiam, non ad iactationem, nec franget nos ærumna, aut quæuis infelicitas; si prosperitas, commoditas, huiusque vitæ voluptas antea nos non corruperit, aut corruptos, si scelerum anteactę consuetudinis nos pœnituerit.

ORATIO II.

De Bono solitudinis.



VOD diuinum Ioanni in deserto hodie in Euangelica lectione datum prę-ceptum in omnem Iordanis prodeundi regionem, ac pœnitentiæ prædicandi baptismum, quæ & quanta sint, Beatissime Pater, solitudinis bona nobis manifestè demonstrat. Locus siquidem est aptus ad peccata, eorumque occasiones facillimè vitandas; ad speciatim arctiusque Deo seruiendum, ad tutiorem ac magis liberam ducendam vitam;

tam; ad ipsius demum Dei vberius participanda gratiarum dona. Sicut autem olim Abraham præcepit Deus, vt egrederetur de terra, & cognatione sua, & de domo patris sui, quo ab idololatris Chaldæis recedens peregrinaretur in terra ab omnis mali occasione separata: ita & nunc Diuini numinis interius lumen sequi volenti ab innumeris mundum hunc tamquam Deum venerantibus arripienda fuga, ne veluti eius elementis, carnis nempe concupiscentia, oculorum & vitæ superbia constringi, vel alijs pluribus eiusdem laqueis irretiri, & periculis valeat offendi. Formido namque Isaiæ testimonio, & fouea & laqueus super te qui habitator es terræ. Et erit: Qui fugerit à voce formidinis cadet in foueam, & qui se explicauerit de fouea tenebitur laqueo. Ab his vero se omnino eripit, qui ad solitudinem contendit. Id expressit Maria soror Moysis, quam vt à lepra sanaretur, septem diebus à populo separari iussit Deus. Et manus illa Moysis, quę in sinum retracta sana, sed prolata fiebat leprosa. Vt enim quis criminum se purget labe, malorum vitare debet consuetudinem, in seipsumque ingressus sui quærere & inuestigare rationem, qua certè salutem consequetur, & quietem. Sic autem ad populi Israëlitici similitudinem è Babylonis seruitute in Hierusalem reuertentis, aquam crassam sæculi cupiditatum scelerumvè sordibus turpem & frigidam super altari amoris sancti, diuini tamen solis radiante gratia percussam ponens, magnum charitatis ardentis accendit ignem, qua Deo sua mirum in modum sacrificat desideria & affectus, seque totum ei tradit & coniungit. Nulla etenim aptior videtur reperiri via, nullum arctius proponi Deo ipsi adhærendi vinculum, quàm in solitario vtique loco manentem, ad eum tamen suas dirigere cogitationes, quibus ipsi singulari quadam vniatur ratione.

Gen. 12. *1. Ioan. 2.* *Num. 12.* *Exo. 4.* *2. Mach. 1.*

Ita Iacob dum solus ageret iter, vt vocaretur Israël, idest vir videns Deum, cum ipso luctatus, adeo contra eum fuit fortis, quod licet neruus femoris tactus (quia fuit mortificata caro) emarcuerit, ab eodem tamen obtinuit benedictionem illam, qua sic ipsi fuit coniunctus, vt eius salua facta sit anima. Quin vero & scalam illam in somnis vidit ex altera parte terram, ex altera cælum contingentem, & eius cacumini Dominum innixum diuinas salutis promissiones

Gen. 32. *Ibidem. 28.*

ſiones ipſi facientem, quibus illi vnitus nullam exhorruit perſecutionem, nullum timuit vitæ periculum, liberamque prorſus & tutam potuit ducere vitam.

Ceterum & id ſolitudinem conſequitur bonum, quòd in ipſa commorans & cum Deo verſans, nedum pluribus ab eo repletur conſolationibus dum ad eius cor loquitur, ſed quamuis ipſum dæmon, vt olim mulierem illam partus doloribus oppreſſam expectet, quò contra periendum filium bellum gerat, ab eo tamen eripitur, quia datæ ſunt ipſi alæ duæ aquilæ magnæ, vt volet in deſertum, in locum ſuum: dum bona concipit deſideria, ob quę & ſi plures patitur perſequutiones, quia ipſum dæmon cernit euntem cum partus dolore, dum illa exequutioni demandat, ab eo tamen pariter liber euadit, quia ad deſertum volat celeriter, columbarum vtens pennis ibi ſedet, & tacens leuat ſe ſuper ſe, ſuperbiæ fumo non offenſus, auaritiæ ſordibus non coinquinatus, aliorumvè criminum puluere non reſperſus, vitam ducit rege beatiorem: felicior enim eſt Chryſoſtomo teſte, ſolitarius ſine ſocietate, quàm rex aſſociatus, quia rex dominatur ciuitatibus, ſed ille imperat vitijs. Rex coronam gerit auro ornatam, ſolitarius virtutibus.

Oſee 2. *Apoc. 2.* *Pſal. 54.* *Tren. 3.*

Hinc quo magis ipſe humanis priuatur delectationibus, eo tutius & liberius fruitur diuinis. Siquidem & manna panisque de cælo filijs Iſraël à Deo non fuit datus niſi poſt reiectam Ægypti farinam.

Exo. 16.

Hinc & Ioanni hodie licet prius in maternorum viſcerum ſecreto prophetæ fuiſſet demandatum munus, nunc tamen denuo palam in deſerto factum eſt verbum Domini ſuper eum, vt qui ciuium turmas, ac humanam omnem fugerat conſolationem, diuina vberrimè afflueret, dum ſibi Dei communicantur negotia, ipſiuſque mens Spiritu ſancto repletur, quo eius exequeretur mandata, & quod ſecreto aliàs eidem fuerat dictum, nunc omnibus faceret manifeſtum. O gratiam verè ſingularem Ioanni datam, qua diuini verbi pręco fieret aſſiduus ad homines ad pœnitentiam reuocandos!. O donum certè admirandum, quo ſingulos viam Domini parare, & eius ſemitas rectas facere doceret. Hæc tamen Deus ſua gratiarum munera non confert niſi à mundo recedenti, & interiora deſerti, vt alter Moyſes penetranti, quia cum ſit Sponſus animæ caſtiſſimus, vt cum

ipſa tuto gaudeat, ab illis locis, in quibus videri poſſit, recedit vt caſtus, & eam in cellaria ſua introducit, vt cum ipſa exultet & lætetur, memor vberum ſuorum ſuper vinum. Iam vero cum tot, ac tanta ſint ſolitudinis bona, quid eſt A. P. quod tam pauci reperiantur, qui ipſam amplecti, eiuſque commodis vti velint? An forte quod vel ipſum deſerti nomen horrorem incutiat & metum, vel quod ad idem monachos tantum tendere oporteat? Sed cum non proſit ſolitudo corporis, ſi deſit ſolitudo cordis, quamuis vtraque hęc melior ſit, tamen & negotiorum mole oppreſſis, & in curarum ſæcularium tumultu conſtitutis ſolitudo mentis Gregorio affirmante tribuitur, dum exurgentem intrinſecus ſtrepitum terrenorum deſideriorum premant; dum ebullientes ab infimis cordis curas per ſuperni gratiam reſtinguant amoris; dum omnes importunè ſe offerentium leuium cogitationum motus quaſi quaſdam circumuolantes muſcas ab oculis mentis abigant grauitatis manu; dum quoddam denique ſibi cum Domino intra ſe ſecretum quærant, vbi cum illo exteriori ceſſante ſtrepitu per interiora deſideria loquantur ſilentio. Neque vero eſt adeo horridum, & metuendum, vt præfefert deſerti nomen, licet enim ibi ſint luctæ Amalech, & Edom; adſunt tamen victoriæ Moyſis & Ioſue: ſint aquæ Marath amaræ, & venenatæ; eſt & lignum quod ipſas reddit dulces. Deficiat panis; eum nunc afferunt corui, nunc pluunt nubes, nunc dant Angeli. Non ſint carnes pretioſę, demittuntur coturnices. Sint ſaxa duriſſima, fluunt mel & oleum, ſcaturiuntque fontes & riui vberes, quorum dulcis eſt aqua. Hodie etiam ſint valles profundæ, at implentur: ſint montes & colles excelſi, tamen humiliantur: ſint praua & diſtorta, ſed diriguntur: ſint demum aſpera ac ferè inacceſſa, verum omnia Dei auxiliante gratia ita ſuperantur, & rediguntur ad vias planas, vt in his rectè ambulans æternam tandem conſequatur gloriam, ſicque videat omnis caro ſalutare Dei, &c.



ORA-

ORATIO III.

De superbiæ damnis, & humilitatis commodis.



VÆ plurima, & maxima superbos detrimenta, humilesque innumera sequantur beneficia, dum summus Dei præco Ioannes montes, & colles humiliandos, & valles clamat implendas, in hodierna B. P. Euangelica manifestantur lectione. Ex peccatis namque illis, quę hominem à Deo diuidunt, cum sola superbia quasi bellum contra eum gerens, ab illo separet, & distrahat: humilitas vero vt magistra omnium, materque virtutum eum illi coniungat, & substernat, sic illa erit extirpanda, vt hac statuta, vias Domini rectas inambulare, Deoque gratus quilibet euadere possit. Sicut autem olim Saul cum paruulus in oculis suis esset, caput fuit in Tribubus Israel factus, & Rex à Domino vnctus; temporali postea fultus potentia, iam se paruulum non videns, qui per humilitatem fuerat prælatus, per superbiam fuit reprobatus: ita & nunc qui verè magnum aliquid operari vult, non se debet tanquam magnorum suspicere meritorum, sed illa semper cogitare, quæ ipsum ad humilitatem, non ad superbiam inducere valeant, ne in cogitationibus suis euanescens, à Deo reprobus inueniatur. Hoc nimirum singulare inter cetera omnia vitia, superbiæ & sui ipsius complacentiæ esse videtur, vt reliqua superet in omnibus. 1. Reg. 15.

Alia etenim peccata interdum quiescunt, nec semper, nec vbique in homine apparent, at superbus domi, forisque in omni loco, ac tempore arrogantię suæ profert indicia, & exercet actiones. Alia vitia consortio gaudent, superbia societatem non admittit, omnia sibi defert, omnibus anteponi vult, omnia alia nonnisi à vitijs, & natura vicissim vitiosa generantur, fouentur, perficiuntur, sed eadem omnia virtutibus extinguuntur, & corriguntur, sola superbia

ex virtutibus nascitur, nonnisi bonis insidiatur, ex pietate ortum capit & incrementum. Reliqua singulas adoriuntur & destruuntur virtutes. At vna superbia omnibus nocet virtutibus, omnia bona tollit, omnia præclarè gesta euacuat, mercede spoliat, Deo reddit exosa. Cetera demum peccata saltem cum ætate languescunt, & se tandem vinci patiuntur; solius superbiæ tanta est pertinacia, vt alijs omnibus vitijs profligatis, sola virtuti pugnam audeat per totam ætatem inferre. Hinc verè à Chrysostomo dictum, nullum malum esse quod superbiæ par esse videatur; ex homine namque facit dæmonem, conuitiatorem, maledicum, periurum, mortis ac cædis cupidum. Superbus perpetuus est in tristibus, perpetuo indignatur, perpetuò mœret, nihil est quòd hanc animi ipsius affectionem exsaturare queat, etiam si regem ante se procumbere viderit, non expletur, immo magis incenditur.

Homil. 1. in 2. ad Thess.

Nihil ergo ita hominem fatuum reddit ac superbia. Si enim hominem videres, qui sibi appareret altior monte, & ad sidera vsque pertingere, an non eum dementem diceres? Ita certè amens superbus est, qui sibi alios antecellere ac supergredi videtur. Hinc Paulus: Si quis existimat se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit. Hinc & Deus malè se cum superbis habet, quia illis resistit, quin & à sæculo cum ijsdem contendit. Voluit ascendere Lucifer super altitudinem nubium, & detracta est ad inferos superbia eius. Voluit Adam Deo similis esse, & comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis; & quoniam Deo subijci noluit, ipsa eius caro in eum rebellauit. Sed ò rem valdè mirandam, simulque deplorandam, dum tortores quotidie videmus ac carnifices, qui occiderunt superbos parentes nostros, nec tamen superbiam fugimus. Quid obsecro vniuersa corporis mala, & incommoda sunt? Carnifices, qui occiderunt superbos parentes nostros, hos indies & cernimus, & eorum experimur violentiam, nec tamen superbire cessamus; satisque nobis fecisse videmur, si alia fortè vitia prosternimus, cum tamen instar Eleazaris magnam quidem referentis victoriam dum elephantem occidit, qui super ipsum cadens suum interemit occisorem; sic licet alia conculcentur peccata, & à superbia, & inani non recedatur gloria, ipsa vtique victoria victorem vincat,

Gal. 6. Iac. 4. Isai. 14. Gen. 3. & Psal. 48. 1. Mach.

qui

qui victus maneat & mortuus. Quid itaque mirum si cum tot ac tanta sint superbiæ damna, & incommoda, Ioannes hodie in deserto clamet, omnem montem & collem humiliandum, elatos nempè & superbos sic esse deprimendos, vt qui emittit fontes in conuallibus, cum à montibus aqua dilabatur, superbas mentes veritatis deserat doctrina? Psal. 103. Tunc vero fontes in conuallibus surgunt, quia humilium mentes prædicationis verbum accipiunt: Et conualles frumento abundant, quia illorum ora, qui mites ac simplices huic mundo despicatui ducebantur, sunt pabula veritatis impleta: sicque omnis vallis hodie etiam dicitur implenda, quia humilium corda sacræ doctrinæ eloquio & virtutum repleantur gratia. Vbi namque est humilitas, ibi est Prou. 11. sapientia. Simplicitas iustorum diriget eos. Hac igitur humilitate, vt omnium virtutum basi & fundamento insignitus, quia deesse sibi multa, immo omnem perfectionem, atque virtutem existimat, orando se incuruat, & assidue Dei gratiam, & dona implorat.

Ac illi similis est habendus, qui quanto acutius videt, tanto magis percipit quàm longe à cæli regione distat: sic quanto altius per spiritualem profectum ad virtutis culmen conscendit, & mentis oculum perpurgat magis, tanto amplius docetur, quam sit inter Deum, & ipsum grande discrimen: tanto clarius cernit, quam adhuc humili, & abiecto loco consistat, sicq. quasi gradibus quibusdam ascendẽs cognoscit omne, si quod habet bonum à Deo proficisci omnis boni fonte, & auctore. Id non sua industria, sed Dei ipsius gratia, & misericordia se esse consequutum. Aliorum tantum conspicit virtutes, suas ignorat, in sanctoq. viuit timore, quocum vitam degit tutiorem. Nedum veris bonis se censet priuatum, sed vera in se mala amoris proprij cernit, prauarum voluntatis inclinationum, in bono inconstantiæ, in cordisq. custodia negligentiæ, omnibus alijs criminum labe infectis se existimat viliorem, qui non rectè beneficijs in se collatis vtatur, nec sanctorum vitæ puritatem vt decet imitetur, ac demum ad exteriores etiam tendit humilitatis actus, in vestium pretiosarum contemptu, societatum bonarum delectu, & vilis seruitij consuetudine. Iam vero virtus nulla est, nisi coniunctam habeat humilitatem, qui hoc verè solidum & constans iecerit fundamentum, in

quantam voluerit altitudinem poterit excitare structurā. Hæc siquidem est inexpugnabilis turris. Hæc omne continet ędificium, nec finit ipsum vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel à spirituum vi deijci, sed omnibus insidijs inaccessum facit, & inuictum, quasi ex adamante sit constructum, magnasque nobis Diuinæ bonitatis affert retributiones. Hæc augmentum parit gratiæ, additamentū luminis, perseuerantiam boni, spei delectabile gaudium, proficiendi desiderium, sapientiæ gustum, fidei constantiā, patiendi amorem, spiritus exultationem, mentis rectitudinem, iustitiæ zelum, sitimque virtutum. O verè itaque cælestem thesaurum in agro absconditum, quem sibi fodiēs ditissimus euadit! O fabrefactam clauem, mysteriorum Dei arcam aperientem, quorum cognitione quis valde lætatur. O lapidem pretiosum nec mundo cognitum, qui tanti apud Deum valeat! Ceterum cum tot ac tanta sint superbiæ dāna, & incommoda, humilitatis vero bona, & beneficia, quid est A. P. quod adeo cæcutiant homines, vt relicto lucidissimo sole tenebras ament? quod humilitatem præcipuum spiritualis ædificij fundamentum negligant, vt inani superbiæ turbine leuiter iactentur? Ea quidem causa esse videtur, quod nullus cogitat se nil prorsus esse, siue proximorum respiciantur virtutes, siue culpæ propriæ, vel etiam virtutes, si quæ sunt, cum à Deo non à nobis sint considerentur, siue conspiciatur Deus ipse, cuius vel potentiā euadere, vel sapientiam eludere, vel iustitiam corrumpere, vel misericordiam proprijs viribus nullus valeat promereri: siue hostiū, mundi, carnis, & dæmonum cernatur varietas, importunitas & crudelitas: quæ omnia profecto humilitatem, & nostri ipsius docent abiectionem. Superbas itaque proijciamus cogitationes, humiliterque de nobis sentientes rectas faciamus Domini vias, prauas ac distortas dirigamus, asperas demum ita complanemus, vt tandem videat omnis caro salutare Dei, &c.



ORA-

ORATIO IIII.



DMIRABILIS est, Beatissime Pater, sed explicari nequit hominis dignitas, & amplitudo, si vel solam illius originem spectemus, est enim ad imaginem Dei factus homo, sed longè est admirabilior eius conditio, si in adiutorio Altissimi habitans, id præstare satagat, quod hodie prædicat Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Desertum Spiritus sanctus hominem vocat Dei gratia destitutum, quemadmodum diuina maiestate, & præsentia ornatum, hortum, atque Domini delicias apppellare consueuit. Ponet (inquit Esaias) desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. Quisquis enim vno Deo vacuus, omnium aliorum bonorum compos est, nihil habet, nihil est, desertum est, & solitudo. Omnis copia quæ Deus meus non est, dicebat Augustinus, egestas mihi est. Quia ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest, naturam capacem Dei, quicquid Deo minus, non implebit. Cæterum (quod est miserabilius) quid aget inermis homo, Dei gratia destitutus, quot stimulis malorum interius, quot agminibus hostium exterius vallatus exagitatur, vexatur, & impugnatur? cũ nullus in eo Dei respectus, nulla diuini timoris scintilla, nulla futurorum cogitatio, nullus diuini iudicij metus, nulla sui custodia sit, sed natura infirma, ac peccati labe infecta, vna tantum informi fide, ac spe relicta, quid non patietur? cui miseriæ non patebit? cui hosti non succumbet! O infelicem animæ conditionem! ò miserandam solitudinem! ò desertum truculentum! In hoc deserto prædicabat Vox clamantis: Parate viam Domini. vt anima ad Deum conuersa deliciarum paradisus, & summæ amœnitatis hortus cultissimus efficiatur: ac in cubilibus, in quibus primum dracones habitabant, oriatur viror calami, & iunci virentes, virtutum flores, & fructus gratissimi. Nam sicut olim viæ

Isai. 51.

August.

quas

Num. 20. aquæ ex petra profluxit, quæ non solum populi sitim sedauit, sed amœnissimam viriditatem ex illa aridæ telluris vastitate elicuit, totamque illam terræ superficiem, quam abluebat, herbarum atque plantarum insolito cultu vestiuit, sic diuinæ gratiæ perennis fons ex spiritali petra Christo, tanquam salutis nostræ vero auctore manabit, qui non modo sitim depellet, verum etiam mentes hominum vitiorum asperitate vastatas amœnissimis virtutum hominum viridarijs exornabit, terra solibus exusta stagnantiū aquarum copia redundabit, in locis aridis fontes scatebunt, & vbi prius fuerant serpentium, vitiorum scilicet latibula, prata virtutum nitidissimo cultu vestita confestim fient, quibus exculta anima ante Dei conspectum sistat, illi seruiat, ei placere studeat, naturę dignitatem reparans, atque ad Angelorum sedes contendens. Non immerito igitur nos hortatur vox illa beatissima clamantis in deserto: Parate viam Domini, &c. Præibat Iosephum præco, vt illum esse, Gen. 41. quem Pharao vniuersæ terræ Ægypti præposuerat, singuli agnoscerent, & adorarent. Vox antecedit verbum, vt vniuersi orbis gentes Saluatorem agnoscant, & adorent, illiq. cordis hospitium diligenter præparent, & disponant. Prædicat clarissimo testimonio venturi diuinitatem. Ego vidi, Ioan. 1. & testimoniū perhibui, quia hic est Filius Dei. Æternitatē, Post me venit, & ante me factus est. Præstantiam, Cuius non sum dignus soluere corigiam calciamentorum. Præcipuam baptizandi potestatem, Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Admirandum opus redemptionis. Ecce Agnus Dei, &c. & vniuersa mysteria edocet, ac qua ratione paranda sit illi via, & semitarum rectitudo componenda declarat. Pœnitentiam, inquit, agite, & appropinquabit regnum cælorum. Hæc est enim via Domini, & rectitudo semitarum illius. Nam cum cælorum regnum vim maximam Matth. 3. (ipso Domino testante) patiatur, & nonnisi violenti illud Matth. 11. rapiant, necesse est, vt per fructus pœnitentiæ dignos veterem hominem (peccatorum sentinam) suffocantes, nouum induamus. Affert Redemptor noster peccatorum remissionem, sed gemitus postulat, & suspiria. Medicamenta tulit saluberrima, efficacissimasque potiones, sed nobis illi est paranda via, vt si qua est in nobis vallis, hoc est, nimis abiecta malæ vitæ consuetudo, vel pigritia in Dei cultu,

deinceps

deinceps ſollicitudine non ſimus pigri: & ſi qua eſt montiũ aſperitas, vel ſublimitas elata nimis, eam in humilitate cordis noſtri temperemus, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.

Tunc omnis vallis implebitur, & omnis collis, & mons humiliabitur, humilibus enim excelſus Dominus gratiam infundit, eandemque ſeruat infuſam, & rurſus ſeruatam conſumat, ac inimicum gratiæ, omniſque initium peccati ſuperbiam debellat, proſternit, annihilat. Tunc erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Nam gratia naturam ſanat, mentem roborat, à vitijs auocat, ad virtutum officia ſtimulat, intellectum illuminat, affectum accendit, terrena faſtidire, & cæleſtia appetere facit, dulcia in amara, & amara vertit in dulcia, ac demum cæleſtibus donis hominem munit, atque armat, eumque (niſi ſponte ſe hoſti ſubijciat) inexpugnabilem efficit. Nos beatos, noſque fœlices B. P. ſi Domino, qui prope eſt, occurramus, & corda noſtra in mundum eius hoſpitium paremus: nam qui hoc præſidio deſtituti viuunt, quem habent in laboribus adiutorem? quem in periculis defenſorem? quem in rebus dubijs conſiliarium? quem in doloribus conſolatorem? quod in tentationibus refugium? cuius contemplatione veſcuntur? cuius memoria recreantur? cuius doctrina erudiuntur? cuius contuitu oblectantur? cuius auſpicijs, quæ moliri cupiunt aggrediuntur? ad quem mentis ſuæ oculos attollunt? quis illis adeſt comedentibus, legentibus, dormientibus, vigilantibus? Oculos igitur nos ad Deum attollamus, eam viam quam Chriſtus ſua dulci conuerſatione amabilem reddidit, ingrediamur, & ad illum, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, mentis aciem eleuemus, & tunc apparebit gloria Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei.

ORA-

ORATIO V.



VANGELICVS sermo, qui instar vehementissimæ tubæ auribus insonuit, & occulta quadam vi animos penetrauit B. P. Ioannem Baptistam Zachariæ filium facto super eum verbo Domini, anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, summo Iudæorum sacerdotio fungentibus Anna, & Caipha, perque Tetrarchas administrato eorumdem regno, in omnem regionem circa Iordanem venisse, & veluti fidelem ministrum baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum prædicasse, ac Iudæorum corda legalibus obseruantijs plusquam par erat dedita, ad Euangelicam doctrinam præparasse commemorat. In cuius historiæ summa diuinissimam Apostolici muneris functionem ob oculos positam perspicio. Quare etsi nihil mihi polliceor, quod exequenda tantæ rei magnitudine, tantique Senatus, quo maior in terris esse non potest, expectatione dignum afferre possim, opere tamen prætium me facturum sum arbitratus, si lectionis propositæ cancellos non egrediens, Euangelici, Apostolicique muneris functionem, Euangelicis Apostolicisque radijs illustratam ostendero. Ad quod dum vires, conatusque admoueo, pertimescerem vehementer, nisi immenso maiestatis tuæ splendori felicissimã humanitatem coniunctã viderem. In quam quum omnem fiduciam contulerim, iam cœptum sermonem persequor. Si quid vnquam humanarum rerum immortali Deo curæ fuisse credimus, id Remp. Christianam potissimum esse arbitror. Quam Christus Apostolici muneris functione ijs delegata, quos ad tanti ministerij celsitudinem gratuita electione parauerat, ita ornauit, vt nihil ea insignius, ita disposuit, vt nihil ordinatius, ita denique firmauit, vt nihil stabilius. Non est cum tanta diuinæ liberalitatis munificentia, quod facilè conferri possit. Quid enim ea diuinius? quid quod interim taceo

Luc. 3.

ceo

ceo potentius? Qua factum est, vt ad cælestis illius Hierarchiæ similitudinem Ecclesiam adhuc in terris decertantem formatam perspiciamus. Nam quemadmodum inter beatos illos spiritus talem in ea ordinem diuina prouidentia constitutum legimus, vt qui perfectiore intelligentia excelluerint, in alios diuini luminis fontem transfundant, ita supremus Ecclesiæ Hierarcha, qui in vices Christi, locumque suffectus est, Apostolicæ functionis, qua omnibus ipse præest, & in omnes, Euangelicæ lucis radios transfert, Ecclesiasticos proceres, & Episcopos participes efficit, vt pro suo quisque munere Ecclesiam sibi creditam illuminet.

Est enim Apostolici officij functio spiritualium omnium administrationum veluti summa quædam perfectissima, & copiosissima plenitudo, qua iuxta sanctissimum Dei verbum Respub. Christiana ita administratur, vt Christus ipse nunquam ei deesse credatur. Qui enim corpore absuturus pascendum vice sua gregem Petro Apostolici ordinis capiti incredibili sedulitate commendauit, & Apostolis omnibus Euangelicæ doctrinæ ministerium tradidit, is nihilominus omnibus se adfuturum contestatus est. Itaque multum abest, vt Apostolicus ille senatus, cui Christus sui Spiritus afflatu præsidet, & quicunque eum retulerit, vllo diuinis in rebus errore contaminari queat. Qua fiducia Apostolicam auctoritatem Paulus eleuans: An experimentum (inquit) quæritis eius, qui in me loquitur Chisti? Et scio (ait) quod & ego spiritum Christi habeam. Atque rursus Apostolorum omnium nomine, quòd pro Christo, non quouis mundi Principe oratores, nouique testamenti, quò cælestium bonorum hæreditas legata est, dispensatores agerent, fidentissimè gloriatur. Quo fit, vt non modo incomparabilem functionis huius magnitudinem extollat, verum etiam temerarios Apostolicarum legum præuaricatores, qui non homines: sed Christum ipsum offendunt, acerrime confodiat. Proinde Moses mussitanti illi ceruicoso populo: Quid (inquit) nos sumus? nec contra nos est murmur vestrum; sed contra Dominum. Ministerium tamen illud, & magisterium Mosis hoc multo erat inferius. Illud mortis, hoc vitalis est spiritus, illud damnationis, hoc iustitiæ, illud rei euacuandæ, hoc stabilis, & æternæ. Verumta-

2.Cor.13.

Exo. 16.

rumtamen illud ea claritate fulfiſſe creditur, vt omnem Iudæorum intuitum, & aciem ipſe Moſis vultus intolerabili fulgore obſcurauerit. Huic igitur clarior multo, illuſtriorque gloria, & maieſtas debetur. Quid enim hoc eminentius, quo viuum Chriſti verbum proponitur? Quo cæcæleſtis theſaurus promittitur? Quo ciuitatis Dei fundamentum iacitur? Quo denique qui fungitur, non cuiuis nationi; ſed regali cum primis ſacerdotio, & populo acquiſitionis præficitur? Sed nunc demum à tantæ functionis diuinitate ad potentiam me confero, qua factum eſt, vt docta illa ignorantia, & ſapiens (vt ita dicam) ſtultitia, barbaras, & efferas gentes, ac orbem ferè vniuerſum non ferro, aut igne; ſed occulta quadam vi perdomuerit. Nam
2. Cor. 10. & Paulus Apoſtolicæ militiæ arma, non carnalia; ſed ſpiritualia, & diuinæ eſſe virtutis affirmat, quibus impiorum conſilia demoliri, altitudinem aduerſus ſententiam Dei ſe extollentem deprimere, intellectum in obſequium Chriſti captiuum ducere, inobedientem denique iuſtæ vltioni ſubijcere valeat. Hæc ad vindictam ipſe admouit, dum incæ-
1. Tim. 1. ſtuoſum ſcortatorem, & Hymenæum, ac Alexandrum blaſ-
Act. 13. phemos ſatanæ tradidit. Sæuijt dum Elimam verbo veritatis contradicentem, & Proconſulem à fide conantem euertere, cæcitate percuſſit, Petrus autem quid ipſe poſſet apertè declarauit, dum gladium ſpiritus arripiens, Ananiam, & Saphiram, qui Spiritui ſancto mentiti fuerant, morte damnauit. Cômemorare poſſem alia innumera in hanc ſententiam, quæ omnia naſcentis Eccleſiæ exordio, & pullulantis fidei incremento, & adſtruendæ Apoſtolicæ auctoritatis teſtimonio conueniebant. Sed ad Ioannem redeo, qui cum appeteret tempus illud æterno conſilio præfinitum vt Chriſtus ſalutis noſtræ negotium aggrederetur, in Iudæam à Deo legatus eſt, vt qui generis nobilitate, natiuitate admirabili, vitæ ſanctimonia, præclariſque vitæ actionibus magnam apud Iudaicum populum ſibi conciliauerat auctoritatem, tanquam fidelis Domini ſui miniſter, & diſpenſator myſteriorum eius, venienti Chriſto viam pararet, ac gentem illam, cui imprimis Meſſias fuerat, vt rudem quendam campum proſcinderet, & ad futuram meſſem diſponeret.

Vnde propterea venit in omnem regionem circa Iordanem

nem prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, dicens: Ego vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Non ſum ego Chriſtus aiebat; ſed eius miniſter. Non ſum Verbum, per quod facta ſunt omnia; ſed vox, quæ verbum præcedo, inuitoque ad futuram ex Verbo ſalutem. Exhibete igitur corda veſtra Deo, cogitationes, affectionesque veſtras in eum dirigite: iam enim tempus adeſt, vt Euangelica doctrina innouetur orbis, ita vt humiles, & abiecti, qui Eſaiæ valles ſunt, diuina ſapientia impleantur.

Contra vero ſuperbi, & humana ſapientia, & potentia elati montes humilientur, prauæ hominum ſemitæ dirigantur, aſperaque, & difficilia legis præcepta complanentur, ac planentur, ac facillima reddantur. O verum, & accuratum Domini ſui miniſtrum Ioannem! Vtinam B. P. illi, qui in Eccleſia Ioannem referunt, eique in miniſterio ſurrogati ſunt, eius exemplo prouocati, quanto nobiliores, tanto ad munus Apoſtolicum præſtandum promptiores eſſent.

Nam ſi vnquam, hoc præſertim infelici ſæculo id neceſſarium eſſe intelligo, quando omnia innouanda eſſent, omnia ſunt confuſa, & Regna, & Religio, & fides magnam iacturam fecerunt.


In quibus Chriſtianæ Reipublicè malis hæc vna ſpes nobis relicta eſt, quod te Deus his turbulentiſſimis temporibus nobis paſtorem dedit, & principem, qui cum habeas ſumma cum poteſtate optimam voluntatem coniunctam, omnem moturus ſis lapidem, vt Eccleſia tuæ fidei credita priſtinum ſuum ſplendorem recipiat, valles impleantur, montes humilientur, depulſis hæreſibus pax inter regna firmetur, omnes idem dicant, & ſapiant, videatque omnis caro ſalutare Dei.

Quem propterea precamur, vt tibi diuturnam, & felicem ætatem concedat, tuiſque votis aſpiret, ac poſt longam ſenectam, pro tuis laboribus incorruptam, & immarceſſibilem coronam largiatur in cælis, &c.





IN FESTO SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.



ORATIO PRIMA.



RAESTANTISSIMVS Martyr Stephanus (Pater Beatissime) vt primus fuit, qui Christi Domini fidem sanguine, ac vita sanciret, ita formam descripsit absolutissimam, quam exprimere deinde Christiani Martyres deberent: quam ego formam hodierno die, quo nobis tuo iussu de eius laudibus dicendũ est, quantum potero, si minus exprimere, certe paucis adumbrare conabor. In idoneo teste (quem Martyrem Græco nomine dicimus) quatuor in primis hæc ornamenta inesse oportet: Dei cognitionem, de qua testificaturus est, ne per errorem decipiatur: innocentiam vitæ, ne per improbitatem decipiat: animi constantiam, ne spe, metuue abducatur à vero: quibus postremo si charitas erga eos, cum quibus agendum est, accedat, non solum fide digna auctoritas efficitur, sed quæ facile etiam persuadeat. Et quidem quanta erat illa sapientia, cui nemo poterat, siue è ciuibus Hierosolymitanis, qui ceterarum erant nationum magistri, siue è peregrinis, obsistere? Coniurant è nationibus celeberrimis, qui & peritia legis Mosaicæ, & impudentia Hebraica nobilissimi habebantur; vt quem

non poterant singulæ Prouinciç sustinere, vniuersæ obruerent. Coëunt è synagoga Libertinorum, è synagoga Cyrenensium, è synagoga Alexandrinorum, Cilicum, Asianorum. In angustum adducta res est, vbi tot vndique emendicata auxilia colliguntur. Armant animum audacia, ingenium fraudibus, frontem impudentia, linguam procacitate, oculos ac vultum furore; confertique ac densi ruunt in vnum omnes Stephanum. *Act. 6.*

Et non poterant resistere sapientiæ, ac spiritui, qui loquebatur. Hæc erat huius admirabilis scientia Martyris, ipso loquente, Spiritus diuinus, ipsaque sapientia loquebatur. Reiecti igitur, conuictique quid agerent? Æquum erat fateri errorem, mutare sententiam; sed hoc duri Hebræorum capitis non est, malunt esse parricidæ, quàm imperiti videri: quem intelligunt esse doctiorem se, vt sacrilegum criminantur, vt sint potius innocentis carnifices, quàm discipuli sapientis. Verum Deus qui formam, de qua agimus, absolutissimam Martyris in Stephano figurabat, hoc fieri est passus; vt cuius sapientiam cognouerant, eiusdem cernerent oculis probitatem. Ducitur igitur in conuentum hominum maxima ex parte sceleratissimorum, inclytus Martyr tentandus fraudibus, quoniam veritate vincebat. Ecce autem dum sacrilegi testes in adornando periurio laborant, sanctissimi Iuuenis innocentia ad sui defensionem alienum patrocinium non expectat, nec voce, nec argumentis obiecta vult dilui: prosilit ipsamet è recessu animi foras, & in vultu se collocat, palamque spectandam aduersariorum oculis offert. Itaque cum omnes in eum se toruo, trucique ore conuerterent, quem quasi impium configere obtutu volebant, Angelum vident. Et intuentes in eum viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.

O duros oculos? Huiusmodi vultum cum aspiciant, non suspiciunt. Dicebat quidam sapiens, virtutem si oculis cerneretur, fore, vt miros amores excitaret sui, vt omnium ad se animos ac mentes alliceret. En Hebrçi cernunt, nec amãt: amant autẽ? imo furiosius insectantur. Legũt in illa insolita specie bonitatem Angelicam Martyris, & suam diabolicam prauitatem, neque illum admirantur, neque se ipsi exhorrescunt. Quid habes Iudça, quod illius de animo dubites, cuius tale simulacrum tam certo in speculo con-

contemplaris? fulgor ipse virtutis est color, testimonium veritatis, vox innocentiæ, tessera cælestis amicitiæ. Scelus timidum est, fugit è noxiorum vultu decor, conscientiam oris habitus arguit.

At Stephani vultui optime oculi respondent, facies Angeli, oculi Angeli: illa, quam cælestes admirentur, hi quibus pateat cęlum. Vident Hebræi cæleste in facie Martyris decus, videt ipse cęlum apertum: quid aliud hoc est, nisi ingens verumque documentum sanctimoniæ cælestis? si non creditis propter id, quod Stephanus videt, propter id credite, quod ipsi vidistis: si de eius oculis dubitatis, consulite & audite vocem. Digna est auctoritate vox, quę postea quam conspectus est Angeli vultus, auditur.

Vsque eo ne insanitis? hunccine è vestro commercio eijcietis, cui sponte patefit cælum? Non complectimini, non modis omnibus retinetis, quem cælum ambit, quem ad sese inuitat, quem porrecto sinu expectat? Occidite, occidite igitur quoniam videtis in ore ipso sanctitatem, iam habetis dignum theatrum, adaperto cælo spectator est Christus. Ecce igitur peruersissimi homunciones, ad quorum oculos, dum minime animaduertunt, Angelici vultus peruenerat aliqua lux, ne perinde ad aures vox aliqua veritatis accideret, eas obstruunt. Atque vt ostenderent in Stephano non solum scientiam, cui quamuis coniurati, & constipati omnes resistere non possent, non solum innocentiam, quæ oculos cælesti luce perstringeret, sed etiam alias duas quasi coronæ martyris gemmas inesse, constantiam, quæ nulli vi cederet, & charitatem, quæ mortem ipsam superaret, cum horrendo clamore ruunt ad saxa.

Obruitur densissima iactorum tempestate saxorum, humeri sanctissimi, integerrimum pectus, sapientissimum caput, totum denique corpus ingenti vndique fragore contunditur, infringitur, cruentatur. Non modo locum tenet bellator inuictus, non modo fidem suo duci non fallit, sed vitæ prodigus, ad eius amplexum cupidus, quàm citissime euolandi, sublatis in cælum placide oculis: Domine Iesv (inquit) suscipe spiritum meum: quem quidem audiuit Dominus, sed noluit prius euocare, quàm summa pulcherrimæ tabulæ, quæ describebatur, adiectis erga hostes aureis beneuolentiæ coloribus, manus imponeretur. Inualescunt


igitur Hebræi, horrida lapidum grando in Stephanum præcipitat, fluit ex omni parte gloriosus sanguis, vulnus vulneri additur, dolore dolor exulceratur. Quid inter hæc ille? Rem admirandam, opportune dehiscit cælum, & noua se aperuit scena: accurrite beati Ciues ad spectaculum, vestris oculis digna res agitur. Non perturbatur, non irascitur, non ad vltionem homines ac Deum implorat; sed, vt potest, in turbine illo vndique ingruentium, opprimentiumque telorum, procumbit in genua. Et qui suam causam neque magna vocis contentione, tantumque stans egerat, causam hostium abiectus humi, & cum ingenti clamore pertractat; ijs vitam precans æternam, à quibus vmbram hanc vitæ mortalis, per summam iniuriam crudelissime eripi sibi videbat. Neque vero tam insignis charitas inanis, aut infœcunda fuit, sed aduersariorum consilia egregie dissipauit, ac lusit, & è lapidibus illis Abrahæ filios excitauit. Intererat spectaculo adolescens, immo & quodammodo præerat, qui quo plurium manibus Stephanum vulneraret, ferientium vestimenta seruabat. Hunc militiæ Christianæ suo loco, ne quicquam ex absentia sua detrimenti sentiret, hostibus è medijs ereptum reliquit, eademque opera acerrimo duce suos armauit, spoliauit Hebræos. Quid itaque agis Saule, quid insanis? quam ob causam istum lapidas? te quoque mox lapidatum esse gloriaberis. Perge igitur, feres facilius quæ intuleris: disces ex immanitate tua constantiam. Perge (inquam) facis tibi tua iniuria magistrum, ac ducem, in numerum inferis te illorum, quos in extremo suo spiritu habet præcipue commendatos. Et tu fortasse quo sæuior es, eo es carior. Patrocinatur tibi apud Stephanum furor tuus, minora acciperes ab illo dona, si isthinc abesses.

Quum igitur præstantissimus miles Christiani Martyris formam è Christi magistri exemplo mirifice effinxisset, suoque loco Paulum Ecclesiæ impetrasset, in tetro illo tumultu, ruinaque saxorum, dulcem tamen somnum inuenit: Obdormiuit in Domino. Felicissimus plane vir cum alijs nominibus multis, tum eò præsertim, quòd primus Christo salutis auctori, si non parem gratiam (quod fieri non potest) at certe pro vita retulit vitam, eiusque calido sanguini miscuit suum.

Salue

Salue igitur primus flos Christi sanguinis, è quo enatus es, concolor, prima eius neci reddita victima, primum Christianæ fortitudinis documentum: Martyrum forma, admirandis sapientiæ, innocentiæ, constantiæ, charitatis expressa coloribus: dux & signifer purpurati agminis Christianorum. Merito & olim recens tua victoria ingenti ornata est luctu tuorum, & quotannis toto orbe terrarum sæpius & hoc tempore dies octo, & luce hodierna tanto apparatu, ab hisce mundi principibus honoratur. Tu protege, vt facis, Ecclesiam: nos quoque recipe in fidem tuam, non enim dubitamus, quin quum adeo pius erga inimicos fueris, benignum te, ac munificum præbeas erga clientes.

ORATIO II.



ABSOLVTAE virtutis effigiem elegantissime perfectam, rem in hac ærumnosissimæ vitæ condicione singularem, quia difficillimam; in Stephano martyrum antesignano fortissimoque Leuitarum Principe (Beatissime Pater) liquido nobis contemplari licet. Et ne materiam amplissimam exequar operoso circuitu verborum, intelligentia facit huiusce sapientissimi consessus; &, vt omnem remoueam calamistrum Rhetorum, ipsa rei dignitas impetrare debet: quæ nudam potius & apertam, quàm inductam & aduentitij coloris illitam fuco formam suam ad inspiciendum sapientibus proponi cupit. Aio igitur formam virtutis vsquequaque perfectam, quoad humanum ingenium capax erat, in Stephano suis omnibus coloribus fuisse diuinitus expressam.

Satis inter sapientes constat animi pulchritudinem & quasi formositatem, vt corporis venustatem è suauitate colorum, sic ex temperatione multiplicium virtutum efflorescere. Age vero videamus hoc cognito, quemadmodum in Stephano Deus gratiæ penicillo virtutum colores omnes, vt institueram dicere, collocauerit: vt in Ecclesiæ filijs vnus esset è paucis optimus sapiens vsque ad inuidiam,

tempe-

temperans vſque ad admirationem, iuſtitiæ tenax vſque ad certamen, in certamine fortis vſque ad cædem, in cæde beneuolus condonator iniuriç vſque ad remunerationem.
Relegamus animo quod proximè recitabatur ex Apoſtolorum Actis: Stephanus plenus gratia, quæ virum omnibus virtutibus excultum, ac præparatum integerrimi iuuenis animum occupauerat (& fortitudinè plenus) quæ diſcrimen etiam vltimum ante Principes ipſos pro veritate poſſet depoſcere. Faciebat prodigia & ſigna magna in populo, quidni aut faceret? qui neque conceptum verbum retinere poſſet, & Dei digito, hoc eſt Spiritus ſancti virtute munitus, fortiter in populi conuentu virtutem hominibus oſtenderet; in cęli theatro conſtantiam probaret Deo, vitam Eccleſiæ dedicaret. O dignum ſpectaculum cui vacet Deus! quia diuini vis amoris fortiſſimum quemque pignerari ſolet.

Surrexerunt quidam, qui ſibi, multiſque videbantur ſapientes: de Synagoga, quæ appellabatur Libertinorum, verbo, re autem vera Sathanæ ſeruorum, ſociorum. Et Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant è Cilicia, & Aſia, non pauci periculum facturi ſapientiæ primū, deinde conſtantiæ. Diſputantes cum Stephano: ſed qui ſine profectu bonæ mentis diſputabant, iidem ſine virtutis affectu non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui qui loquebatur in Stephano. Ex diuinis certe litteris hæc verba ſunt.

Audientes autem hæc, quç ſapientiſſimè longiſſimeque repetita memoria diuinè Stephanus in concilio ſæuiſſimorum (ciuium ne dicam an hoſtium) memoriter diſſeruerat, diſſecabantur cordibus ſuis, hoſtes veritatis ſimul & Stephani, & ſtridebant dentibus, vt furentes aduerſus eum, qui ſibi ſtabili pacatiſſimaque virtute conſtabat. Quum enim Stephanus eſſet plenus Spiritu ſancto, & eo vſque plenus, vt in eius vultu diuinam ſpeciem ex integerrimo pectore efforeſcentem velut Angeli ſplendorem ceci etiam hoſtes intuerentur, intendens in cælum ſuç cauſam virtutis & præmium, vidit gloriam Dei pro qua ſtabat, & Ieſum ſtantem, ad pugnam animos, ad victoriam vires addentem, à dextris virtutis Dei, & ait.

Ecce video cælos apertos. quò primus teſtis dato ſangui-

de veritatis ingressus, ad simile factum multos mortales ex reliqua Ecclesiæ posteritate promptissimos,&Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei, summam omnium gentium ac sæculorum adeptum apud Patrem iudicij potesta-
Heb. 2. tem. Reliqua mœstissima sunt eademque præclarissima, quæ consequuntur.

Psal. 67. Et eijcientes eum. O rerum condicionem humanarum, qualem tandem virum, & quantũ eiecerunt! eum qui videbat cælos apertos, vnde videlicet laborãtibus terris, quæ erat apud Deum gratia, felicitatem elicere potuisset: eum inquam, eiecerunt extra ciuitatem, qui iam tum versabatur in cælo. Vtrum hic stabit hostium amentia perditorum? non stabit, qui dissecabantur cordibus, & dentibus stride-
Psal. 102. bant, armant manus: & eius sanguinem exsorbere cupiunt,
Isai. 40. cuius vocem audire non possunt.

Lapidibus petunt & obruunt inuocantem, & dicentem:
Psal. 115. quid autem in illo ruinæ fragore, quid in supremo vitæ discrimine dicentem? Domine Iesu suscipe spiritum meum. Verissimè dictum est à nescio quo:

Iustum ac tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Videsnè, vt animus optimè constitutus, conscius hospes Dei, Deum appellat hospitem, amicus amicum? cuius ad viuum similitudinem morum effinxisset in vita, vocem etiã vsurpauit in nece. Positis enim genibus remuneratur supplicatione supplicium, beneuolentia furorem, precibus maledicta, vulnera muneribus, interitum vita: quam Saulo reseruauit, qui nondum Paulus percussorum vestimenta seruabat. Domine, inquit, ne statuas illis hoc peccatum. Vocem agnosco charitatis: Christum videre licet in Stephano. Christus in amici nece perditissimis hostibus ignoscit, qui pepercit in sua. Et quum hoc dixisset, obdormuit in Domino: sanctissimam vitam exitu felicissimo conclusit, vt similis virtus similem gloriam consequeretur.

O verè fortunata mors! quæ naturę debita, pro Christi Ecclesiæ potissimum reddita, nomen etiam quietis & immorta-

mortalitatem mutuatur. Hunc vero virum veræ gloriæ natum iudico, cuius etiam appellatio virtutis & gloriæ præmio digna est, vt eidem coronam, insigne victoriæ, dedisse videatur Deus, cui virtutem dedisset, victoriæ causam. Hostes igitur tam miseri, quàm impij, qui Stephanum occiderunt, non Stephanus, qui spiritu fortiter dato, victoriæ premium, immortalitatem, & sedes est beatorum consequutus. Breuis illi quidem iuueni contigit vitæ cursus: at memoria bene redditæ vitæ sempiterna. Erant enim illius facta æternitatis, non ætatis. Tecum igitur præclarissimè actum est fortissime, dum vixisti, nunc etiam sanctissime: cuius primum & integerrimum spiritum delibauit Deus, & exemplum Ecclesiæ, sepulcrum Romæ, memoriam æternitati, animum cælo, famam literis, virtutem templis, interitum natalitijs sacrificijs, laudem Pontificum prædicationibus consecrauit.

ORATIO III.



CELEBERRIMA Martyrum Principis, lætissimaque memoria, Beatissime Pater, facit vt inauditum quoddam à nobis atque incredibile dicendi genus expectare videatur, quod & fortissimi iuuenis diuinis laudibus, & nouo splendori Christianæ Reipub. par esse possit. Neque enim id à nobis requiritur solum, vt Stephani triumphum amplissimum debitis vel laudibus, vel officijs prosequamur, sed etiam vt sanctissime, atque optime omnium parenti Ecclesiæ de singulari martyrij gloria, quam Stephano duce est adepta gratulemur. Verum neque dicendi studio copia suppeditat dicentis, nec tantæ rei incredibilem magnitudinem mens consequi potest adolescentis. Dabis igitur nobis hanc veniam, Beatissime Pater, vt in tanta rerum præclarissimarum vbertate & copia eam tantummodo laudem hodierno die celebremus, quęque in Stephano maxima & cumulatissima sem

per fuit, tum ab optimo quoque videtur non magis prædicanda, quam imitanda.

Enimuero cogitanti mihi de huius inclyti martyris infinitis pene laudibus, illa præ cæteris extare maxime, atque elucere visa est, animi, & corporis singularis quædam integritas, quæ & Deo Opt. gratissima fuit, & tantam in Stephano rerum gestarum gloriam excitauit. Et quamquam nemo est in hoc florentissimo numero, cui Stephani pura mens non plane sit cognita atque perspecta; tamen ad maiorem in nobis admirationem excitandam recordemur si placet, quæ fuerit semper omnium de illo celebrata opinio? quæ dignitas oris? quis ingressus in Hebræorum conciliũ? quæ animi habitudo? quis splendor oculorum? qui vultus, quę oratio? neque enim pudorem & pudicitiam suam Deo soli & cęlesti Curię, sed Apostolico etiam Senatui cõmendauit: neque Apostolis modo, sed & Christiano populo vniuerso, neque huic tantum, sed & eorum etiam furori, qui nefarijs consilijs incitati, vt paulo ante salutis auctorem, ita nunc eius imitatores omnes in vltimam perniciẽ, atque interitum vocabant. Quibus ille mentem castissimam nunquam profecto satis commendasset, nisi diuino auctus beneficio internum animi candorem vultu ipso atque oculis prætulisset. Magna vis est integritatis B. P. & magna in vtramque partem: vt & laudabiles reddantur ij in quibus est, & ad eius amorem, vel inuiti perditissimi quique rapiantur. Intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. & merito. Qua enim alia in re (vt sapientissimus vir Chrysostomus ait) verè amatores integritatis ab Angelis differunt, nisi quod hi in huius corporis sunt inclusi compagibus, illi ab omni prorsus mortali concretione seiuncti ac liberi?

An vero quicquam est ijs cum hac mortali concretione commune, qui quod est proprium maxime humanæ naturæ ita superant, vt singulari illa mentis integritate, qua cum Deo copulantur, corpus ipsum mortale & caducum ad beatam illam cælestium mentium similitudinem pulchritudinemque traducant? Etenim quid tam est commune, quã corruptio mortalibus, illecebra voluptatis adolescentibus? procreandi cupiditas animantibus? amor humanarum rerum

rum in theatro rerum omnium naturali quadam lege degentibus?

Quùm tamen veræ integritatis amatores ita mortali corpore induti sunt, vt integri semper & incorrupti seruentur: ita iuuentutis iactantur fluctibus, vt voluptatum illecebris non irretiantur: ita coniunctionis appetitu sunt præditi, vt quemadmodum à Dei Filio dictum de cęlitibus accepimus, neque nubant, neque nubantur: ita postremo in tanta procreatarum rerum vbertate constituti viuunt; vt nonnisi cognitione rerum cælestium, & iucundissima cum Deo consuetudine capiantur. Tantæ virtutis gloria, cuius tam insignes, & præclaræ sunt partes, cuiquam dubiũ esse potest, quin cum cęlestium mentium nobilitate & pulchritudine iure comparentur. Quid quod vir sanctissimus Bernardus anteferre aliqua ex parte non dubitauit. quid quod Basilius ad Diuinam etiam extulit dignitatem. Magnum quiddam re vera, inquit ille, & præclarum virginitas est, quæ vt omnia vno verbo complectar, hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Quem te igitur (Beatissime Stephane) in beata ista vita ad amplissimum honoris gradũ euectum appellabimus, qui adhuc in terris integritate tua vel ipsorum hostium testimonio ad cælestium splendorem Ciuium, immo verò ad diuinæ ipsius naturę similitudinem propius accessisti. Equidem fateor me dum in huius tantæ virtutis gloriam animum intendo, iusta quadam admiratione ita defigi, vt obstupefactus hæream, nec vllam possim orationem elicere. Quantam illum cęlestium bonorum copiam hausisse par est, qui tam purum atque integrum cęlesti sponso diuersorium parauerit? Quæ ille à benignissima Dei manu acceperit munera, qui ipsius Dei causa quicquid extra Deum foret pro nihilo duxerit? Tantus, tamque ab omni rerum humanarum suique ipsius amore sciunctus animus ac liber, vacuus esse non poterat.

Quinetiam vt maxime mortales negligebat delicias, ita maximè cumulabatur æternis. Illi, illi vni cum sanctissima Dei parente laus illa quasi communis fuit, vt plenus gratia & fortitudine, plenus Spiritũ sancto vocaretur. En latices diuini roris, quibus pura illa mens, & incorrupta redundabat. En sensus è diuina dulcedine delibuti, en munera in castissimum pectus inclusa diuinitus. Et mirabitur


iam

iam quisquam eius animi robur, fortitudinem, vim, constantiam contra acerrimos Christiani nominis hostes, contra verę Religionis cælestisque doctrinæ oppugnatores, aduersus Principes & potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum? Quis vmquam ab impijs est oppugnatus vehementius? Quis apud iniquissimas gentes certamē atrocius excitauit? Quæ ille contra eorum conatus, qui nefarium Deo bellum indixerant, pręlia sustinuit? Pugnabat Iudęorum odium cum Stephani charitate, illorum minę cum huius constantia, illorum crudelitas cum huius patientia, illorum impotentia detestabilis, cum huius inaudita moderatione. Denique impuritas cum integritate, iniquitas cum ęquitate, pertinacia cum fortitudine, cum fide perfidia, mendacium cum veritate dimicabat. In tanto tamque inusitato certamine, in tam noua pugnandi ratione; in tam luctuoso, vt illi putabant; vt ipse arbitrabatur, gloriosissimo spectaculo, quid illum agitasse animo, quibus armis inimicorum iniurias vltum esse censetis? Obruebatur lapidibus, in oculis ipsis Hierosolymitanæ vrbis, in luce Palestinæ totius adolescens egregius, princeps iuuentutis, sapientiæ magister, salutis publicæ defensor, pauperum, miserorumque perfugium, & parens. Is igitur in medijs hostium conuicijs, contumelijs, maledictis, in medio laterum atque saxorum imbre de hostium salute sollicitus, oblitus suæ, quum vix oculorum aciem tollere, vix membra commouere posset, in illud ipsum solum suo cruentatum sanguine procumbens, clamauit voce magna, Domine ne statuas illis hoc peccatum. O mansuetudinem singularem, O clementiam inauditam, ò facinus non memoria magis omnium posterorum, quàm imitatione prosequendum! Quis enim interpretari possit, patientior ne fuerit, qui summis affectus doloribus, an fortior qui in ipso vitæ exitu, an constantior qui in oculis ipsis inimicorum: an mitior, qui eorum, à quibus ipse fœdissimo supplicio excruciatus necaretur, pœnam inauditi sceleris deprecabatur. Quid igitur restat sanctissime Stephane? Quid habemus quod dicamus? quibus iam laudibus tuam incredibilem virtutem prosequemur? Quatuor ex omni antiquitate adolescentes fuisse celeberrimos accepimus, Abelem, Iosephum, Gedeonem, Dauidem. Sed neque tam Abel ille iustorum

Prin-

Princeps fuit, quàm tu dux & signifer Martyrum: neque tam Iosephus ille paternæ subsidium senectutis, quàm tu oppugnatæ veritatis defensor: neque tam Gedeon ille Angelum Domini conspicatus, quàm tu ipsius Domini gloriã, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Neque tam postremo Dauid ille superbissimum tyrannum quinque lapidibus de medio sustulit, quàm tu teterrimæ inferorum belluæ ceruices obrutus ipse lapidibus, confregisti. Quæ igitur tuæ gloriæ par oratio inueniri potest, qui iustitia Abelem, pietate Iosephum, integritate Gedeonem, Dauidem fortitudine superasti? Enimuero hoc ideo factum existimo, vt merito sibi istam gloriam esse à Christo tributam intelligeremus, qui Christianæ militiæ Imperator maximus ad similem virtutem, & fortitudinem egregiam (vt ita dicam) stirpem esses in perpetuum propagaturus.

Et quoniam iniuria temporis animorum obstat voluntati, illud vnum vir fortissime à te etiam, atque etiam perorationis loco petimus, vt qui tantam iustitiæ, integritatis, mansuetudinis, constantiæ, virtutum denique omnium, Christique Optimi Maximi similitudinem in vita es consecutus, illud efficias, vt quoad infirmitas humanæ naturæ patitur, aliqua in nobis omnibus appareat earumdem virtutum, si non perfectio, at conatus tamen, & adumbratio: & qui egregia tua facta summa cum animi delectatione cognouimus, eadem diuina ope & auxilio fultis diligentissime imitando prosequamur, &c.



ORA-

ORATIO IIII.



VAM felix eſt Sanctorum condicio (P. B.) qui cum deſpici, ac præteriri ſilentio Dei cauſa cuperent, adepti ſunt apud omnes nomen, quod non deficiet, neque caneſcet ſæculis innumerabilibus: imo vero vt loca quædam vetuſtate fiunt ſanctiora, ſic illud diuturnitate temporis illuſtrius. Neque enim quãdiu res oriuntur, & occidunt, aut quamdiu menſes, & anni cæli conuerſionibus diſtinguuntur, tamdiu iuſtorum memoria permanebit: ampliora ſpatia requirit, dedignatur temporis anguſtias, nec ſe vult alijs quàm æternitatis terminis circumſcribi. Celebramus vbique poſt mille ac ſexcentos ferme annos Beati Stephani necem ſolemni pompa, prædicat eius laudes coram ampliſſimo tot principum Senatu caput orbis terrarum Roma: vbi tot regum ingentes moles, tot monumenta Cæſarum conſpicimus, qui id vnum ſuis laboribus contenderunt, ne funditus interirent, ne ipſorum memoria vnà cum morte pariter occideret, nec tamen aſſequi potuerunt, vt ſe ab hominum ſilentio & obliuione defenderent. Non eſt hæc noſtra, ſed Dei virtus, cuius cum in dextera ſit potentia, & gloria, infirma mundi elegit vt confundat fortia. Is Stephanum docuit non cominus gladios, aut eminus haſtis pugnare, vt palmam conſequeretur, ſed obſiſtere nulli, cedere omnibus, inter hoſtium conuicia, & maledicta ſilere, vulnerantes charitate complecti, Deũ pro perſequentibus, & lapidantibus deprecari. Quam nouum & admirabile pugnæ genus! ſed longe mirabilius eſt tam inuſitato armorum genere triumphũ retuliſſe, patiendo viciſſe, audaciam benignitate, inimicorum furorem fuſo ſanguine repreſſiſſe, de extremo denique ſupplicio æternum gloriæ pondus, ſummamque celebritatem nominis reportaſſe. Verum quia victoris non modo triumphus, ſed & pugnæ recordatio delectat, accipite pau-

cis,

cis, quæ de occasione pugnæ veterum monumenta testentur. Erant Hierosolymis si Iosepho credimus, collegia non pauca, cuiusmodi & Romę iā visuntur, quæ Gregorij XIII. Pont. Max. euexit munificentia, de vniuerso orbe Christiano optime meriti, eò ex diuersis Iudeæ partibus confluebant adolescentes, vt diuinam legem addiscerent: inter hos Stephanus erat, qui cum Christi fidem profiteretur, eamque miraculis consignaret, Sauli Tarsensis Cilicum synagogæ facile Principis indignationem in se, atque impetum concitauit. Is quum eodē quo Stephanus vteretur magistro Gamaliele, & vt scribit ad Galatas, profecisset in Iudaismo præ cæteris coætaneis suis, paternarum traditionum abundantius æmulator existens, numquam destitit ab incepto, donec illi in Concilium adducto, vita lapidibus eriperetur, à cuius animo Christus charior vita auferri nō potuit. Spectabant Iudæi non obscure ruentem Moysis synagogam, Christique surgentem Ecclesiam, conati sunt reiectam ab ædificantibus petram si fieri posset obruere, ne in tam nobili structura conspiceretur. Verum non est consilium contra Dominum: nam lapis quem isti Mosaicæ domus coementarij reprobauere, hic factus est in caput anguli, vt nimirum non modo martyr, sed martyrum etiam ductor existat. Apostolos enim ipsos à quibus pie viuere didicerat, triumphali morte præcessit, & quorum discipulus erat gradu, magister cœpit esse martyrio. Quid moliris Pharisæe, quid proficis? Christi discipulum argumentis aggrederis? sed non timet humanæ sapientiæ nexus, quam Dominus crucis mysterio reddidit insipientem: fustes intentas? non expauescit ad fustes, cui spes est omnis in ligno: collo, & manibus funes inijcis? martyribus ornamenta sunt ista, non vincula. Extra vrbem compellis, & lapidas? sed subtrahitur perfidiæ tuæ illæsa veritas, & Stephano in cælum abeunte, tu conficeris saxis tuis. Iamvero quod genus spectaculi, quæ florum varietas, quæ tam grata colorum distinctio, sic oculos intuentium oblectat, vt Stephanus inter hostes beneuolus? inter immanes feras mitissimus sub procella? & nimbo lapidum innocentissimus: dicam amplius, damnatur vt reus, & patrocinatur vt iustus; moritur, & timetur: tanta est maiestas in verbis, aut bonitas in prodigijs, pondus in vita! Vbique inuictæ Ste-

Gal. 1.


Psal. 117.

Q phane

phane corona te tua dignum reperio, siue disputantem intueor, siue sanguine & sudore manantem, & docentem admiror & patientem: sic enim decebat vt instar doctissimi scribæ noua proferres, & vetera, Christum calleres, & Moysem, vt quæ verbo docebas, sanguine confirmares, vt Euangelicæ pręcepta legis te doctore, quem omnis posteritas audire non poterat, non in tabulis lapideis, non in columnis, non in ære Corinthio, sed in excarnificato pectore tuo cerneremus incisa. Cælum ipsum ad tam nouum gratumque spectaculum portas aperuit, dilatauit sinum, amplificauit aditus, vt ingentes Protomartyris triumphos exciperet. Sed vnde mihi exciderant lapides illi quos cruor morientis quum infecisset, in pretiosas margaritas, gemmasque conuertit? Hi viam strauerunt Diacono, & ostium reserarunt tabernaculi non manu facti, vt intraret summo ministraturus Pontifici, qui per proprium sanguinē ingressus erat in Sancta. Iisdem enim, P. B. lapidibus quatiebatur cælum, & Stephani pectus, & quamuis corpus illud beatarum mentium domicilium indissolubile sit & immortale, tantus fuit tamen sub molli carne vigor fidei, tantum robur, vt prius hostium furori cesserit cælum, quàm pectus. Vicisti Stephane; adhuc spiras, & cælum ictibus intueris apertum: nunc sub oculis præsentis Domini dimicas, quem stantem vides à dextris Dei, nec adest tantum vt spectet, sed ipse luctatur in te, ipse congreditur, ipse in certamine tuo, & coronat pariter, & coronatur. Fessa iam erat, nondum tamen expleta inimicorum sæuitia, carnifices ipsos lapidando vires defecerant, non defuit amor in martyre, sed exarsit. Itaque vt ijs salutem afferret, qui vitam ei eripere conabantur, positis genibus pro conuicijs preces ad Christum rependens, Domine (inquit) ne statuas illis hoc peccatum. Hęc dixit finemque dolori quem saxa non dabant, coronæ dederunt. Ne miremini, suum habebat ignem Stephani pectus, feruebat spiritu, redundabat gratia, prodidit tandem crebris contusum ictibus, ac veluti scintillas è silice & suspiria pro hostibus, & pro lapidantibus preces audiuimus. Sed quis illum docuit sugere mel charitatis de petra, oleumque misericordiæ de saxis durissimis? non hæc hausit è schola Moysis, sed ex Caluario, nōne ad pedes Christi pendentis in cruce, cuius dum imitatur exemplum, experi-

peritur effectum : ibi Dominus precibus suis ex latrone martyrem fecit, hic seruus virtute Domini lupum in agnum, Saulum in Paulum, persecutorem in Apostolum conuertit. Quod dicendi genus illustrissime Martyr, fortitudini tuæ par esse poterit, quæ fortitudo præmia, non plagas numerans, ex lapidibus ipsis vt ex diuinis quibusdam seminibus metere potuit immortalitatem? Tolerasti vsque ad consummationem gloriæ illata supplicia, nec cessisti tormentis, immo vero tibi tormenta cessere. Quamuis tanta esset in afflicto corpore tuo vulnerum vis, vt membrorum compage dissoluta, non amplius tot quererentur membra, sed vulnera. Serue bone & fidelis, quàm subito persoluisti Domino, quod debebas? hesternis lacrymis hodiernum sanguinem, stabulo stadium, vagitibus & fœno saxorum imbrem. Ille pro te heri hominem induit, tu pro illo hodie hominem exuis. In cælo nunc viuis, & viuis Deo: vbi nullæ tibi vitandæ hostium insidiæ, nulla pericula metuenda, ibi mortalis esse desijsti, quod inuitus eras, & immortalis esse cœpisti, quod optabas: sed exutus mortalitate compatere nobis, quibus omnia sunt cum morte communia, qui hanc ipsam, quam viuimus, horam cum morte dinidimus, nos præsertim Angli, qui (à Petri successoribus ad iuuandam patriam destinati, orbatam Christo Sponso, vt tu olim electus à Petro ad viduarum curam) æstimati sumus tamquam oues occisionis. Affer opem in pugna, qui victoriæ spem dedisti, & quod olim pro lapidantibus es precatus, nunc pro deprecantibus ora, quo facilior ad veram gloriam, & ad ista gaudia nobis aditus pateat.

†



ORATIO V.



IRVM sane ac prope incredibile, exploratum tamen ac verum est, Pater Beatissime, illud Augustini pronunciatum, homine nullam esse immaniorem feram, si sibi relinquatur. Etsi enim ita natura cõparatum est, vt is non solum cum rebus inanimis corpus, cum animantibus sensum, verum etiam cum cęlitibus rationẽ habeat communem, cuius impulsu, & bono adhęreat, & abhoreat à malo; ita tamen aut cupiditatibus distrahitur, aut illecebris irretitur, aut iracundia perturbatur, vt obscurata intelligentia, & affecta voluntate, in homine nihil interdum humani reperiatur.

Quod si quando sui homo dissimilis est, tum certe est dissimillimus quum prauo de rebus diuinis sensu, & adulterinis opinionibus hallucinatus, superbè ac pertinaciter veritati resistit, & in erroribus obfirmata animi peruersitate persistit. Luculentissimum profecto huius rei exemplum hodierno die in Iudæis videmus expressum, qui erroris caligine excæcati tam effrænato ac præcipiti furore abrepti sunt, vt neque cælestis aspectus decore, neque admirabili sermonis grauitate, neque illustri miraculorum gloria flecti potuerint quominus innocentissimum, sanctissimumque adolescentem per summam iniuriam damnarent, obruerent, tum & acerba morte multarent. Erroris enim comes est pertinacia, & inexorabilis quędam iracundia, quæ ita Iudęorum mentes è suis sedibus dimouit, ita occupauit sensus, ita vim omnem ac facultatem rationis euertit, vt quæ omnibus placere solet, ipsis displiceret pulchritudo, quæ omnes demulcet, illos exulceraret eloquentia, quæ incredulos conuertunt, crudeles eos redderent miracula. Verum apud quos inuisus fuit Christus, quid mirum inuisum quoque fuisse Christianum? & qui in meridiana luce cęcutientes splendorem solis non percepere, eos exiguum illius iu-

bar conſpicere nequiuiſſe? Quamquam exiguum certe iubar Stephanus dici non debet, cuius animi fulgor in ipſum etiam corpus redundans in homine adhuc mortali, futuræ immortalis ſpeciem quandam & ſpecimen exhibuit.

Sed quid ego Iudæos velut inimicos criminor, qui martyribus anteſignanum inſignem, fidei teſtem ampliſſimum, Stephano denique coronam incorruptam vel volentes addiderunt? Quid ego hoſtili eos oratione perſtringo, quos Stephanus tam ſingulari viſus eſt amore complecti, vt poſtremam ſpiritus, vocis, vitæque vſuram in eorum rem & commodum conferre non dubitarit? Intellexit nimirum gratiſſimus iuuenis lemniſcatam hanc & inſignem martyrij palmam nonniſi ab hoſtibus poſſe deferri. Hoc enim Chriſtianorum peculiare ac proprium eſt, vt ſi in fidei cauſa vicerint, hoſti prædam extorqueant: ſi vero, vt Stephano accidit, in obfirmatos animos incurrerint, quorum nec duritiem flectere, nec furorem euadere poſſint, toleranter ſuſtinendo, gloriam, fortiter occumbendo, victoriam conſequantur; adeo vt ſiue proſtrato, ſiue proſternente inimico, feliciſſime homini Chriſtiano omnis belli cedat euentus: quinimmo nobilior mortem ferendo, quàm inferendo victoria martyri comparatur, quum præſtantius, & admirabilius ſit, ſi à quo dum viueret, vincebatur, de eodem mortuus victor triumphet, ac tepenti adhuc ſanguine ſaxea eorum corda molleſcant, qui vitam ei & ſanguinem ſaxis abſtulerunt.

Superarunt quidem Iudæi Stephanum, ſed ita ſuperarunt vt deteriore morte ipſi perirent, quàm illum perimerent. Vicit Stephanus Iudæos, ſed ita vicit, vt præſtabiliorem vitam ipſe acquireret, quam illi adimerent. Superarunt Iudæi vi & vulneribus; vicit Stephanus veritate ac precibus.

Denique Iudæi ita vicerunt, vt Deum quem propugnare videbantur, maxime oppugnarent, Stephanum autem quem expugnare viſi ſunt, coronarent potius, quàm vincerent.

At vero Stephanus ita pugnauit, vt ab hoſtibus victus hoſtes vinceret: ita vicit, vt victis hoſtibus victos liberaret.

Si enim, vt ait Auguſtinus, Sanctus Stephanus ſic non oraſ-

oraſſet, id eſt, inter denſiſſimos hoſtium ictus, Eccleſia Paulum non habuiſſet. O arduam plane ac difficilem, fœlicem tamen victoriam, tam eximijs auctam ſpolijs, qua è Saulo Paulus, ex lupo agnus, ex crudeliſſimo Eccleſiæ oppugnatore acerrimus propugnator effectus eſt! Tu verò Saule, qui parricidio huic & cædi iniuſtiſſimæ ſuffragaris, quid agis? cui inſultas? itane tibi inuiſus eſt Stephanus, quem in cauſa ſimili, quamuis diſſimili mortis genere es imitaturus?

Nihil te adoleſcẽtis diuina ſpecies oris mouet, nihil ſanctitas, nihil conſtantia? Veniet profectò, veniet aliquando dies ille, quo diſcuſſis errorum tenebris hæc omnia ſuſpicies, & nobiliſſimo illius ſtimulaberis exemplo, cuius nunc tantopere delectaris exitio. Quod autem in præſentia facis non tam ingenio tuo, quàm falſis quibus imbutus es opinionibus tribuendum eſt, quæ eò hominem dementiæ redigũt, vt ab omni pietatis ſenſu ad belluinam neſcio quam feritatem degenerans, ſummam in cæde & ſanguine voluptatem ponere videatur. Atque vtinam vltimum huius rei experimentum in Stephani cæde accidiſſet, vtinam vel hac noſtra tempeſtate Iudæorum barbaries, in innumerabilibus opinoſiſſimorum hominum ſectis non reuiuiſceret. Vtinam nuſquam hodie Eccleſia truculentiores veritatis hoſtes, quàm qui Stephanum inſectati ſunt, experiretur. Iudæi falſis quidem damnarunt teſtibus innocentem: è ciuitate inſtar piaculi exturbatum lapidibus obruerunt: ſed neque torſerunt equuleis, neque raptarunt equis, neque in mortuum ſæuierunt.

At non deſunt hodie hæretici, qui Catholicos homines omnibus ludibrijs & cruciatibus viuos, mortuoſque diuexent.

Teſtes ſunt recentes illi in Gallia Caluinianorũ (vt de veteribus hæreticis taceam) furores, qui in Catholicis potiſſimum ſacerdotibus excruciandis eouſque peruenerunt quo ad progredi potuit ferorum ac ferreorum hominum immanitas.

Teſtes ſunt innumerabiles ſtrages, & plurimorum millium cædes, quas tragica illa Lutheri dogmata Germaniæ populis attulere. Te ipſum Stephane teſtem appello, qui glorioſiſſima pro Chriſto morte ab incredulis affectus, com

plu-

plures tuo exemplo ad similem fortitudinem omnibus seculis excitasti: & nunc ex beatissima ista cæli arce quàm lamentabiles & luctuosas vbique gentium istiusmodi homines pariant ærumnas, & calamitates intueris. Intueris tu quidem Ecclesiæ pugnas, sed securus intueris, non vt pugil in palæstra, sed vt victor in patria. Nos vero te ducem atque auctorem secuti, adhuc in sole ac puluere desudantes, plagas ab hostibus inflictas non cernimus modo, sed sentimus; non eminus tantum prospicimus, sed etiam cominus experimus. O longum, ò difficile experimentum!

Septem & viginti annos in Anglia equuleorum cruciatus, custodiarum squalores, bonorum rapinas, & grauissimas exilij difficultates perpessi sumus.

Septem & viginti annos Londinum, aliæque vrbes Angliç complures, innocentissimo martyrum sanguine redundarunt; necdum tamen insatiabilis eorum feritas exsaturata est: adhuc nostrum sanguinem sitiunt, adhuc Catholicos ad carnificinas rapiunt, adhuc omnibus supplicijs cruciant, mactant, contrucidant.

Tu igitur præclarissime Protomartyr, qui primus in hac aciç signa sustulisti, tuis inhærentes vestigijs tuis precibus corrobora, & quos instituis exemplo, ne destituas auxilio, nec tuis in cælo precibus careant æmuli, quas sibi in terris salutares senserunt inimici.

Te autem Pater Beatissime, per hunc ipsum martyrum Principem, per istam, quam sustines Christi personam oramus atque obsecramus, vt si hoc nobis potissimum ab hæreticis hominibus crimen obijcitur, hoc in nobis præcipue omnibus supplicijs vindicatur, quod Pontifici Romano addicti, quod Romanæ Sedis ministri sumus; vt auitam (quod facis) Anglorum erga Romanum Pontificem obseruantiam amplectaris, calamitatem subleues, miseriam depellas.

Sicque ob eam ipsam causam ab huius Apostolicæ Sedis hostibus exagitati, atque vexati, relicta patria, fortunis, cognatis, parentibus, ad hanc religionis arcem, ad te communem omnium gentium parentem confugimus; Angliæ reliquias tantopere ab impijs iactatas, in pater-
no

ao tuo pietatis gremio, tantisper fouere velis, dum doctrinis ac viribus instructi, aliquid opis, occidenti patriæ vel nostri capitis periculo afferamus.

Amen.





IN



IN FESTO SANCTI IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.



ORATIO PRIMA.



RDO, res, locus & tempus postulant, Beatissime Pater, vt post desideratissimam Natalis Filij Dei celebritatem,& gloriosam gloriosi Stephani Protomartyris & virginum præcentoris coronam, dicam in hoc augustissimo & vere Apostolico Patrum amplissimorum Senatu de beato Euangelista & Apostolo Ioanne, qui priuilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari, vt in hac perturbatione rerum omnium atque adeo religionis Christianæ sollicitè considerantes quod vidit, audiuit, annunciauit, scripsit, intuendo eius conuersationis exitum, fidei, patientiæ, virginalis castitatis & reliquarum virtutum ad imitandum,& Christum cum beato Petro sequendum iuxta Euangelicam historiam exemplum habeamus, quo maiorum instituto laudata virtus crescat,& in maioribus periculis fides nostra in patientia, sapientia, & charitate, vt superiore anno Iubilæo potentius perseuerando sese exerceat.

Verum enimuero tam multa mihi deesse ad suscepti muneris functionem fœliciter obeundam vehementer doleo. Adhibenda enim videtur ea dicendi ratio, quæ huic loco ad dicendum amplissimo conueniat, quæ professioni Theologicæ omni ex parte respondeat, quæ senibus, quæ grauibus, & ad miraculum doctis hominibus perplaceat. Quocumque enim me conuerto summum & singularem aliquem in quolibet bene dicendi & sentiendi genere conspicio, vt quod Romæ ignoratur, alibi nesciri ingenue fatendum sit. Sed est quoddam prodire tenus, si non datur vltra. Dicam ergo Beatissime Pater, de beato Euangelista & Apostolo Ioanne cum bona venia huius Sanctissimi senatus, prout spiritus sapientiæ & intellectus dabit eloqui, si prius Catholicæ Ecclesiæ consilium & prudentiam in œconomia & distributione natalitiorum gaudiorum volueritis & placuerit contemplando paucis recognoscere.

Ecclesia Romana omnium aliarum mater & magistra à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo secundum promissionem à Spiritu sancto edocta ad filiorum suorum salutem & consolationem perpetuam vtiliter instituit, vt statim post natalem Domini horum trium mentio fieret Stephani videlicet Protomartyris, Ioannis Euangelista & Innocentium, qui incarnationis Dominicæ non loquendo, sed moriendo præcones ac testes mirabiliter extiterunt, quò primum perspicue agnosceremus, in quem vsum Christus Gal. 4. venisset in hunc mundum, vt nimirum, inquit Paulus, eos qui sub lege erant redimeret, & adoptione ius filiorum acciperemus: & quæ hominum genera ad Christum pertinerent. Innocentes siquidem pueri infantes fuerunt, Stephanus mediæ ætatis, Ioannes Euangelista vixit diutissime, nec dubitandum hos omnes consecutos regnum cæleste gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, qui & solus meruit vt illorum & omnium Sanctorum merita thesauro Ecclesiæ fideliter asseruata nobis applicando prodessent. Qua certe œconomia docemur ad Christum pertinere infantes, mediocres & senes, nullumque genus ætatis & conditionis Christum excludere, in Christo non est infans, adultus, non senex, non mas, non fœmina. Apud Deum non est distinctio Iudæi & Græci, sed omnis qui facit voluntatem eius acceptus est ei.

Secun-

Secundo doceremur non solum de humanitate & humilitate Christi, verum & de eius diuinitate quo regni Christi ordo quasi per prosopopœiam omnium oculis subijceretur: nam in die natalis Domini audiuimus Christum in præsepio iacentem, infantem, pauperculum: memoria Stephani Diaconorum maximi, videmus eum in cælo stantem à dextris Dei, vt quemadmodum in primo baptismo, Christi videlicet, Deus Pater, sic in primo martyrio Christus Dominus se omnibus martyribus adfuturum ostenderet. Quam quidem consolationem Stephani ex apparitione Christi sedentis à dextris Dei, veteres Christiani in articulo mortis, vel instante tyranni persecutione ex communione sacramentali corporis Christi quæsiuerunt. Ioannis vero Euangelistæ aquilæ instar supra cęteros volantis conscripto Euangelio diuinitatis eiusdem monemur, sic enim clangit tuba Euangelica filius Tonitrui Ioannes, qui de pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

Tertio moneremur trium istorum commemoratione tria hominum genera perpetuo aduersatura Ecclesiæ Romanæ quę eadem est ac Catholica cum sola vere in Concilio Niceno trecentorum decem & octo Patrum Catholicę nomen meruerit obtinere. Philosophos & sapientes huius sæculi, qui de religione nihil amplius credere volentes quã quod illis ratione esset persuasum, naturæ & physicis demonstrationibus omnia tribuendo, fidem Christianorum penitus conuellere tentarunt, vt hoc nostro tempore ex aduersarijs subtiliores & acutiores in disputando, qui suę impietatis errores gentilium scriptis ita suo more obscurant, vt dicant quædam vera esse secundum philosophiam, quæ non sunt secundum fidem Catholicam, quasi vero duę sint fides, duæ veritates contrariæ & quasi contra veritatem Scripturę & Ecclesiæ sit veritas in dictis gentilium damnatorum de quibus scriptum est, Perdam sapientiam sapientum. Quomodo enim uera fides dici potest si non est vna, cum quicquid est pręter veram fidem perfidiam non fidem dicat esse Hilarius? Si vna est, profecto intus vna & foris esse non potest: Si intus est, in Apostolica sane est Ecclesia, vbi solum legitima & perpetua successio Sacerdotum

qui nos in vera fide genuerunt, esse demonstratur: foris enim esse non potest, cum infallibilitas veritatis ex promissione Christi concludi non possit & valeat. Contra quos post beatum Stephanum Christi athletã veteres omnes Theologi pro Christianismo non modo voce, sed & scripto pugnarunt; & ex recentioribus pene infiniti, qui ab aduersarijs lacessiti huiusmodi pugnam sæpius instaurare coacti sunt.

Hos sequuntur Hæretici & impijssimi Capharnaitæ, vt Cherintus, & Ebion, qui non iam vt illi de principijs rerũ, de creatione mundi, sed de incarnatione Verbi, Christique diuinitate ita impie disputarunt, vt coactus fuerit noster Ioannes alioqui grauissimus hæreticorum & Schismaticorum insectator Euangelium suum Asiæ Episcopis suadentibus conscribere.

Tertij in persecutione Christianorum sunt reprobi homines & tyranni principes, qua persecutione nulla maior, nulla formidabilior Christianis ex præcepto Christi demirantibus potestatem à Deo datam, esse potest: sed non est consilium aduersus Dominum, nec contra diuinam prouidentiam astutia suffragatur humana. Velint nolint, regnabit Dominus in medio inimicorum suorum. Narrauerunt hactenus poetæ fabulationes suas, Philosophi suas demonstrationes protulerunt: Hæretici schismata & dissensiones ad suam ipsorum perditionem inutiliter seminarunt, cum ex tanta prętergressa hæreticorum multitudine, Manichæorum, Pelagianorum, Marcionistarum, Anabaptistarum, Nouatianorum, Donatistarum, Arrianorum, Valdensium, Viclefitarum, Hussitarum ne littera quidem scripta ad nos peruenerit. Quin etiam plerique ex Catholicis Doctoribus tam Græci quàm Latini, vt loquitur Propheta, ex inimicis (gentilium dico & hęreticorum dictis & scriptis) & de manu omnium qui oderunt nos, salutem quæsierunt, vt de suis magistris ad sui dogmatis defensionem iam supra nos non posse gloriari videantur. Tyrannorum minæ, exilia, cruces nihil profecerunt nec vnquam proficient contra legem Domini & eam doctrinam quæ Apostolis eorumque successoribus adhæret & quæ Christi Vicariatum agnoscit, sequentiumque B. Petrum in Sede Romana potestatem veneratur.

Quar-

Quarto certo concluderemus Christi regnum non esse mundanum, sed in hoc mundo expositum cruci, vt vere Euangelium Christi verbum crucis existat. Iuxta quod Ecclesiastes pium quemque sic adoritur: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore & iustitia, & præpara animam tuam ad tentationem. Omnes (inquit Paulus) qui piæ volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur. ideo Hebræos eò mentis oculos attollere & Patriarcharum ac Prophetarum exempla intueri iubet, vt infixum illud immotumque animis hæreat, quod aliquando promulgauit, oportere per multas tribulationes introire in regnum cælorum. Sic enim inquit B. Augustinus: Dilectis suis Deus iter asperum facit, ne dum delectantur in via, obliuiscantur eorum quæ sunt in patria. Nos quoque res ipsæ edocent nobis vtiliora bella pace, quia pax nos delicatos, remissos facit & tumidos, bellum vero & mentem acuit & præsentia quasi transeuntia contemnere facile persuadet. Itaque B. Stephanus quamuis plenus gratia & fortitudine varia Dei in Iudæos beneficia commemoraret, & multiplicem eorum contra Deum rebellionem zelo demonstraret, seditione omnium prima contra Christianos à Scribis primum mota lapidibus eodem anno quo Christus passus est, obruitur: & noster Ioannes, vt reliquos ex ordine quatuordecim, persecutionum in Christianos breuitatis studio prætermittã, quem vocatum, cum Petro & Andrea præ cæteris dilexit, sæpeque magna amoris argumenta exhibuit: quippe qui in cœna nouissima super pectus eius requieuit, transfigurationi eius in monte cum Moyse & Helia adfuit, in cruce commendauit Virginem matrem Virgini, prædicauit Euangelium Christi annos plusquam sexaginta. Nam ad extremam vsque vixisse senectutem singulari quodam Dei munere veterum monumenta testantur. Quæ vitæ diuturnitas etsi magnum Dei donũ sit nec ceteris Apostolis concessum, qui omnes violenta morte perierunt: tamen tanto in tempore tàm multa tàmque diuersa propter nominis Christi confessionem passus est, vt illi multo iucundius expetibiliusque fuisset mortuum esse, & cum beato Petro sequi Christum, quàm in tantis afflictionibus manere, nisi Christus Dominus sic eum manere voluisset, vulgari intelligo, & naturali morte Deo & naturę debitum soluere, non violenta oc-

Eccles. 2. *2. Tit. 3.* *Act. 14.* *Act. 6. & 7.* *Matth. 4.* *Matth. 17.* *Ioan. 19.*

cumbere cum Esaia, Amos, Iohele, Ioanne Baptista, Petro, Paulo, & reliquis qui per omnia tentati in occisione gladij mortui sunt. Vidit enim suos collegas & Coapostolos crudeliter trucidari, sub Imperatore Domitiano in Insulam Pathmos exul missus est, in dolium feruentis olei coniectus vegetior exinde prosilijt, vidit deuastationem vrbis sanctæ Hierusalem, & internecionem gentis suæ. Postremò vt malis omnibus bona quædam permixta sunt, vidit Ecclesiam Christi fideliter promoueri: quod summum inter tam varia malorum genera, & solum fuit illi solatium. Neque enim cessabant tum impij ex gentibus & ipse Cherintus cum Ebione Ecclesiam Dei diuexare, hoc vndique diuulgato dogmate, Christum ante Mariam non fuisse, nec esse natura Deum.

Dabitis mihi veniam, Patres Illustrissimi, si hoc loco bona causa mox rediturus aliquantum digrediar. Vtinam id solatij & consolationis Deus Opt. Max. in tanta malorum, quam cernimus, iliade, in tanta ordinum omnium deformatione, inter tot grassantes & recrudescentes hæreses Sanctissimo D. N. Gregorio XIII. Pont. Max. tribuat, vt videat aliquando Ecclesiam Dei in qua pro Christo vicariam gerit & præstat operam, fœliciter in fide & bonis moribus promoueri. Vtinam videat gentem auferri perfidam credentium de finibus. Vtinam concedat omnipotens & misericors Dominus, vt Christiani omnes principes mystici corporis præcipua quædam membra Sanctitati suæ tanquã capiti insolubili & sacrosancto fœdere vniantur, vt collectis coniunctisque viribus immanissimo Turco Christiani nominis hosti iurato occurrant, vt desponsis ac desperatis rebus ocyssime consulant: ne ciuitates, regna, imperia quæ proculdubio Dei dona habent, diripi sinant & quod reliquum est Christiani orbis conuellatur, dissoluatur, depopuletur. Iam redeo.

Tam autem diuturnum, tranquillum & vulgarem vitæ exitum non frustra nostro Ioanni Christus Dominus contulisse videtur. Primum enim consuluit Ecclesiæ suæ, vt haberet aduersus hæreses propugnatorem, eas maxime quæ eius diuinitatem negabant. Deinde vt vanam persuasionem è cordibus multorum eximeret.

Nam cum vulgo Discipuli & Apostoli Christi trucidaretur,

tur, venerant in eam opinionem nonnulli eum non esse verum & legitimum Christi discipulum, qui violenta morte non extingueretur. Refert Clemens Alexandrinus Gymnosophistas sese in ignem præcipitare, vt virtutem ostendant. Narrat August. Circumcelliones sectam quandam Donatistarum si non à Christianis occiderentur, vt dicerentur martyres, violentas sibi manus attulisse. Quin & primi duo principes scilicet Montanistanorum sibi mortem consciuerunt, vt dicerentur à Christianis martyrium passi. At Christus in Ioanne non obscure indicauit se etiam eos diligere qui in confessione veræ fidei tranquilla morte moriuntur. Postremo vt occasione Ioannis excitato quasi inter Christum & Petrum dialogismo, sacrarum litterarum interpretes consolarentur si omnia Scripturæ loca ad vnguem non teneant, cum & Christi discipuli ita diu apud Christum versati infirmitatem & ignorantiam in interpretatione verbi manere, pro non mori, satis aperte prodiderint.

Non quod de infirmitate & ignorantia sibi complacere, & congratulari debeant, sed cum accidit ignorare, non despondeant animum, sed candide fateantur quędam in Scripturis se non intelligere, quędam prorsus ignorare; moneretur etiam quisque quo suæ vocationi seruiat, nec in aliorum munus & vocationem sua non contentus respiciat, more ignauorum seruorum, qui aliena sic curant, sua vt non peruideant, aliorum vocationem quasi iucundiorem & beatiorem optent, suam vero deserant. Quod vitium gentibus haud incognitum Græci πολυπραγμοσύνην, nos curiositatem possumus appellare. Sic forsasse B. Petrus cum ei prędixisset Christus qua morte ipsum esset glorificaturus, conuersus vidisset Ioannem, dixit Christo: Domine hic autem quid? Cui Christus: Sic eum volo manere, quid ad te? Tu me sequere. quasi dicat, si ego te per martyrium, ipsum vero sine martyrio velim vitam finire tibi & illi daturus regnum cælorum, in disquirenda ratione noli esse multum sollicitus. In domo enim Patris mei mansiones multæ sunt. Sequamur ergo singuli vocationes nostras, si quis ad martyrium vocatur, quod sane excellens Dei donum est, gaudens & cum gratiarum actione illud suscipiat. Non enim solum datum est nobis, vt in Christum credamus, sed etiam vt pro eo patiamur. Si hic vult nos manere donec veniat, & per

Ioan. vlt.

Ad Phil. 1.

& per multas tribulationes ad summam vsque ætatem cum beato Ioanne Euangelista patientiam nostram exercere, opprobria omnium exprobrantium nobis pro Christo forti & constanti animo sufferamus, haud similes gentibus & hæreticis qui futurorum malorum cogitatione, dedecoris & infamiæ metu vel epoto veneno, vel præcipitio, vel gladio nullo diuino afflante numine, sed sola animi impotentia misere sese enecarunt. Deponentes omne pondus & circunstans nos peccatum, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum Christū, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet. Recogitemus eum qui talem a peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem sustinuit, vt non fatigemur animis nostris deficientes: sed acceptis lampadibus cum oleo vocationem nostram vrgeamus, Ecclesiam Christi interea verbo & exemplo ædificemus, societates, collegia, seminaria instituantur, in quibus bonæ artes colantur, pietas, quæ sæpenumero eruditionem auget & facundiam suggerit, doceatur, Doctores non aliter, quam animorum parentes honorentur, pauperes alantur, maxime propter religionem fideiq; iustitiam profugi, & exules. Nam & Iudæi ipsi legem suam fouebant multitudine discipulorum, adeo vt dicerent mansuram legem quamdiu collegia illa durarent. Itaque Iulianus Apostata persecutionis erga Christianos xiiij. princeps, Antropomorphitarum sacrilegam hæresim secutus, spoliatis Ecclesiis & Doctorum detractis præmijs omnia pietatis & religionis exercitia sustulit. Venientem ergo Dominum tamquam serui fideles patienter & fortiter expectemus, vt cum venerit & pulsauerit confestim aperiamus illi, commendaturi animas nostras in benefactis nostris per Dominum nostrum Iesum Christum: quem quia propter suam reuerentiam semper exauditum gentiū Apostolus prædicat, concludendo sic, bonitatem eius immensam fidelium omnium nomine cum beato Bernardo interpellabimus: Recordare Domine Iesu, quia tuum non est perdere quicquam eorum quæ Pater tuus dedit tibi, quin tibi proprium est misereri semper, & parcere, neminem perdere sed saluare. Nam Pater tuus misit te in mundum, non vt iudices mundum, sed vt saluetur mundus per

Heb. 12.

te

te ipſum qui es propitiatio & aduocatus noſter non contra nos. Quod enim debuimus tu ſoluiſti, quod peccauimus tu luiſti, quod negleximus tu ſuppleſti. Proficiat ergo nunc Domine Ieſu Eccleſiæ tuæ oppreſſæ & extreme laboranti in Germania, Polonia, Gallia, Anglia, Scotia, Belgica amariſſima mors tua, inæſtimabile pretium fuſi ſanguinis tui, commemoratio ſatisfactionis tuæ, venerabile myſterium corporis & ſanguinis tui, quod nunc tibi, & quotidie offertur in Eccleſia tua pro ſalute fidelium ſeruorum tuorum, in qua es tu ipſe ſacerdos, & ſacrificium, ille qui offert pariter & cui offertur, Amen.

ORATIO II.



VOD olim (Beatiſſime Pater) Dei Omnipotentis Maieſtati aſſiduis, & importunis precibus inſtabat perfida illa, & incredula Iudæorum gens: Innoua ſigna, immuta mirabilia, victricem manum tuam glorifica, æternum, & inuincibile brachium, in quo facturus es potentiam tuam, extende: nunc demum ad noſtram vtilitatem, & gloriam magna cum omniũ admiratione impletum eſſe videmus, nobis enim ſuis fidelibus hodierna die ex incunabulis vbi iacet inter glorioſos, & teneros dulcedinis ſuæ vagitus, clamare non deſinit: Ecce, ecce noua facio omnia. Enimuero vt ſacri, & eloquentiſſimi Auguſtini verbis vtar, in hoc Redemptoris natali noua fiunt profecto omnia. Nouus infans, nouus partus, noua mater, noua ſtella, nouum præſepe, noui martyres, nouus denique Propheta, & Euangeliſta. Quid amplius? nouus amor, noua charitas, noua benignitas, noua miſericordia. In quem amplitudinis gradum, in quod honoris, & dignitatis faſtigium nos immenſa Saluatoris noſtri Dei humanitas non euexit? Dici enim profecto non poteſt, neque animo quidem, aut cogitatione comprehendi, poſtquam inter homines hominum conditor natus eſt,

Eccli. 36.

Iſai. 43.

supra pectus Domini in cœna recubuit, fluentaque Euangelij inde potauit, & ibidem eum interrogauit: Quis est Domine qui tradet te? Vnus qui singularem, & eximiam huius nominis dignitatem promeruit, vt discipulus, quem diligebat Iesus, appellaretur. Vnus, qui hanc gloriam obtinuit, vt Christi Domini frater, & Virginis Matris filius diceretur. Vnus postremo, cuius mors, & tumulus mirum in modum mirabilis exstitit, corpus siquidem eius nullibi in terris apparet. *Ioan.13.* *Ioan.18.*

Sed par est, vt paulo diligentius expendamus quibus signis, & argumentis singularem illum in Ioannem amorem ostenderit. Quatuor ego signa præcipua esse video, quibus vim amoris, quo amicum prosequimur demonstramus.

Nimirum si multa, & egregia beneficia in illum conferimus, si illo familiariter vtimur; si secretorum nostrorum participem facimus, vltimo si res maximi pretij nobis longe charissimas illius fidei, & diligentiæ committimus. At hæc omnia in Ioanne fuisse quis non videat? Principio tot, ac tantis fuit à Christo Domino titulis, & beneficijs ornatus, vt quicquid alijs per partes collatum est, totum simul in eum congestum, & collatum esse videatur. Et vt Apostoli dignitatem prætercam, Vates fuit dum Apocalypsim litteris mandat, futurorum mysteria continentem; fuit Pontifex dum tot Asiæ prouincias sui Euangelij prædicatione ad Christi cultum reduxit, auxit & conseruauit, ad vltimã senectutem illud semper ore repetens: Filioli diligite vos inuicem. Quid Euangelium eius, vel Epistolæ nisi mansuetudinem, charitatem, beneuolentiamque spirant? fuit eximius Doctor ab antiquis patribus Theologus per excellentiam dictus.

Vnde Beda ausus est dicere, quantum Doctrina sacra præcellit alias doctrinas, tantum Euangelium Ioannis antecellit reliqua Euangelia. Dionysius Areopagita Ioannem Solem Euangelistarum vocat. Et quod maius est Chrysostomus adeo excellentiam Ioannis extollit, vt non solum homines, sed Angelos ipsos ex Euangelio Ioannis multa didicisse affirmet: quemadmodum & Paulus ad Ephesios ait, Vt innotescat nunc principibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiã multiformis sapientia Dei. Fuit Martyr dum feruenti oleo immersus incolumis euasit, & ideo

summamque pulchritudinem depingit. Porro si is, qui in remotissimas orbis terrarum regiones proficiscitur, vxorem, liberos, charissima inquam pignora nonnisi amico longissimi temporis spatio, ac maximorum discriminum experientia explorato commendare conspicitur, (quod postremum amicitiæ indicium erat) summum sane necessitudinis, ac beneuolentiæ in Ioannem argumentum extitisse omnino fatebimur, si eas opes, eos thesauros inspexerimus, quos illi Dominus asseruandos commendauit.

Enimuero Christus in cruce moriens, ac in remotissimas alterius orbis regiones ad Patrem migraturus, quot, quantaque diuinæ liberalitatis reliquit monimenta? cum militibus crucifigentibus vestes dedit, latroni paradisum, Ecclesiæ aquam, & sanguinem, corpus cruci, vitam morti, mortem Deo, spiritum denique Patri commendauit. Aderat inter hos immensæ liberalitatis excessus, dilectus ille discipulus eximium aliquod munus ex amantissimo magistro, aut cupiens, aut exspectans. At vero Dominus benignissimos in Ioannem oculos conijciens, dulcissima ex ore verba, amplissima ex amore munera elargitur: Ecce, inquit, Mater tua. Quid tibi charissime ex testamento relinquam? Quid tibi legabo? En mater, qua post cælestem Patrem, nihil habeo aut in cælo, aut in terra charius, atque iucundius. *Matth. 26.* *Luc. 23.* *Ioan. 19.* *Ibidem.*

Hanc tu, quam cælestes spiritus vt Dominam, ac Reginam venerantur, in matrem accipe, hanc tibi commendo. Ecce Mater tua, quæ mihi mater est; vt iam non tantum mihi discipulus sis, sed etiam iure frater, siquidem vna tecum mihi communis mater est. O summum dilectionis indicium! O singulare dignitatis, & gloriæ priuilegium! Quid hac materni nominis appellatione blandius? quid etiam sublimius, atque diuinius?

Quanti habetur, quod Iudæ Machabæorum fortissimo à Nicanore, & eius militibus obsesso, & afflicto aureum ensem diuinitus elaboratum attulerit Hieremias Propheta, extendensque manum dexteram, dixerit, Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei. Sed quanto pluris habendum est, quod Ioanni à Cherinthis, & Ebionitis Christi Redemptoris nostri diuinitatem negantibus, afflicto, & exulanti, non Onias antiquæ *1. Mach. 15*

legis

legis Sacerdos apparuerit, aut Hieremias Propheta, sed
Apoc. 19. summus omnium Sacerdotum, & Prophetarum Dominus Iesus magna equitum cælestium stipatus militia, gladium ex vtraque parte acutum ore suo diuino ferens, innuens fortasse gladio illo, quod est Verbum Dei, omnes eius diuinitatis hostes debellaturum. Ioannis enim Euangelium, quod gladius ille ex vtraque parte acutus significabat, Hæreticos illos funditus deiecit, atque deleuit. Hoc diuino
Act. 6. ense, teste Gregorio, Apostoli firmati sunt: hunc heri Ste-
Cant. 3. phanus manibus arripiens faciebat prodigia, & signa in populo. En lectulus Salomonis, quem ambiunt sexaginta fortes omnes ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum. quis est iste lectulus nisi sacrum hoc Præsepe Saluatoris; vbi hodierna die diuinus Salomon requiescit?
Cant. 1. In quorum infantulum sponsa considerans: Ecce (inquit) tu pulcher es dilecte mi, & lectulus noster floridus: qui sunt enim Innocentes isti crastina die sacrificandi nisi cælestes flores, & erumpentes rosæ, quibus Ecclesia lectulum istum aspersit; ac decorauit? Sed quare hos teneros infantes Christi lectulum ambientes fortes appellat? quia cum eo-
Isai. 9. rum Dux, cuius nomen Isaias adhuc in cunabulis immorantis Deum fortem appellauit, innocens, & infantulus sit, quid mirum si coætaneos milites teneros etiam infantes elegerit. De quo idem Isaias, Antequam sciat vocare pa-
Isai. 8. trem suum, & matrem suam auferet fortitudinem Damasci, eiusque spolia diripiet. Noua bella elegit Deus; clypeus, & hasta si apparuerunt in his quadraginta millibus
Iudic. 5. Israël.

Sed vt ad nostra Beatissime Pater, mea conuertatur oratio: en lectulus Salomonis, quem ambiunt sexaginta fortes, quis est iste lectulus nisi Catholica Ecclesia sancta? Sed vbi est Salomon? Ecce plusquam Salomon hic Beatissimus Pater noster, numquam enim ille in omni gloria sua coopertus est, sicut vnus ex his Illustrissimis Cardinalibus, qui ad Vestræ Beatitudini ministrandum, & obsequendum sacrati sunt. En sexaginta fortes sanctissimum Ecclesiæ lectulum ambientes: vniuscuiusque ensis super femur suum. Sed cum tanta Christianæ reipublicæ vndique immineant mala, vos Illustrissimi Principes, qui ad eius defensionem
Ephes. 6. addicti estis: Induite vos armaturam Dei, state succin-

cti

cti lumbos vestros: Galeam salutis assumite, & gladium spiritus quod est Euangelium. Hoc vobis hodierna die ex suis armamentarijs libentissime Ioannes profert. Sed adhuc his armis munitos hortatur Apostolus, vt orantes sitis omni tempore in spiritu, in omni instantia, & obsecratione, primo pro omnibus Sanctis, & iustis, qui ab hæreticis omni laborum, & molestiarum genere torquentur. Deinde pro peccatoribus, quorum fides, & religio hac rerum perturbatione in maximum quotidie discrimen adducitur: iustissimos Beatissimi Patris nostri conatus fouere, & gladij ancipites, quos hodie vobis Ioannes donat, lateríque Paulus accingit, non in vagina rubiginosi deliteant, non ad ornatum tantum è latere pendeant, sed sint in manibus vestris ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius. Amen.

Ibid.

Psal. 149.

ORATIO III.

Etsi Beatissime Pater, omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendes à Patre luminum: præter omnia tamen dona, quæ à Deo Opt. Max. tamquam ab vberrimo fonte dimanant primum ac præstantissimũ esse à Deo diligi, omnis Theologorum schola vna voce profitetur. Diuina namque & humana dilectio longo inter sese discrimine separantur. Nam homines prudentes, atque cordati eos diligunt, quos aliqua virtutis splendore ornatos esse cognoscunt. At vero præpotens Deus homines bonos esse non supponit, sed ipse sua dilectione non modo bonos, verum etiam optimos facit, eisque varia impertitur dona, quibus decorati, sicut stellæ in perpetuas æternitates effulgent. Si igitur tanta est vis diuini amoris, tantaque

Iaco. 1.

Dan. 12.

que eiusdem efficacia, vt diuina quadam metamorphosi hominem transmutando illum diuinæ efficiat consortem naturæ, adeo vt quo magis aliquis amatur à Deo, eo sanctior & perfectior haberi debeat: qua sanctitate, quanto virtutum omnium fulgore credendum est B. Ioannem excelluisse, cum tanto amore illum Christus fuerit complexus, vt quasi proprio nomine non Ioannes, sed discipulus
Ioan. 21. quem diligebat Iesus, meruerit nuncupari? Si præterea maiorem esse fontem credere debemus, quo plures ab eo riuuli fluere solent, quantus erit perennis ille fons charitatis Christi erga Ioannem, ex quo tot priuilegiorum riuuli dimanarunt, vt si omnes enumerare vellem, nullum finem mea sortiretur oratio?

At vero percurramus animo totius Ecclesiæ militantis statum, perpendamus varietatem illam, quam in Ecclesia B. Paulus commemorat, contemplemur cum regio Vate
Psal. 44. Reginam in vestitu deaurato circumamictam varietatibus: Diuisiones, inquit, Paulus gratiarum sunt, idem autem Spiritus. & infra: Quosdam quidem, inquit, posuit Deus
1. Cor. 12. in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores: deinde virtutes. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes doctores? Numquid omnes virtutes? Quasi dicat, minime, neque enim omnia possumus omnes. Sed ò rem mirabilem! O rem omnibus gentibus, omnibus linguis, & omnibus ætatibus prædicandam! Ea quæ in alijs dispersa, ac diuisa sunt, in vno Ioanne coniuncta, & admirabili proportione diuinoque quodam concentu vnita reperiuntur. Si igitur vnaquæque quæ harum dignitatum illustrem, ac gloriosum efficit habentem: qua dignitate, & gloria florebit ille, qui omnibus his simul titulis decoratus effulget? Sunt in Ecclesia Dei discipuli Christi: at discipulus fuit Ioannes. Sunt & Apostoli: Apostolus fuit Ioannes: reperiuntur Euangelistæ: præter Euangelistas numeratur Ioannes. Laudantur doctores: Doctor etiam fuit Ioannes. Excellunt Prophetę: Propheta fuit Ioannes. Quin etiam plusquam Propheta. Vates enim antiqui diuino Spiritu afflati Christum à longe salutabant, illumque venturum populis prædicabant: Baptista qui cæteris omnibus antecelluit, eum præsentem agnouit, ac etiam digito demonstrauit. At vero Ioannes

non modo agnouit præsentem, non demonstrauit tantum digito, sed manibus etiam attrectauit. Quod inquit fuit ab initio, quod audiuimus: quod vidimus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ.

Sed vt vnde digressa fuit mea reuertatur oratio, sunt in Ecclesia Dei confessores: confessor fuit Ioannes. honorantur virgines: virgo etiam fuit Ioannes. quid plura? Sunt in memoria æterna martyres: at martyres quodammodo superauit Ioannes. Nam vna cum matre sibi à Saluatore data iuxta crucem nouo quodam martyrij genere fuit affectus: moriens quidem non in se ipso, sed in dilecto suo, ac fratre Christo, in quo vita sua abscondita erat. Anima namque plus est vbi amat, quam vbi animat: Ioannis igitur anima erat in Christo, & ideo patiebatur cum Christo: quin etiam lancea, quæ latus Christi aperuit, cor discipuli, qui in pectore Christi latebat, vulnerauit.

O commemorabilis fortitudo, ò prædicabilis vitę constantia! Cęteris omnibus Apostolis Christum in cruce deserentibus, vnus Ioannes ardentissima charitate inflammatus iuxta crucem perseuerabat, & ideo vnus etiam fuit, cui Dominus in cruce pendens matrem Virginem virgini commendauit. Diuinum namque Saluator noster iamiam moriturus condidit testamentum, in quo Patri spiritum, Ecclesiæ corpus, latroni paradisum, ac vestes militibus legauit: aderat ibi dilectus, quid sibi donaretur expectans, cui Christus beatam Virginem, qua post diuinas personas, nil illi neque in cælo, neque in terra charius erat, non solum in Dominam ac Reginam, verum etiam in matrem dedit. Ecce, inquit, mater tua. vt quæ mea mater est, tua quoque sit, & ex discipulo reddaris frater, quando vna mihi tecum communis est mater. O summum dilectionis argumentum, ò singulare dignitatis, & gloriæ priuilegium! Non dubito Principes Illustrissimi, quasi si in supremos illos Seraphici Ordinis spiritus vlla cadere posset inuidia, huic tantæ Ioannis dignitati inuiderent, vt quam illi reginam ac dominam venerantur, Ioannes matrem appellet.

Sed iam ad singularem amicitiam, & ad summam Ioannis cum Christo familiaritatem orationem conuertamus. Quæ enim maior esse potest hominis cum Deo familiaritas quàm in eius sinum recumbere, ibique dulci somno perfrui

ac secretorum multorum participem fieri? ô mirabilem sancti amoris audaciam! amor, inquit Bernardus, dignitatẽ nescit amantes æquat.

Baptista toto corpore contremuit & se ad soluendũ Christi corrigiam calceamenti indignum iudicauit. Ioannes vero in eius sinu recumbit. Angeli maiestatem eius venerantur, Seraphini summa illi reuerentia ministrant, columnę cæli contremiscunt ac pauent ad nutum eius, Ioannes autẽ supra eius pectus velut in mollissimo strato quiescit.

Ibi inquit regius Psaltes Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Ecquis est iste Beniamin, nisi Ioannes? quem Christus Beniamin, idest Filium dexteræ nuncupauit, quia dextera sua exaltauit illum, & brachio sancto suo protexit. Maria vero pulcherrimæ Rachelis instar vocauit eũ Bononi, hoc est filium doloris mei; quia illum tempore suscepit angustię. ibi igitur Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Sed quid est ibi? ibi sane in pectore Saluatoris, ibi in corde Christi pro ceruicali enim habebat cor diuinũ. ibi dormiuit & soporatus est. ibi mira suauitate repletus dicebat: Ego dormio & cor meũ vigilat. Et rursus: Somnus meus dulcis mihi. ibi hausit aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. ibi vt B. testatur Aug. Fluenta Euangelij de ipso Dominici pectoris fonte potauit: quibus vniuersum orbem rigauit. Eructauit postea quod ibi biberat. Sed quid eructauit? eructauit inquit, cor meum Verbum bonum; At quodnam Verbum? Verbum, inquit, quod erat in principio apud Deum. Summum beatissimę Trinitatis arcanum ac totius Theologiæ summam vnico Verbo comprehendit: In principio, inquit, erat Verbum. Ecce Verbi æternitatem. Et Verbum erat apud Deum, Ecce distinctionem personarum, & Deus erat Verbum, Ecce vnitatem essentiæ: dixerat Isaias, Generationem eius quis enarrabit? Quod igitur alijs negatum est, id Ioanni fuit concessum, ecce enarratam æternam Verbi generationem. Vultis & tẽporalem videre? & Verbum, inquit, caro factum est. quibus verbis rem adeo mirabilem, & nouam mundo manifestauit Ioannes, vt eam nulla nec hominum, nec Angelorum cogitatio, nisi Deo reuelante, aut sperare, aut credere potuisset: nempe summum illum hominum & Angelorum Dominum, ad cuius nutum columnæ cęli contremuscunt: qui

mittit

mittit fulgura & eunt ac reuerentia dicunt illi, Adsumus: qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt: qui appendit tribus digitis molem terræ: quem laudant astra matutina, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur: mortalem, hominum similemque nobis passibilem effectum esse, vt vere de hoc secundo Adamo, & non ironice, vt de illo primo dicere possimus: Ecce Adam sicut vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: bonum quidem cum esset Deus ab æterno nouerat, malum vero nondum experientia didicerat, sed postquam homo factus est, didicit ex his, quæ passus est. *Rom. 4.* *Isai. 49.* *Iob 38.* *Gen. 3.*

O sublimis Aquila & vt testatur Ezechiel, grandis magnarũ alarum plena plumis, & varietate, quæ perueniens vsque ad Libanum oculis non conuiuentibus, iustitiæ solem contemplata, diuinitatem Christi nobis notam faciens, medullam cedri ad nos transportauit, qui in terra versamur Canaam. Merito quidem inter omnes Euangelistas aquilæ comparatur Ioannes. Nam instar aquilæ relictis terris aërem superat & procul ab oculis hominum abstracta cælũ ipsum & illarum quæ solo animo cernuntur incorporeas mentes arduo volatu transcendit. Ascendit plane hęc aquila super Cherubin, & volauit, volauit super pennas ventorum: supernæ etiam ciuitatis muros, mœnia, plateas, ac portas sæpe perlustrans clarissimum eius ornatum, ac pulchritudinem in sua Apocalypsi oculis conspicienda præbuit. Nam etsi corpore morabatur in terris, eius tamen conuersatio erat in cælis. O quoties oculis ad cælum sublatis pulchritudinem cælestis patriæ contemplando exclamabat, o Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! Cum vero oculos ad hanc miseriæ vallem conuertebat, conquerebatur, dicens: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Vt aquila ad cælum vsque ascendebat, & cum descendebat in terram, meditabatur vt columba, quæ inter vndas huius diluuij volitando, vbi pes eius requiesceret inuenire non poterat; ideoque conuolabat ad arcam hoc est ad pectus Domini, ac nidum in foraminibus petræ, idest, in plagis Christi efficiens, mira suauitate repletus clamabat: Hæc requies mea in sęculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Hanc certe habitationem in cœna elegerat, & ita toto vitæ suæ tempore in pe- *Psal. 17.* *Daniel. 3.* *Psal. 117.* *Gen. 8.* *Cant. 2.* *Psal. 131.*

ctore Christi habitabat, hincque ascendebat ad patriam, ascensiones in corde suo disponens. Atque his ascensionibus & descensionibus impleuit cursum suum nonagenarius in pace quiescens, fidem seruauit. Et nunc fruitur corona iustitiæ, & amictus stola candida sequitur Agnum quocunque ierit. O beata rerum commutatio! fleuit, vt semper rideret, despexit palatia mundi, vt locum in pectore Domini reperiret. Relinquite igitur ciuitates, & habitate in petra habitatores Moab, estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. Et tu ò sanctissime Ioannes, qui supra cælestes orbes euectus lætus contemplaris auctorem tuum, cuius nunc festum diem agitamus, si tibi gratum hoc officium, si iucundum extitit, opitulare his, quos iam ad tuum festum celebrandum congregatos aspexisti, defende florentissimum tantorum Principum conuentum, & omnibus qui tua facta nouimus, eam mentem inijce, vt persequamur imitando, quo huius miseræ vitæ curriculo confecto ad eandem metam peruenientes coronam consequamur sempiternam. Amen.

ORATIO IIII.


VOD in arcanis sacrarum literarum, Pater Beatissime, Deum Opt. Max. infima mundi, & eos plerumque ex infima quasi fæce mortaliũ selegisse, in quibus nihil sibi posset humana temeritas assumere, id hæc sacra hodie plena lætitiæ, plena pietatis in B. Ioannis honorem instituta, eidemq. solemnibus cæremonijs ac ritu consecrata apertissime testantur.

Is etenim antequam à Christo Domino vocaretur, cum esset arte piscator, ætate puer, literis idiota, posteaquam in Christi consortium adscitus, & ad sinum familiariter admissus, supra Domini pectus recumbens, purissimum inde ac cælestem spiritum hausit, perfectissimus Apostolus, insignis Euangelista, Propheta eximius, & quid denique non euasit?

Tanti

Tanti igitur Apostoli laudes tam illustres, tam peruagatas, tam ipsa sua luce splendidas angustæ ac ieiunæ orationis finibus circumscribere, & pios audientium animos simul explere, meisque & illorum satisfacere studijs, qui gratam eius memoriam peculiari religione colunt, maius quiddam arbitror, quàm vt sit à mediocritate mea, vel tenuitate potius requirendum. Haud possum in tam magna rerum silua, singula oratione prosequi, nisi velim rerum multitudine retardari ac pene obrui. Quapropter duas præcipuas animi dotes in Euangelista sanctissimo commemorabo dumtaxat, quæ cum in se magnam dignitatem, & amplitudinem continent, tum eum, cui singulari Dei munere concessæ sunt, inter omnes spectabilem reddunt: claram nempe illam & dilucidam sacrorum mysteriorum explanationem ab exquisita diuinarum rerum scientia profectam, & qua Christum impensè diligens vicissim ab ipso vnice diligebatur, flagrantissimam charitatem. Quàm opulentam hæreditatem accepit noster Isaac, risus & deliciæ Domini, dum ab ipsius latere, fontis quippe iugis & salientis in vitam æternam numquam diuulsus, vere iuxta puteum habitauit nomine viuentis & videntis. Olim Moses familiariter cum Domino colloquutus, & vel ipso Deo teste, sicut solet homo ad amicum suum, tantum abest, vt plenam illius notionem suo illi dilecto populo tribuerit, vt caput obnubens, potius velamen posuerit ante faciem suam, indignum scilicet ratus, vt qui diuinam vidisset faciem, oculis mortalibus videretur. *Gen. 42.* *Exo. 33.* *Exo. 34.*

At Beatissimus Ioannes pretiosi illius thesauri, quem ab ipsa plenitudine diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei deprompserat, munere plenus, & inexplicabilem diuinitatis essentiam oraculis suis reuelat, & Verbum quod est imago Patris, splendor gloriæ & figura substantiæ eius, propalat, ostendit, manifestat. Sic prædicator gratiæ promulgatori legis, annunciatori vmbræ minister veritatis antecelluit. Qui vero rudi sæculo, & populi terrena sectantis infantiæ id existimat potius tribuendum, quàm singulari nostri Euangelistæ fauori & dignitati, meminerit quæso Paullum vas illud electionis non prisca iam ætate, sed qua venit plenitudo temporis, raptum quod magis est, in tertium cælum, ab his tam abstrusis, & reconditis abstinuisse, & excusatio- *Coloss. 1.* *Heb. 1.*

cusationem illam ingenuam suo obtendisse silentio: Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui. Non liceat
1. Cor. 12. homini Paule, nobis sat fuerit si Angelico viro liceat. Angelus est Ioannes, conseruum illum Angeli nominant, quod
Apoc. 19. ei purissimis illustratæ mentis oculis spectare fuerit concessum, si non paribus verbis saltem non indignis eloqui potuerit. Illa prisci Vatis interrogatio: Generationem eius quis enarrabit? Omnem pene aditum præclusisse videbatur.
Isai. 53. tur. Non erat, qui se insereret in hoc secretum, & inter ingenitum Deum, & illius vnigenitum arcano se inopinabilis natiuitatis immergeret. Vbi Sapiens, vbi Scriba,
1. Cor. 1. vbi Conquisitor huius sæculi? Mundi Sapientes muti erant, quòd sapientiam Dei reprobauissent. Scribæ legis non erant consulendi, quòd crucem Christi ignominiam & scandalum reputabant. Fortasse igitur Piscator egens, ignotus, indoctus (& vt verbis dicam Hilarij) manibus lino occupatis, veste vuida, pedibus limo oblitis, totus è naui, rem tantam attinget, intelliget, consequetur? Isne primus audeat ad ipsum Dei verbum non tam audaci quàm felici contentione prorumpere? Ita quidem. Is is planè veluti ex quibusdam nubibus à Sapientiæ enigmatibus ab exordio intonat Euangelij:

Ioan. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Non tantum librat verba, sed vibrat fulmina, fulgura excitat, qui Boanerges propterea, id est filius tonitrui nominatur. Tam alte siquidem repetito principio Ebionem & Cherintum ac reliquos perduelles Christo diuinitatem abrogantes quasi vno ictu de cælo tactos prosternit, & lucem veritatis exosis perstringit aciem oculorum.

Quid illa memorem, quæ de sacrosancto Incarnationis mysterio posteritati commendauit, vt cœnum illud, & labē, Basilidem intelligo, confutaret. Ideo namque in re tanti momenti irrefragabilis auctoritatis volens se testem ostendere, cum tanta verborum emphasi alio loco exorsus est.
1. Ioan. 1. Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ.

Porro autem Eucharistię adorandæ sacramentum, in cuius fidei obsequium captiuare intellectum oportebat, expressius,

pressius, nisi fallor, quàm cæteri Euangelistę literis ad memoriam consignauit sempiternam. Cadebat namque percommode vt discipulus ad familiaritatem electus & virgo, frumentum electorum, & vinum germinans virgines, in historię suæ mensa proponeret. Infinitum esset, potiusquam dificile ostendere nullum reperiri Christianæ pietatis Sacramentum, in quod beatus Ioannes altissima mentis exaggeratione non penetrauerit, recessus prope ipsos ac latebras perscrutatus. Ab eo quod erat ab initio omnis æternitatis incipiens, cuncta percurrit, donec ad id tempus in mirabili sua Apocalypsi vaticinando perueniat, in quo non erit tempus amplius. Multa prætereo de admirabili beati Ioannis doctrina eximiaque sapientia, vt ad singularem Christi erga eum dilectionem contento studio cursuque veniamus. Ac ne longe abeam, præclarus ille titulus, in quo humiliter superbiens non semel gloriatur, quantus ille fuerit amor satis luculenter ostendit, dum de se testari audet: Hic est discipulus, quem diligebat Iesus. Ingens profecto gloria, dignissimum pariter, & dulcissimum nomen, amplissimus atque illustrissimus titulus, Angelis venerandus, formidandus dæmonibus, Ecclesiæ pastoribus optandus, cunctis denique hominibus laudandus atque prędicandus.

Zach.9.

Ioan. 21.

Quem diligebat inquit, vt antiqua illi cum Saluatore intercessisse iura necessitudinis insinuaret. At nonne iam olim Christus Ioannem diligebat, quem cum vix ex pueris excessisset, retia cum patre consarcinantem reuocauit è naui, ne in illo quasi flexu ætatis, in quo plerique ad metas offendunt, vel incurreret, vel hæreret, vel salutis cursum tantisper moraretur. Iam tunc præuenisti eum Domine in benedictionibus dulcedinis, quem modo lætificas in gaudio cum vultu tuo. Quam pręuentionem quantus in discipulo fluxarum voluptatum contemptus, quot quantaque in magistro vicissim dilectionis officia consequuta sunt? Ob id puellę suscitandæ adsistit, in montem ascendit, in horto ad orandum & vigilandum recipitur, in cœna recumbens super pectus Domini requiescit, ac neci tandem Redemptoris indignissimę præsens beatissimam Virginem Virgo, matrem Dei dilectus discipulus, in parentis locum accipit, vt mærentis orbitatem sustentet, & afflictæ solitudinē consoletur. Cum vero ea sit amoris vis, & natura, vt amorem

Psal.20.

Ioan. 21.

parere

parere soleat, quanta quæso bone Deus amoris flammæ cor Ioannis occupauerat, cuius gratissimum nomen amantis quidem est indicium, cuius insignia facta insignem erga Christum testificantur dilectionem, cuius verba, quæ certissimus animi index esse solent, nihil aliud spirant, quàm amorem, nihil aliud quàm ardentem charitatem efflant. O veri Salomonis ferculum de lignis Libani, idest purissimę conscientiæ candore fabrefactum, ascensus purpurei medio charitate constratum. Interrogatur Petrus num plus cæteris discipulis diligat? plus non audet dicere, simpliciter se amare profitetur. Quid verere Apostolorum, Ecclesiæque caput etiam magis asserere? Cur innuenti Domino tu abnuis? Animaduertebat nimirum inter collegas inueniri Ioannem, cui se præferre, nimium, ne dicam insolens reputabat. Hanc quidem aquę multæ non potuerunt extinguere charitatem, In lethali balneo ad amandum vegetior, in exsilio ad diligendum promptior, in captiuitate in triumphum Titi ductus ad Crucifixi Euangelium prædicandum gloriosior, probe scilicet intelligens non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quidni vero generosa hæc & nobilis aquila citius vitam & sanguinem profunderet, quàm opimam illam prædam omnibus bonis cumulatæ vitæ è manibus eripi suis pateretur: cuius dulcedinem, & suauitatem non animo modo percepisset, verum quodam etiam quasi tacito sensu degustasset? Plura si dicerem, P. B. qui singularem tuam humanitatem sum initio expertus, idem nunc immodica oratione facile tentarem patientiam. Nihil afferam amplius, nihil proinde ad tuas laudes adijciam Euangelista sanctissime, id modo vnum abs te petam, id vnum efflagitabo, Tuis nimirum vt precibus nobis à Christo consequare, vt quam vitę laudabilis atque perfectę imaginem, & verbis, & factis, & scribendo, & laborando, & ingenio, & opere atque manibus expressam reliquisti, eam non modo inspiciamus cum summa voluptate, sed etiam cum sempiternæ vitę fructu imitemur. Amen.

Cant. 3.

Ioan. 1.

Cant. 8.

Rom. 8.



ORA-

ORATIO V.



R AECLARE quidem, Beatissime Pater, cum diuini amoris infinitam vim alta quadam mentis conside- ratione perpenderet floridum illud sententiarum germen Augustinus, amor, inquit, pictor. Etenim vero si singulos percurramus artifices, vnũ tantummodo inueniemus pictorẽ, qui in exornandis rebus omnes ex- cellat alios, in exprimẽdis superet, in efficiendis nullis artis angustijs coarctatus quidquid venit penicillo absoluat, & assequatur suo. Is, is inquam, diuinus amor est, cuius sine præsidiis imbecilla sunt omnia, sine copiis egena, sine arte inertia, sine spiritu mortua, sine ornamentis horrida, sine gratiis ingrata; nihil est, nisi quod condierit, iucundum; nihil illustre, nisi quod ornauerit: nihil perfectum, nisi quod effecerit, nihil simillimũ, nisi quod expresserit: sine quo nihil aut esse, aut fieri, aut excogitari, aut inquiri, aut incipi, aut perfici potest, in rebus vel humanis, vel diuinis, vel sacris, vel prophanis, vel priuatis, vel publicis; Ecquis enim vt Hebræorum populum è miserrima Pharaonis seruitute eriperet, magnalia fecit in Aegypto; vt ab insectantis furore liberaret, terribilia in mari rubro; vt in pacifico promissæ patriæ dominio stabiliret, mirabilia in terra Chan? amor pictor: In dilectione sua, & indulgentia sua, inquit Isaias, ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos. Ecquis spectante cœlo, admirante natura, obstupescentibus hominibus non è faucibus ereptum, sed ab intimis mortis extractum visceribus ad vitam, ad lucem, ad superos Lazarum reuocauit? amor pictor. domine ecce quem amas infirmatur Ecquis Saulum in Paulum, lupum rapacem in mansuetum agnum, vas contumeliæ, in vas electionis, infestissimum Christi persecutorem, in acerrimum eiusdem propugnatorem commutauit admirabili metamorphosi? amor pictor: Quod autem in carne viuo, inquit ipse, in fide

viuo Filii Dei, qui dilexit me. Ecquis tandem supremam illam, atq. diuinam omnipotentiam exinaniuit, maiestatem depressit, immensitatem coarctauit, totumque Deum, quãtus est, in perexigui corpusculi angustias, in arctissimum virginei ventris ergastulum. in malemateriati tugurioli humilitatem, breuitatem, exiguitatem (quid dicam? verborum omnium vim rei magnitudo superat) conclusit, collegit, contraxit, coegit? amor pictor: sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.

Vidimus in operando qualem qualem amoris omnipotentiam, in exprimendo nunc artificium intueamur. Diuini numinis imaginem, quam ad viuum expresserat in homine, fœdissimis peccati sordibus per summam inobedientiam obscurauerat homo, ac pene deleuerat, quæ vt ad pristinam, dignitatem restitueretur, non satis apti inueniebantur colores; quid igitur diuinus pictor, ne tanto in squallore, ac situ iaceret? penicillum arripit, manum, & artem dirigit, atque animi sui cogitationem secutus, quam in serpente æneo, qui cum omni omnino veneno careret, serpentis speciem retinebat, iam aliquando adumbrauerat Deum effinxit, vt per omnia fratribus assimilaretur, in similitudinem carnis peccati expressam, adeo, vt cum iniquis reputatus turpissimam subierit mortem profuso sanguine: quo colorum omnium aptissimo, & floridissimo colore, obscuratam imaginem non illustrauit solum, sed longe pulchriorem, quàm fuerat, reddidit, & elegãtiorem. Vbi enim, inquit diuinus Paulus, abundauit delictum, superabundauit & gratia: per quam gratis iustificati, non tantum similes Deo sumus, sed etiam dii: Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.

Denique qua in exornando floreat elegantia, qua gratia, quo lepore perspicere si velimus, absolutissimam illam tabulam, quam volanti aquilæ ostendit in cœlo, intueamur, & quibus instruxerit ornamentis expressum in ea mulieris simulachrum, gratijsque asperserit diligenter consideremus. Sed quæ tanta lux? quis tantus splendor oculorum præstringit aciem? quo tam nouo prodigio vis aspectus hebescit, & attenuatur mei? At nimirum mulier amicta sole est: quid autem oculis noctuæ ad lumen solis? solem intueatur aquila, amictam sole mulierem contempletur: nos vero qualem

diuinus hic pictor aquilam effecerit,qualiter expresserit, & exornauerit,cum Ezechiele contemplemur. Grandis aquila,magnarum alarum,longo membrorum ductu, plena plumis,& varietate,venit ad Libanum,& tulit medullam cedri. hęc ille. Grandis profecto aquila,& qua nulla maior,aut si quæ tandem est,illa Ioannes est,qui inter aues aquila, inter elementa ignis,inter animantes homo, super homines angelus habetur; cuius personam,ex quatuor ab eodem propheta visis animalibus,sustinebat illud,quod similitudinem volantis aquilæ referebat;de quo sapientissimus Dauid, Renouabitur,vt aquilæ iuuentus tua:in fonte scilicet Dominici pectoris sacratissimo, à quo fluenta Euangelii potauit ad satietatem vsque: si satiatur vnquàm diuinarum rerum,aut expletur sitis. Illa,illa certe Ioannes est,Ioannes inquam, Euangelista; nam etsi Baptista, vel Angeli testimonio magnus fuerit, non tamen solus, parem habet,ne dicam superiorem: quid enim? Erat ille lucerna ardens, & lucens in crepusculo legis matutino? lux fuit hic in luce gratiæ resplendens meridiana; ille vox clamantis in deserto,Parate viam Domini? hic clamor tonantis in Ecclesia,Ego sum, Alpha,& Omega,principium,& finis: illius doctrina Iudaicos non egressa fines homines tantùm erudiuit: huius sapientia vniuersum terrarum orbem peruagata cœlum petiuit, Angelosque edocuit; illi spiritus tranquillitas, & pax per sanctificationem profuit ad securitatem: huic certamen carnis per victoriam decus peperit,& coronam; ille, Christum baptizando exercuit officium: hic in sinu eius recumbendo accepit beneficium: ille immaculatum Dei demonstrauit agnum? hic ordinis, & amoris sacris initiatus manducauit:ille tandem præcessit ante Dominum in spiritu & virtute Elię: hic velut alter Moyses è nauicula euocatus, in qua,tanquam in fiscella,inclusus stagno Genesereth delitescebat, ac pene nullius ordinis homo iacebat ignotus, & a filia, non Ægyptiorum regis,sed Angelorũ,regumq. adoptatus in filium, non solum filios Israel, verum etiam gentiles populos à superbissimo, atque intolerando stygij Pharaonis dominatu vendicauit: in admiratione,in ore,in opinione,in sermone hominum fuit. In omnium oculis habitauit,& eam assecutus est gloriam,quæ fit ad memoriam æternitatis,testimonium virtutis,& monumentum decori sem-

piternum. Eum igitur, qui in tanto dignitatis gradu fuerit collocatus, ad quem sanctitatis peruenisse opinabimur? & qui ad optimam partem sit electus, quàm mirificè dilectum concipiemus? Narrant sacræ litteræ patriarcham Iacob cum in vltima vitæ periodo constitutus testamentum conderet, bonaque sua per hæredes filios æquabiliter partiretur, dilectum filium Ioseph cæteris in hæreditate prætulisse, allocutum in hæc verba:

En ego morior. fili mi; do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Ammorhæi in gladio, & arcu meo. Quis fuerit iste Iacob, vel historia me tacente loquitur ipsa, nobisque indicat Christum fuisse Dominum, qui iam iam moribundus, cum discipulos suos, quos tanquam filios tenerrime diligebat, scripsisset hæredes cœlestium bonorum, dilecto Ioanni virgini, virginem inter omnes vnam, vnam matrem suam, quam de manu dæmonis omnipotentia sua eripuerat, commendauit. Tanto magis in dilectione discipulis prælatus, quanto excellentiorem, ac meliorem partẽ præ illis hæreditauit. Cui enim dixit aliquando discipulorum, Ecce mater tua? O præclarum amoris donum! & quidem omnia præclara, rara. O summam honoris prærogatiuam! nec summam modo: sed nimirum audebo vel solam dicere: quæ quidẽ etsi vel sola declaret maxime, quantum Ioannes Christo fuerit in amoribus: nihilo certe minus amoris conciliatrix ipsa morum, vitæ, ac virtutum ostendit similitudo: quæ quàm inter eos gemina, quàm fuerit expressissima, Christus insinuauit ipse cum è vita iam discessurus dolentissimæ matri dixit, intuẽs in Ioannẽ: Ecce filius tuus: quasi diceret, suauissima mater discessu meo vehementer angor, & te anxiam vehementius cupio consolari; viuere propter te, propter homines mori concupisco; hinc lactor ab vbere, hinc pascor a vulnere; electio tamen Patris est: Pater me mori iubet, moriendum igitur, & obtemperandum est: Quo vero discessum meum minus moleste feras, nec omnino deserta videaris; En tibi, quòd simillimum expressit amor, exemplar mei discipulus Ioannes, in quo discedens manebo, absens adero, mortuus viuam coram te: hunc intuere, hunc ante oculos habe; non enim alibi melius me, quàm in ipso videbis, desiderium mei lenies, fletum absterges, & consolabere.

Et quidem Ioannem amor acutissimo doloris gladio, Caluario in monte, procul dubio immolasset: ni magni consilij Angelus exclamasset: Amor, amor ne extẽdas manum tuam super dilectum, nec quicquam illi facias: sic eum volo manere, & ad matris consolationem reseruare. Ioannes etenim eadem ipsa Christi exquisitissima supplicia sustinebat: ijsdem ipsis clauis cum eo per amorem cruci affigebatur: ita, vt iam dubitare debeat nemo, quin calicem Domini biberit abundantissime. Alij quidem propter Christum calices biberunt suos: at Ioannes Christi calicem in Christo, & propter Christum exhausit suum: alij, quæ in proprio corpore tormenta perferebant, lenibant in Christo, & mitigabant: Stephanum vidimus heri, cum saxorum crepitantium turbine quateretur, vidisse cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei: at Ioannes quos in se cruciatus perferebat acerbissimos, renouabat in Christo, quem acerbissime cruciatum ante oculos habebat, & videbat suos: atque ita pro duplici suscepto dolore duplicatam martyrij coronam meritus, & consecutus est. Sed de granditate aquilæ sint satis hæc; abiret enim nostra in infinitum oratio, si quãtam diuinum effecit amor, dicendo persequi voluissemus. Iam vero quàm mirifice exornauerit, qua sublimi mentis eleuatione insigniuerit, quid me attinet hoc loco dicere? nonne magnarum alarum, quibus mulier amicta sole, vt draconis fugeret insectationem, in locum se contulit, & recepit suum? quid quantum extulerit, efferre? nonne venit ad Libanum, & ea via, quam sibi inuentu difficillimam Salomõ ipse fateatur? quid quàm larga, quàm profusa manu singulares cum ea corporis, atque animi dotes communicauerit, celebrare? nonne longo membrorum ductu, quo facies eius desuper ipsorũ quatuor? quid quàm maximis virtutum omnium ornamentis condecorauerit, prædicare? nonne plena plumis, & varietate, & ea varietate, quæ delectet omnes, omnes rapiat in admirationem, omnium alliciat animos in amorem suum? Hæc per Deum immortalem, nos etiam varietas delectet, qui delectamur in domino; has assumamus pennas qui ad montem Domini euolare contendimus, has imitemur virtutes, qui gloriam quærimus sempiternam: vnam vero, quam non possumus imitari

tari

tari, sapientiam admiremur. Cæterum quam sapientiam? huius ne mundi? absit: neque enim stultus nisi propter Christum Ioannes fuit, qua stultitia, quænam sapientia maior est? illam dico, quæ non relatione incerta, non suspitione obscura, non coniectura probabili, sed ipsismet auribus percepta, vsurpata oculis, & manibus pertractata fuit: Quòd fuit ab initio, quòd audiuimus, quòd vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ: quæ non Aristotilis studio acquisita, non Pytharogicis perigrinationibus parta, non Zenonis paupertate empta, non è puteo Democriti exhausta, non ad Cleantis lucernam insudata: sed inusitata quadam Spiritus sancti largitate profusa à Patre luminum descendit, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est. Tanto igitur tàm excellenti, ac virtutum nobili comitata cœtu, præsidioque munita: tanta tam incredibili, ac pene diuina sapientia duce; quid tam magnum, aut admirandum nostra suscepit aquila, quod ab illa persona, quam sustinebat, non requireretur? fortassisnè quòd sic vitam instituerit, vt nec inuidus quid morderet inuenire potuerit, nec quòd obijceret inimicus, cuius acutissimum est in inimici vitam, & perspicax odium? Rarissimum id quidem, non nego: debet haberi maximum, fateor, si cum alijs conferatur; at cum Ioanne mediocre: omnem vero mediocritatem vix laus mediocris consequitur.

Quid, quòd innumerabiles populos longissimis terrarum, atque æquorum interstitijs inter se dissitos, facie, habitu, sermone, moribus, sacris diuersos, & in nullo plane conuenientes, ad vnam reduxerit fidem, ad vnum baptisma, ad vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, ad te vnum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Apostolicum id quidem est, & Euangelista dignum: sed fecerunt alij, fecit, quòd ab eo & muneris amplitudo, & officij ratio postulabat, quæ si non faceret, quis Apostolum putaret? facta virtute metiuntur, à qua, quo maior est, maiora desideramus; officij benefuncti laudem si nullam cum Paulo iudicemus; nam etsi Euangelizauero, inquit ille, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit, laudis profecto ad Ioannem peruenit nihil: si dicamus

camus exiguam: exiguitas omnis in maxima laudatione nec nominanda quidem est: omnis splendor gloriæ ab exuperantia virtutis existit.

At hanc eandem aquilam tulisse medullam cedri incircumscriptum illud diuinitatis lumen, inaccessabilem lucem, immensumque splendorem, quo perspicaciores etiam cœlestium mentium perstringuntur acies, fixis oculis, immobili obtutu aspexisse, seque abundantissima præstantis illius, æternæque naturæ cognitione saturasse: id vero non in communi Ioannis laude ponendum existimo, nec cum alijs communicandum, in quo socium habet omnino neminem: nihil enim ex ista gloria sibi Patriarchæ, nihil Prophetæ, nihil Apostoli decerpserunt. Sub trium virorum fictis simulachris tres vidit Abraham diuinitatis personas, & vnum in illis Deum adorauit, cuius posteriora videre quidem potuit, non faciem Moises: at vidit Ioannes, nec vidit solum, sed etiam contemplatus, singulis descripsit leniamentis: hunc prophetæ densissimas internubes caligine inter, inter fumum, per obscuras noctis tenebras inter somnia, post parietem per cancellos, per speculum in enigmate viderunt: at vidit Ioannes vigilans, eaque in luce quam in scriptis creberrime vsurpat suis: super huius immensi pelagi salsas aquas, id est humanitatem Christi, se se ferentes Apostoli, vix aliud in eo quàm, quòd humanam saperet acerbitatem, degustarunt, audite Thomam: Nisi videro, nisi tetigero, non credam; legite Matthæum: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham: at Ioannes in profundum maris penetrans, dulcissimum diuinitatis liquorem hausit, se se impleuit, atque omnibus poculum propinauit. Tu igitur, tu sapientissime Ioannes, non cum omnibus, sed præ omnibus sanctis comprehendisti, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum: latitudo diuinæ omnipotentiæ: Omnia per ipsum facta sunt, longitudo æternitatis, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: sublimitas gloriæ, Et vidimus gloriam eius: profundum misericordiæ, Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Tu, cum alij vna, vel altera tantum floruissent prophetandi laude, altera etiam, & altera excelluisti, vt Deus ipse te cæteris hominibus,

 tibi

tibi ipsam prophetiam genuisse videatur. Tu reconditum trinæ illius scripturæ sensum, quē sapientum nullus poterat enudare, admirabili sapientia tua patefaciens, non à sacrilego Balthazar, sed à Christo Domino regali charitatis purpura indutus es, aureo castitatis torque insignitus, seu potius velut aureus torques ad illius pectus demissus recubuisti, tertiusque tandem constitutus es princeps in regna passionis suæ. an glorificationis etiam, vosmet ipsi vobiscum illustrissimi Principes penditote.





IN FESTO CIRCVMCISIONIS DOMINI.



ORATIO PRIMA.



MMENSAE pietatis ſingulare argumentum, B. P. verbi, quod fecit Dominus ſuper terram, ab- *Luc. 2.* breuiationi congrua verborum breuitate B. Lucas Euangeliſta nobis hodierno die ante oculos ponit. Puerum quippe nobis na- *Iſai. 9.* tum, & filium nobis datum, pau- *Pſal. 8.* lo minus ab Angelis ſuſcepta hu- *Leuit. 12.* manitate demiſſum; iam nunc ex præſcripto legis circumciſum, non ſolum hominis, ſed etiam peccatoris formam habentem cæleſtes admirantur ſpiritus, tenebrarum poteſtates exhorreſcunt, homines demum permiſta ingenti miſerationi lætitia veneramur. Agnum ſine macula, paruu- *Ezech. 12.* lum, manſuetum, & humilem coram percutiente hodie obmuteſcere fidei oculis intuemur: quem ſtantem ſupra *Iſai. 53.* montem Sion cētum quadraginta quattuor electorum mil- *Apoc. 14.* lia inauditis canticorum harmonijs in æternum laudant: qui vteri virginei clauſtrum in exitu ſuo integrum potuit a corruptione ſeruare, carnem ſuam à circumcidentis gladio eadem præditus potentia non eripuit: qui non eſſe opus bene habentibus medico prædicauit, male habentium & ve- *Luca 5.* recundum, & aſperum medicamen aſſumpſit. Sed quid mi-

rum si caput pro membris, quam in se non habuit, necessariam medelam suscepit? siquidem sæpe in nobis pro vnius membri ægritudine alteri solet adhiberi curatio. Aut cur pro nobis circumcidi nollet, qui pro nobis nasci, lacrymari, ac sæuissimam subire crucem non est dedignatus? Etenim cum sub hoc circumcisionis signo (quod benedicendarum in suo semine gentium Abrahamus acceperat) incar-
Apoc. 5. nationis Christi concluderetur arcanum: idem ille Agnus,
Genes. 17. qui accipere librum, & aperire signacula eius dignus inuentus est, id nobis hodie signaculum inter cetera beatissimo suo sanguine reserauit. Qui dum ad auferendas Iudæorum excusationes in semine Abrahæ circumcisus apparuit, susceptæ humanitatis veritatem ad euicenda hæreticorum
Leuit. 12. deliria demonstrauit. Idemq. ipse circumcisionis in lege,
Matth. 28. & baptismatis in Euangelio institutor, vtrumque expiationis genus pro primæ illius culpæ, qua infecti omnes nascimur,
Luca 2. mur, emundatione sancitum, & octauo natiuitatis die cir-
Luc. 3. cumcisus, & trigesimo ætatis anno baptizatus excepit. Quo mirabili humilitatis & obedientiæ documento, & finiendæ iam legis decreta suo fuisse tempore saluberrima ostendit;
Isai. 28. & Iudæorum atque Gentiliũ populos velut angularis quidam lapis vtrique parieti cohærens sibi copulauit; eosq. sub vna Christi fide saluandos fore exemplo, prius quàm verbo, indicauit. Neque illud solum, sed vniuersa etiam legis onera, quibus minime indigebat, subire voluit, factus sub
ad Gal. 4. lege, vt eos qui sub lege fuerant à legalium deinceps obseruatione liberaret. At quamuis carnis circumcisio superueniente baptismi gratia, & antiquis cærimonijs, quæ nunc sunt præstita figurantibus euanuerit, non secus atque flo-
ad Gal. 5. res præsente fructu marcescunt ac decidunt: nos tamen adhuc debere circumcidi sanctorum Patrum docent præconia. Circumcidi sane non littera, sed spiritu & veritate,
Ierem. 4. circumcisione non manufacta, de qua Hieremias: Circumcidimini Domino, inquit, & auferte præputia cordis vestri. Circumcidimini, inquit, non in vno tantum membro,
Leuit. 12. sed in toto corpore simul. Licét enim in ea parte, qua Iudæis mandabatur circumcisio, concupiscentiæ venenum petulantius regnet; nulla tamen in vniuersa carne nostra à
Isai. 1. planta pedis, vsque ad verticem capitis inuenietur sanitas. Atque adeo sicut paruulus ille in fide populus congruum

sibi

sibi exiguæ circumcisionis mandatum accepit, sic vbi creuit in virum perfectum, toto iubetur corpore baptizari, quę totius est hominis integra circumcisio. Qui ergo noxiarum cogitationum superflua scindunt, & scaturientes libidinum flammas extingunt, effrænesq. inferiorum virium motus reprimunt, ij procul dubio se cultris ex petra compactis, petra autem erat Christus, vere hodie cum sanctissimo puero circumcisos, atque adeo veros Abrahæ filios, & factę illi promissionis hæredes ostendunt. Neque immerito Dei & hominum mediator, qui diuinitatis suæ radios inter humanę infirmitatis opera numquam celauit, dum peccatoris instar circumciditur, vt verus homo dolores nostros expertus, Iesus vocatur tamquam Filius Dei, gloriam suæ indicans maiestatis. Saluator enim meritissime dicitur, qui fuit ad totius orbis editus salutem, sed tanti nominis compellationem non prius voluit, quàm immaculatum pro nobis effundens sanguinem, eneruatis ex hoc inferni viribus, salutem nostram operari cœpisset. O dulcissimum simul, ac potentiss. nomen omni adoratione cultuque dignissimum! vt pote quod duo illa quæ in Deo præ ceteris maxime contemplamur, & colimus, pietatem scilicet & maiestatem breui admodum elementorum compagine & proferentibus, & audientibus repræsentat. Reliqua enim quotquot in sacris litteris Dei nomina legimus, aut diuinæ pietatis gratiam, aut saltem potentiam denotant maiestatis, iuxta illud prophetæ, Duo hæc audiui quia: potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Nam si sanctum & terribile nomen eius effertur, quid aliud quam æternæ maiestatis concipimus amplitudinem? At si non esse aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, prædicatur, quid aliud quam diuinæ pietatis meditamur abundantiam? Verumtamen vno, eoq. breuissimo nomine, & maiestatis epitheton, quod in Heremia, Dominus iustus dicitur, & pietatis agnomen, quod in Isaia, Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus appellatur, suauissime connectuntur. Immo etiam celeberrima illa nomina continentur, quibus idem Isaias gratulabundus puerum nostrum compellabat, inquiens: Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. quorum si quidpiam Christo defuisset,

1. Cor 10. *ad Gal. 3.* *ad Gal. 4* *Luc. 2.* *Psal. 61.* *Psal. 110.* *Act. 4.* *Ierem. 23.* *Isai. 6.* *Isai. 9.*

nec Saluator esse nec vocari potuisset. Quis enim tot, tamq mirabilia in omnibus tam interni, quam externi hominis viribus pro salutis nostræ opere perficiendo operatur, nisi admirabilis noster infans? De quo regius vates præcinuit; Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuũ in vniuersa terra! Admirabile quidem, quia in eius auxilio iam quod optabamus, effugimus, quod fugiebamus, amplectimur: dolemus denique, quibus lætabamur. Sed qua ratione Saluator nobis salutem præstaret, si eisdem in pœnitentiæ electione ac vitæ ordine semper à consilijs non existeret? Aut quomodo præcedentium criminum indulgentiam, sine qua non constat salus, assequeremur, nisi & ipsum esse Deum, qui solus peccata dimittit, experiremur? Verum neque id ad salutem sufficeret, nisi in expugnando impugnantes nos concupiscentias, ne rursum ab illis superemur, eundem fortem probaremus. Adhuc tamen aliquid Saluatori deesset, si pater non esset futuri sæculi, per quem ad immortalitatem resurgeremus, qui per huius sæculi parentes generamur ad mortem. Neque esset hoc satis, nisi idem Princeps pacis nos Patri reconciliaret æterno, ne forte sicut filij perditionis ad non salutis pœnam resurrecturi videremur. O præstantissimum nomen, de quo sponsa in Canticis: Oleũ, inquit, effusum nomen tuum! Oleum sane vsquequaque diffusum; à cælo nempe in Iudæam; & inde in omnem terram protensum, adeo vt ab hoc vno nomine, quod Christus est, millia millium credentium Christiani dicantur, qui ex orbe vniuerso proclamant: Oleum effusum nomen tuum. Effusum plane, quod non solum cælos, terrasq. perfudit, sed ad inferos etiam penetrauit, ita vt in eodem nomine omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, & dicat: Oleum effusum nomen tuum. Sicut enim oleum lucet, pascit, & vngit, dum ignem fouet, corpus enutrit, ac dolorem mitigat: haud secus Saluatoris nostri nomen lux, cibus, & medicina omnibus existit. Vnde namque toti terrarum orbi tam splendidus illuxit dies, ac tantæ fidei ac veritatis lux fidelium mentibus affulsit, nisi ex prædicato isto nomine? in cuius splendore clarissimo Deus nos in admirabile lumen suum indignos vocauit, quibus illuminatis, & in lumine ipso videntibus lumen, merito dicit Apostolus: Erat is aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

Domino. Cibi etiam nutrimento,& suauitate pollet hoc nomen. Quid enim æque mentem illud cogitantis impinguat, exercitatos sensus reparat, virtutes roborat, bonos & honestos mores vegetat,& castas affectiones fouet, atque suauissimi huius nominis meditatio? Aridus quidem est omnis animæ cibus, si nō huius nominis oleo infundatur: insipidus, nisi saluberrimo isto condiatur sale, quod mel in ore, in aure melos, & in corde iubilus comprobatur. Sed neque medelæ proprietate caret idipsum nomen. Quid enim ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem deprimit, carnis ardorē sedat, inuidiæ liuorem sanat, auaritiam temperat, ac totius indecoris pruriginem in fugam conuertit, quàm eiusdem nominis inuocatio? iuxta illud: Inuoca me, in die tribulationis eruam te. Cum etenim ipsum compello, hominem mitem, corde humilem, benignum, sobrium, castum, misericordem, atque omni morum honestate conspicuum mihi propono, eundemq. ipsum Deum omnipotentem; qui suo me & exemplo moueat, & roboret adiutorio. Hoc illud est nomen quod cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, sermonē mutis, ac mortuis vitam dedit, totamque diaboli potestatē de obsessis corporibus effugauit: In quo, dicente Paulo, abluti, sanctificati, & iustificati sumus. Hoc illud est nomen, in quo ineffabile Dei nomen intellectu, prolatuq. facillimū nobis offertur: completo denique Isaiæ vaticinio, dicentis: Propter hoc sciet populus meus nomen meum in illa die. Hoc igitur nomen pectori penitus imprimendum, ore celebrandum, præ manibus habendum, firma semper beneuolentia complectamur, omnes nostros in Iesum sensus, & actus dirigentes, vt quemadmodum in ipso circumcisi sumus, sic datæ ab ipso salutis nomine insigniti post eundem resurgere mereamur ad gloriam.



ORATIO II.



E Circumcisione Domini nostri Iesu Christi verba de more facturus, Pater Beatissime, maximè vereor, ne sacrosancti mysterij, & ad mortalium omnium salutem saluberrimi dignitatem orationis tenuitate minuam. Præstringunt enim ingenij aciem tot quę mihi se se obijciunt lumina: quæ oratoris non mediocrem in dicendo requirunt industriam. Certè in tam ampla, & copiosa sacrarum diuitiarũ suppellectile, ac planè infinitis diuinæ clementiæ thesauris, quos cælestis hodie pleno copia cornu defundit, difficillimũ est optimum quodque promere, & feliciter depromptum explicare decenter: illud demum artificis est summi, & multis egregiè decursis olympijs, maioribus quibusdam palmis nobilitati. Quapropter consultius fortè mihi foret, pictoris non indocti exemplum imitari; vt quæ nullis verborum penicillis exprimi, nulla orationis vi enarrari rectè possunt; ea pudentis silentii quibusdam inuolucris obnubam; & sanctissimum diei huius sacramentum tacendo venerer potius quàm loquendo. Sed erigit me Sanctitatis tuæ clementia quædam admirabilis, coniectique in me oculi futuræ serenitatis indices animum reficiunt, & recreant: ad quorum auspicacissima lumina, tamquam ad faustum Cynosuræ sidus respiciens, tamdiu amplissimum hoc mare remis leniter propellens nauigabit oratio, dum me aspirantis benignitatis aura tuæ breuissimo temporis curriculo in portum prouehet. Et sanè dies sunt acceptabiles, quibus melliflui

1.Cor.1. facti sunt cæli (vtar enim ipsis Scripturæ sacræ, sanctorumq. patrum verbis, quæ & significandi maiorem vim habent, & dulcius in Christianas aures influunt.) Et enim deiectis hodie de antiquo salutis fundo iniustis possessoribus, praui & exasperantis generis sobole, quæ mētita est, nec direxit cor

Psal.79 suum: transtulit de Aegypto vineam suam Deus: plantauit radi-

radices eius, & impleuit terram: ita vt non iam certis, & angustis gentis alicuius finibus Ecclesiæ sanctę nomen circumscribatur, sed iisdem quibus cælum & terra regionibus terminetur. Enimuerò apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, & hodie natalibus suis terrarum orbe restituto, amplius non est Iudæus, neque Græcus, non est liber neque seruus, non est masculus neque femina: sed omnes vnum in Christo sumus: per quem antiquata capitis diminutione mundi, nouo quodam postliminii iure cognationi Abrahæ restituti cum cæli stellis multitudine innumerabili certamus. In ipso enim benedictæ sunt omnes terræ tribus: & certè Ecclesiæ ipsius sanctæ æternum erit hoc, quod tua Beatitudo felicissimè moderatur sceptrum. Venit enim, venit plenitudo temporis: misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege; vt eos, qui sub lege erant, redimeret: vt filiorum adoptionem reciperemus. Quocirca optimè quidem & ad nostram salutem in primis opportunè, vt semper Christus Dominus; quia legis finis ad iustitiam omni credenti; & sub lege natus est: quæ legis erant circumcisus hodie prçstare voluit, vt nos, quos Patri Deo per adoptionem genuit, erudiret, quemadmodum non corpore, vt iræ filii, sed mente, & corde circumcideremur vt sui. Nimirum vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & piè, & iustè viuamus: quod maximè ipso Baptismi sacramento profitemur: cuius nihil aliud quàm expressa, & adumbrata imago, ipsa olim erat circumcisio. Ex quo quidem quid inter antiquæ legis seruitutem, & Euangelij gratiam iutersit, satis apparet, credo. O diuinum, & incredibilem Christi parentis in nos amorem! quem si quis comprehendere conetur cogitando; nec cogitatio rei admirabilitatem tantam, nec ipsam cogitationem verba vlla consequentur. O infinitum beneficium, quod nulla imminuet vetustas, nulla vmquã delebit, vel obscurabit obliuio! Sanè multa sunt, immò verò infinita æterni Dei amoris in nos monumenta, quę omnium gentium, atque ætatum litteris, & linguis perpetuò celebrabuntur. Quid enim tandem, ne omnia persequens infinitus sim, Deum Optimum Maximum mouit, vt hanc vniuersitatis machinam crearet; creatam, hoc pulcherrimo quem cernimus, ordine disponeret: dispositam admirabili prouidentia regeret: ita vt in hoc munitissimo,

& am-

Tit. 2. *Gal. 3.* *Galat. 4.* *Tit. 2.*

& amplissimo theatro constitutus homo, tamquam Imperator regnaret, cælique distinctos sideribus orbes contrariis quidem, sed mirè inuicem conspirantibus perpetuis concitatos cursibus, tum temporis, tum dierum, ac tempestatum administros, sibiq. famulantes cerneret. terram autem ipsam, & maria certis ad habitandi commoditatem coacta finibus possideret. Adde quòd calida frigidis, humidis sicca permista, librata grauia leuibus, eorumq. omnium conuersiones perpetuæ ad vitam animalium, & terræ fertilitatem opportunæ omnino sunt, maximèque hominum saluti necessariæ. Quid aliud hæc loquuntur, quàm incredibilem Dei in nos amorem testantur, & prædicant? Sed hæc licet tanta sint, vt nulla digna laude adæquari, nullius ingenio attingi satis possint; tamen si cum hoc nostro præclarissimo hodie à Deo accepto beneficio conferantur, exigua sanè, & quæ alioqui per se summa erant, leuia appareant necesse est. Tu enim clementissime Redemptor noster & Parens hodie mortales omnes cæli donasti ciuitate: cuius donationis syngraphæ, non ciuilium cautionum sponsionibus compositæ, sed sanctissimo sanguine tuo conscriptæ, consignatæque sunt. Tu quasi profuso iam vniuerso, atque exhausto perenni illo cælestis beneficentiæ, & liberalitatis tuæ in nos fonte non per aes, & libram, sed inæstimabili diuini sanguinis tui pretio coempta hominum salute, quemadmodum circumcideremur docuisti, vt in terris positi vitam viuere cælestem possemus. At verò quænam esse debeat Christianæ huius forma circumcisionis, ipse docet Apostolus: cuius verbis eo libentius vtor plurimùm, quo magis ipsius auctoritate tāquam optimi vitæ magistri, & beatæ principis disciplinæ sacrosancti huius, augustissimiq. consessus aures delectari puto. Ea autem est, vt probet seipsum quisque, & veteri expurgato fermento, nouam induturus, veterem exuat, & circumcidat personam errorum sarcinis iis alligatā, quę Christianum peregrinum onerant: & peruium alioqui, atque planum æternæ felicitatis iter, deuium, atque asperum reddūt. Est aliquis quem voluptatum illecebræ, tanquam Circæo aliquo hausto poculo fascinatum turpent: ducitur quis inanium titulorum fumis, eisque captandis totus inseruit: sollicitant quemquam opes, & in illis coaceruandis vritur miser: hęret denique quispiam rerum harum, quas infra lunā cer-

Rom. 2. *1. Cor. 7.* *Gal. 1.* *1. Cor. 5.*

cernimus, laqueus irretitus. quæ omnia ipsis etiam gentium Philosophis contemptui semper fuerunt, vtpote caduca, & irritamenta malorum, quæ possessorem suum quidem perdere, meliorem autem reddere nullo modo possunt. circumcidat se abrasis & auulsis prauarum cupiditatum fibris, iam facile omnes Syrenas, omnes istas speciosas quidem, sed fallaces, & truces Syrtes, atque Charybdes Christianus, verèque gloriosus enauigabit Vlysses. Et tandem decurso, atque superato terrestrium hoc errorum hebdomade, quasi confecto Minotauro, dæmone scilicet sæuissimo hoste nostro profligato, ad beatas, & lætas optatæ patriæ sedes appulsus, octauo ipso demum die, qui spei nostræ perfectionem habet, in cęlesti templo oblatus, immolatus, circumcisus, beatus beatum numquam peliturę felicitatis nomen feret. Sed iã receptui canere temporis angustię mihi videntur: reuocat enim me de amplissimo campo, qui nunc mihi se patefaciebat, ipse qui me non parum perturbat metus: ne iam Sanctitatis tuę tam prolixam in me audiendo humanitatem plus æquo videar onerare. Non committam igitur, vt præscriptos mihi dicendi fines longius pręteruehatur oratio; si veterem nunc cum noua, sanctaq. Christi sponsa Hierusalem pergam conferre viuis fidelium, & expolitis constructa lapidibus, cuius tu Domine Beatissime, in ipso Christo lapis summus angularis. Vos autem Patres Amplissimi columnę ipsius Cardinales, atque lumina eritis sempiterna. Et certè peropportunè contigit, vt ita compellar: quid enim illa tãdem habuit, vnde sic conferri, compararive debeat. An enim ipsius ornamenta maxima quęque proferam. Legis tabulas, arcam fœderis, sacerdotium, sacrificium, altare, prophetiam, sceptrum. Aut verò ipsius templum illud quantumuis magnificentissimum commemorabo: cuius substructionum moles cęli regiones proxime pertingẽtes, laqueata tecta, exquisitis vermiculata emblematis pauimẽta, marmoris, omnisque generis pretiosorum lapidum incrustationes, solidæ ex auro conflatę columnæ, portę margaritis coruscantes, picturę, signa, tabulę, vasa, donaria gemmis inęstimabilibus onusta; cuius denique id genus propemodum infinita naturę, & artis certantium miracula temporibus illis, dum extiterant, admirationi fuerunt: nunc autem vetustate, variisque consumpta casibus, omnem posteritatis

memoriam æternitate famę complectetur. scilicet, cesserunt luci tenebræ, vmbra corpori, signum veritati. Atque hoc est, quod multis ante sæculis pranunciatum fuit: Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ. omnibus enim antiquitatis nubibus exorientis Christi lumine dissipatis, & collustratis; omnis quæcunque illa tandem erat veterum imaginaria, & personata dignitas populo nouo, quem elegit hodie Dominus, re ipsa data concessaque fuit. Tu enim Pater Beatissime, vt de membris reliquis omnibus nihil, de capite solum ipso dicam; exitum enim prope versatur oratio. Tu, quem Dominus Ecclesiæ suæ præposuit dispensatorem mysteriorum Christi, cuius personam in terris sustines. Tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel effectus es. Quo magis nunc à Deo immortali petendum est, vt tuas in ipsius salute, & publica quadam Ecclesiæ sanctæ Circumcisione, hoc est, vt B. docet Hilarius, in confirmandis infirmis, disruptis consolidandis, deprauatis conuertendis defixas cogitationes omnes, atque consilia benè, prospereque fortunet. Quod vt futurum speremus, multa suadere, multa spondere videntur sanctorum exempla Patrum, qui zelum Domini zelantes, propitium temporibus suis Deum ipsum senserunt: quorum præclara facinora ad sempiternam omnium ætatum memoriam gloriosissimè prosemiñata, ad benè, beateque sperandum in his temporum iniurijs, quibus premimur, quem non erigent? quem non tandem excitabunt? Nec verò illa persequar enumerando, quæ multa antiquitus, plura patrum, atque etiam memoria nostra non pauca contigerunt: ne si omnia recensere velim, nimis; si aliqua, parum dixisse videar. Doles Orientem totum immanissimo religionis sanctæ hosti seruire, ipsasque principis Petri solij, cui insistis coaeuas Ecclesiæ sedes teterrimis illis pestibus dilaniari, restituet Deus. Doles Græciam antiquissimam Ecclesiæ Prouinciam importunissimi tyranni crudelitate oppressam iacere: ex qua tot Ecclesiæ lumina olim exorta prodierunt, restituet Deus. Doles vt vetera vulnera omittam, recordari Germaniæ tam multas, & strenuas gentes à Petri signis, ad perduelliũ huius sanctæ Sedis castra defecisse, ipsamq. Galliam cuius

Aggæi 2.


B. Hilarius

arma fortissima salutaria Ecclesia toties sensit: quæ huius beatæ Sedis tuæ columen, atque propugnaculum semper est habita. Doles eam nunc diuturnis & infelicibus intestini belli armis se ipsam misere trucidare, atque conficere: ipsa, quod maximè querendum est, perturbata etiam religione, restituet Deus: qui mortificat, & viuificat; humiliat, & subleuat. Sint enim quantumuis multæ vulpes, multi lupi rapaces, multi accipitres, singulares feri, crudeles apri siluestres: multæ denique concubinæ: recesserit cælum ad instar libri inuoluti: quod de Ecclesia futurum aliquando prædixit Ioannes: iurauit tamen Dominus, & non mentietur. Erit tota speciosa, & pulchra dilecta sponsa sponso de lecto suo. Nec verò amplius obliuiscetur Hierusalem huiusce Deus: vel clementiam suam abalienabit ab ea, quam sibi elegit, cuius decorem concupiuit, quam acquisiuit sanguine suo. Quod vt iam nobis omnipotentis Dei perpetuo futuro beneficio tribuatur, pro tanta sua erga nos hodie declarata pietate, illud votum est, quod nunc ore meo Ecclesia tota nuncupat. Tibi Beatissime Gregori nouo Pontifici, nouo hoc anno benè augurando. quodque maximè conuenire videtur; iisdem ipsis diebus, quibus natus in terris Christus, Ecclesiæ te suæ Christum oleo lætitiæ, & sanctitatis perfudit, præ consortibus tuis: quo tanquam futuræ salutis signo sublato, erecti atque excitati ad aurei sæculi spem mortales omnes sunt, diuino ipso conclamante Propheta: Quia in diebus tuis orietur iustitia, & abundantia pacis: & dominaberis à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad fines orbis terrarum. Sed iam tam faustæ & gloriosæ spei felicissimus exitus ab ipso Deo optimo maximo sacrosanctæ Missæ sacrificio est impetrandus.

1. Reg. 2.

Apoc. 6.

Psal. 71.



ORATIO III.



DEST (PATRES AMPLISSIMI) gloriosus Dominicæ Circũcisionis Dies, quem statis sacris, & grauissima cæremonia sancta mater Ecclesia Christifidelibus piè recolendum, ac religiosè transigendum proponit. Dies, qui felicia renascentis anni primordia portendit: annumq. ipsum, qui, horarum, dierum, ac mensium encyclopedia quadam, sua in se per vestigia voluitur; totum Deo dicat, & sacris deuouet. Vt non immeritò hodie cum
Psal.64. Psalmographo concinere,& auspicari possimus: Benedices Domine, coronæ anni benignitatis tuæ. Dies,in quo magister noster Christus ingentes thesauros recludens sapientiæ, & scientiæ Dei, quid in hac vita fugiendum, quid agendum sit,ad cælestem gloriam promerendam, & assequendam, compendiaria, & expedita quadam ratione ob oculos ponit. De quo ne graue,amabo,sit,lepidissimum æquè, ac di-
Tit.2. uinum Apostoli Panegyricum recensere: Apparuit,inquit, gratia Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. Dies, in quo idem salutis nostræ vindex, & assertor,ex Abrahami stirpe ortus, quòd verus homo sit, apertissimè innotescit: dum infans adhuc,& non amplius,quàm octo dies natus, nostræ Redem-
Ambr.2 in Luc. 3. ptionis arrham suo sanguine persoluit. Dies, qui durum legis iugum è nostris ceruicibus Christi virtute reuulsum, captiuumq. hominem in libertatem assertum demonstrat. Dies delictorum purgationem significans. Dies gratiæ auspex, Euangelij præco, atque antiquæ legis velut funerator quidam. Dies lætitiæ, & exultationis. Dies demum albo lapillo signandus,inque honore, veneratione, & sanctificatione habendus omnibus ijs, qui verè cupiunt dies videre bonos. Deum immortalem,ecquis ego sum, qui audeam

infan-

infantissimis verbis tàm celebris, atque illustris diei encomia cohonestare, aut potius detercre? Sed enim, quamuis, planè in confesso sit (etiam si supra vires enitar) me neque ingeniosum, neque laboriosum quippiam huc allaturum, quod, pro loci, quem conscendi, amplitudine, proque Apostolici, quem intueor, consessus maiestate; nouum, auditu dignum, aut par mysterio futurum videri queat, ac proinde non absre summopere pertimescam; multum tamen (Patres Amplissimi) me incomparabilis vestra benignitas erigit; quæ (hodierna luce, quam multò lætissimam, multoq; faustissimam Christiano Orbi cælitus illuxisse exopto) me ex hoc loco soluere, perque sacri Euangelij mysticas, & salutares vndas parua susceptæ Concionis cymba tantisper excurrere iussit: dum (aspirante aura diuini numinis, cuius munere infantes, & elingues diserti fiunt, atque euangelizantium pedes tàm speciosi existunt) quàm celerrimè, & velut citatis remis, adnatātem me, reducem demum, ac sospitem portus excipiat. Quod, vt cursum repetam, longè notissima est tragica illa communis omnium parentis historia. Enimuero cum illum Deum ad imaginem suam ex limo terræ formasset, cunctorum, quæ lunæ ambitu continentur, dominum, ac principem renunciasset, terrestris Paradisi inquilinum constituisset, cælisq; participem, & hæredem designasset; vnica duntaxat sanctione, neque tamen dura, neque ad seruandum aspera; eundem obstrinxit, cuius limites transilire prorsus religio foret; De omni, inquit, ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. Quid demum? infelix Adam Euæ coniugis blanditijs, & illecebris delinitus, plus nimio suapte nobilitate insolescens, tot, ac tantorum beneficiorum immemor, conditoris sui præceptum aspernatus, ac legem temere perrumpens, de tanto felicitatum culmine exturbatus, seipsum, secumq; posteritatem omnem, in funestissimam originalis peccati colluuiem miserè immersit. Quamobrem in tanto naufragio, ne humana natura hæreditario, ac lethali morbo ægra perpetuò laboraret, ex qua æterno, atque immutabili Dei opt. max. consilio, certus electorum numerus esset conscribenbus, qui Angelorum perduellionis iudicio damnatorum ruina vacuas sedes occuparent: maximè omnium sufficiens, atque opportunum remedium fuit effusio sanguinis Christi.

Gen. 1.
Gen. 2.

Vt quemadmodum vnius Adæ culpa mortem omnibus intulit, ita vnius Christi passio omnes ad vitam reuocaret. Porrò mysterium hoc tàm sublime, & excelsum, varijs, diuersisq. figurarum, & ænigmatum inuolucris, atque obscuris, vt ita dicam, nubibus prætentum, & obumbratum, ac nō verbis tantum, sed etiam operibus subsistens, sanctorum Prophetarum oraculis paulatim clarescere cœpit. Huc spectat Decimarum, Oblationum, atque Holocaustorum prisca illa institutio. Quæ nimirum cultus ratio, qui ritus nec Deo displicuisse, immo, & ea munera grata, acceptaque extitisse, Deumque ipsum aliquando ex eiuscemodi victimis suauitatis odorem sensisse Scriptura commemorat. Primum quidem propter obedientiam, quam immolantes exhibebant, tùm deinde quòd illa sacrificia typum Christi præferrent, qui factus, pro nobis obediens, vsque ad mortem, seipsum in ara Crucis verum holocaustum, hostiam sanctam, Deo placentem obtulit. Huc etiam spectat, ne singula persequar, quòd (tunc, cum à fide descitum, & ad idololatriam, & turpissimum peccatorum itum esset) Deus Abrahamo Patriarchæ cognomento omnium credentium patri seriò præcepit, atque eius semini, ex quo Christus infidelitatis, & peccatorum omnium euersor erat nasciturus: vt scilicet humani sanguinis sibi primitias offerret, iuxta illud: Circuncidetur in vobis omne masculinum. Et, Masculus, cuius præputij caro circumcisa nōn fuerit, peribit anima illa de populo meo. Et eccum (Patres Amplissimi) planum, & apertum vetus, atque arcanum Circumcisionis mysterium. Quod hodie in Christo ritè completum, propter Baptismi sacramētum, qui in eius locum successit; iure merito exauthorari, & antiquari debuit. Neque tamen velim quis existimet, hoc à me eo dictum, vt falsò putem Christum Circumcisione eguisse. Quandoquidem, vti æneus serpens à Moyse in deserto exaltatus, serpentis quidem similitudinem habebat, virus tamen non habebat: ita Christus à Patre in similitudinem carnis peccati missus, peccatum non habebat, pœnam tamen peccato debitam in seipsum pro nobis suscepit. Vnde per Isaiā multò ante super eo cum homine conqueritur: Seruire, inquit, me fecisti in peccatis tuis. Quod etiam egregio carmine, & non sine gratiarum actione reponit Psaltes cęlestis, dū dicit: Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Genes. 8. *Gen. 17.* *Num. 21.* *Rom. 8.* *Isai. 43.* *Ezech. Rex apud Is. 38.*

Quam-

Quamobrem suscipiens hodie Christus Circumcisionis signaculũ,quo & nos insimul in carne ipsius insigniti fuimus: id nobis beneficij contulit, vt exoleta iam carnali Circumcisione,spirituali tantummodo Circumcisione indigeamus. De qua Hieremias pulcherrimam illam præceptionem tuis ô Christiane,auribus intonuit: Circumcidimini Domino,& auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda,& habitatores Hierusalem. Ac si dixisset: Quicquid in te superfluum est,præputium vocatur, omne vitium est superfluum, ergo omne vitium in te est resecandum. Atqui huic sententiæ etiam consonat Paulus ad Ephesios: Renouamini,inquit, spiritu mentis vestræ. Quod tunc percommode fit,cum fluxis, & vmbraticis hisce terrenis rebus neglectui,vti decet Christi sectatorem,ludibrioq; habitis,Sathanę retibus,& laqueis effractis,ac deuitatis,nefariaq; illa, & mortifera segete radicitus demessa,& euulsa carnalium operum: quæ manifesta sunt,fornicatio,impudicitia,immunditia,& alia quæ Paulus ad Galatas succenturiatim enumerans,asserit nobis cæli aditum obstruere: nosmet totos ad Dei nutum componentes, in humanis corporibus fuerimus vitam imitati sanctorum, tantumq; piè,rectèq; factis consecuti,vt cũ ex hoc terrestri diuersorio,& hospitio (qui nobis ad tempus commorandi, non perpetuò habitandi datus est locus) à Deo præstituta die excesserimus, ad felicissimum illud, atque æternum cælorum domicilium nobis à constitutione mundi paratum celeri cursu remigremus. Animaduertendum tamen, quòd in materiali,seu carnali illa Circumcisione ferreo ne,an lapideo instrumento vterentur,non fuit omninò semper necesse: ista verò spiritualis Circũcisio omnino fieri nequit absq; lapideo cultro,idest ex Petra,de qua scriptum est:Petra autem erat Christus; & rursus: Beatus,qui tenebit,& allidet paruulos suos,hoc est reatus suos,ad petram. A Christo igitur impetranda venia, à Christo exorãda gratia nosmet spiritualiter circumcidendi, renouandi,siue ad meliorem frugem redeundi facultas. Nam per Iesum Christum gratia facta est. Ecquid aliud innuit dulcissimum,& suauissimum nomen Iesu,quod ab ęterno os Domini nominauit,quodq; hoc lustrali die Angelico ore inuulgatum circumsonat, quã Saluatorem,idest,gratiæ, & salutis auctorem? Et vocatum est nomen eius IESVS. ipse enim saluum faciet populum suum

Ierem. 4. *ad Ephes. 4.* *ad Gal. 5.* *1. Cor. 10.* *Psal. 136.* *Rom. 7.* *Isai. 62.*


à pec-

à peccatis eorum. Et quamuis in sacris litteris legimus, id nominis inditum fuisse filio Syrach, filio Iosedech, filio Naue, quorum primus fidelis doctor, alter summus sacerdos, postremus inuictus, atque insuperabilis dux fuisse perhibetur: nullus tamen istorum Saluator est appellatus, nisi solus Christus, qui omnium illorũ virtutes in se vberius multò, ac redundantius complexus: vti doctor Euangelii prædicatione, vti Sacerdos sacramẽtorum institutione, vti dux mortis, atque antiqui hostis debellatione saluos nos fecit. Agite iam (Amplissimi Patres) vt vela complicem, neue diutius vestra humanitate abutar, operæpretium me facturum censeo, si quæ multa in præsentiarum dubio procul dicenda superessent, pro meo pudore, proq. erga vestrum ordinem perpetuo, debitoq. cultu, Vobis omnigenæ doctrinæ, summæ sapientiæ, summæq. pietatis Viris, in Euangeliũ Dei verè, & propriè segregatis expendenda, & meditanda relinquens: ad præsentis diei memoriam (quantum in me est) condecorandam, atque æternitati consecrandam, concepto solenni voto perorauero: Pater sempiterne, creator, & moderator omnium rerum. Pientissime Iesu, auctor, & stator Christiani nominis. Tuque dator munerum sanctissime Spiritus, ab vtroque procedens. Alma Virgo Dei Mater, & nostri apud Deum aduocata, millies beata. Vos ô inclyti Princeps terræ Petre, cæli ianitor, Paule vas electionis, & quicquid Sanctorum numinum HANC FIDEI ARCEM: Nempè Romanæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ maiestatem in amplissimum orbis terrarum fastigium extulit, cæloq. finitimam statuit: Vos publica voce obtestor, atque precor. Custodite, seruate, protegite Augustissimum hunc statum, splendidissimam hanc Coronam, pacem, & bona tribuite. Clementi VIII. Pont. Opt. Max. Pastori vigilantissimo, ac Principi innocentissimo, ad Rei Christianæ decus, & incrementum, diuturnam incolumitatem concedite. Efficite inprimis, vt illius ductu, & auctoritate, quæ iisdem finibus, quibus solis cursus discriminatur; vniuersorum mortalium grex in vnum, atque eundem veræ fidei sensum confluens, circumcisa omni nequitia, sempiterna demum vobiscum statione perfruatur.

Luc. 2. Eccles. 50. Zach. 6. Ios. per tot.

ORA-

ORAT O IIII.



Dest (Beatisſime Pater, Pãtreſque Ampliſsimi) ſolemnis, ac ſacer ille dies, in quo Vnigenitus Altisſimi Filius, & Circumciſionem, & Nomen accepit. Magna hæc ſunt, ſummaq. admiratione digniſſima: quando tum impasſibilis patitur, tum innominabilis nominatur.

De tanto ſacramento, ac myſterio verba facturus; precor ſalutis noſtræ Authorem, qui dat verbum Euangelizantibus virtute multa, cuius feſtum hunc diē læti agimus, cuius cauſa ego ſum ad hunc dicendi laborem ſuſcipiendum incitatus; vt me ea dicere velit, quæ ſint tantis Auditoribus non indigna.

Circumciſionem, quæ antiquitus ab immortali Deo Iudæis præſcripta fuit, multis, ac grauiſsimis de cauſis, traditam fuiſſe conſtat: præceperat enim illam Dominus, magno illi Patriarchę, propter fœdus copulandum inter illum & genus humanum, propter bonum obedientię, vt homo, qui illi diſplicuerat per inobedientiam, placeret per obedientiam, vt circumciſio exterior in ſignum eſſet interioris, vt hoc ſigno eius populus tum inſtrueretur, tum dignoſceretur ab alijs nationibus, propter ſacramentum, dum fiebat cultro lapideo octaua die; nec non in remedium culpę originalis, quę à Prothoplaſta velut hæreditaria propagatione in omnes transfuſa eſt. Sed quid eſt, quod Chriſtus Saluator noſter, ab omni prorſus peccati labe alienus, hac eadem materiali circumciſione circumcidi hodie voluerit? quid enim cauſæ fuit bone Ieſu, cur more peccatorum tam graue antiquæ legis pondus ſubieris? Circumciditur Redemptor noſter, vt ſe principium ſanctificationis, & cauſam eſſe oſtenderet: quæ per oblationes, circumciſionem, ac baptiſmum fieri debebat: quapropter ipſum circumciſum, baptizatum, oblatum eſſe decuit. Circumciditur

Gen. 17.

Ioſue 5.

ciditur, vt se veram carnem humanam suscepisse demonstraret, contra falsam Manichei, Apollinaris, Valentini, ceterorumq. hæreticorum opinionem: ob id abscissa carne dolet, vulnus accipit, sanguinem fundit. Quin etiam, vt circumcisionem, quam olim Deus instituerat, approbaret, eiq. vt finis legis, finem imponeret: etenim legalia ante eius Passionem fuere viua, post Passionem mortua, post Euangelium promulgatum, sepulta. Circumciditur, vt se de Abrahæ genere, qui circumcisionis mandatum acceperat, esse comprobaret, in certum fidei signum, quam de ipso habuerat, vtque tot Prophetarum vaticinia, quod ex eius progenie venturum prædixerant, implerentur: quocirca non solum omnem Hebræis excusationem abstulit, eisque omnino satisfecit; verum etiam obedientiam, atque humilitatem nobis suo exemplo quàm maximè commendauit. Præterea

Rom. 8. necessarium fuit, illum circumcidi, vt quoniam in similitudinem carnis peccati venerat; remedium, quo peccati caro mundari consueuerat; respuere non videretur, vtque legis onus in se sustinẽs; alios à legis onere liberaret: Misit enim

Gal. 4. Deus Filium suum factum sub lege, vt eos, quod sub lege erant, redimeret. Licet ergo peccatum originale non contraxerit, in infantia tamen sua circumcidi voluit, vt ab omni nos legali consuetudine, quæ paruulis conuenit, absoluerent, ac in libertatem reuocaret, quæ decet perfectum virũ. Sicut etiam in virilitate mori voluit, cum absque peccato esset, vt ab æterna nos morte eriperet. O immensam Domini nostri claritatem: ò clementiam infinitam, ac bonitatem! quandoquidem circumcisus fuit in exemplum, in signum, in remedium, in mysterium. In exemplum, legis explendæ: in signum, naturæ per peccatum corruptæ: in remedium, non sui, sed totius corporis mystici: in mysterium,

Col. 2. spiritualis circumcisionis significandæ. Et hæc est, quam Apostolus non manufactam vocat, & quæ non in litera occidente, sed in spiritu viuificante: non in vno membro, sed corpore toto continetnr. Cesserunt tenebræ luci, vmbra soli, imago veritati: itaque iam non præputij truncationem, sed cordis circumcisionem Euangelium nobis, vt Euãgelij Filijs imperat; omnemq. affectionum petulantiam

1. Cor. 13. gladio spiritus iubet resecari, abscindi, amputari: eo quia quando venit, quod perfectum est, euacuatur quod ex parte est.

te eſt. Imago, cum perfecta eſt coloribus, & ſuam accepit pulchritudinem, ac decorem, quæ prius delineata fuerat vmbra, deletur, & euaneſcit: quamobrem merito datur pro cultro lenitas, pro ſanguine aqua, pro circumciſione baptiſmus. Hæc eſt noua illa, perpetuoq. duratura circumciſio, quam nobis Pater futuri ſeculi noua faciens omnia, commendat, & ad quam nos vetere abrogata, interdicta, penituſq. abolita, inuitat. Hanc ſancta Dei Eccleſia reuocata in memoriam noſtram ſingulis annis Chriſti circũciſione, nos docet. Hac igitur ſpirituali circumciſione nos ipſos circumcidere debemus. Nempè cor noſtrum, ne cogitet praua: oculos, ne videant vanitatem: aures, ne audiant vana: linguam, ne loquatur iniquitatem: manus, ne ſanguine, muneribusue repleantur: guſtum, olfactum, tactum, omnia denique, ſi Chriſtum circumciſum imitari, vt par eſt, deſideramus. Cum autem legimus Patrem fidei circumciſum fuiſſe, cum Iſmaele filio ſuo, cum vernaculis, & emptitijs famulis ſuis, hoc profectò ediſcimus: Abraham Pater multarum gentium, eſt liberum arbitrium noſtrum, Pater multarum tum carnalium, tum ſpiritualium generationum, Iſrael eſt ratio noſtra, ſerui vernaculi, ſunt motus tentationum ex affectionis parte procedentium, emptitij, motus ex ſenſualitate prouenientes; quod quidem omnes ſpiritualis gratiæ dono ſunt generaliter circumcidendi: nã liberum arbitrium à falſo iudicio, ratio ab ignorantia, affectio à falſo amore, ſenſualitas à falſa operatione eſt circumcidenda. *Gen. 17.*


Illud quoque conſideremus neceſſe eſt, ſicut hodie incipit Annus vſualis, ac naturalis, ita etiam incipit Annus gratiæ, & Redemptionis noſtræ, & veluti hodierna hęc dies finis eſt præteriti anni, initium futuri; ſic circumciſio Domini exitus fuit Moſaicę legis, principium Chriſtianæ. Et quando octauo ab hinc die inclinatis cęlis, Verbum caro factum eſt, Filius æterni Regis minoratus eſt paulo minus ab Angelis, cum noctem Natalis ſui lachrimoſam, præſepe durum, fœnum aſperum, nuditatem moleſtam, ſæuam famem expertus fuerit; hodie verò multo magis minoratus eſt. Quis vnquam Maieſtatem illam amplius deprimi poſſe cogitaſſet? factum tamen hoc hodie eſt, dum non modo formam habet hominis, ſed (ò Arcanum Diuinum) formam *Pſal. 8.*

geſtat peccatoris. O vilis humana conditio noſtra! Deus pro nobis ita humiliatus eſt, & nos elati, ſuperbi, contumaces? Sed adhuc parum erat Principi Pacis, humilitatem factis oſtendiſſe, niſi inſuper Nomine oſtenderet: dicitur enim in Euangelio, vt circumcideretur non Rex, aut Dominus, vel Imperator, ſed Puer. O Nomen humile, quàm præcelſam tecum geris Maieſtatem! ò immenſam Maieſtatem, quàm exiguo Nomine contineris! Audiat, audiat hæc mundus, honorum, dignitatum, titulorum percupidus. Denique vt dicendi finem faciam, vocatum eſt, inquit, nomen eius, Ieſus, Saluator. Nomen dulce, nomen iucundum, nomen ſuaue. Ecquid dulcius, quid iucundus, quid ſuauius ſanctiſſimo hoc nomine Saluatoris excogitari poteſt, nedum inueniri? Hoc nomen ſanctum ab æterno conſecratum, ac benedictum, quid aliud eſt, quàm mel in ore, melos in aure, iubilus in corde? Non eſt aliud nomen ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Hoc eſt illud nomen ſuper omne nomen, cui quidem cæleſtia, terreſtria, infernalia, cuncta inclinantur. Per hoc nomen venerandum omnem proculdubio dignitatem ſumus adepti, vtpote Dei pacem, gratiam, amicitiam, hæreditatem. Accepimus Spiritum ſanctum, Sacerdotium, Regnum. Habuimus veniam peccatorum, Angelorum contubernium; obtinemus tandem gloriam ſempiternam. Quid plura? Per hoc nomen ſalutare poſſumus facilè diuinæ fieri conſortes Naturæ, ac Filij Dei nominari, & eſſe. Et quoniam nil condignum tanto tantę ſalutis Datori poſſumus exhibere, ſaltem omni obſeruantia, ac veneratione nos, noſtraq. in eius obſequiū ſuppliciter inclinemus, offeramuſque: nec non dulciſſimam glorioſiſſimi nominis memoriam, & appellationem continuam habeamus: illud vtique recēſentes, velut in lege veteri nomen Dei quatuor literarum nempè (Iehouà) nemo proferre audebat, niſi ſummus Sacerdos, in Templo, die ſolemni, ſacris veſtibus indutus; ſic non minori Religione, ac pietate Diuinum hoc nomen Ieſus, nobis colendum eſt iugiter. Ad te ſupplex confugio dulciſſime Ieſu, & te etiam, atque etiam humiliter rogo, vt adſis ſolemni huic, grandique ſacrificio, annuas votis, foueas conatibus noſtris, vt quemadmodum Annum nouum in tuo ſanctiſſimo nomine fauſtè, ac feliciter ingreſſi ſumus, ita (te fauente) veterem

Adam

Adam exeuntes; Nouum, qui tu es, induamur, ac ſpiritu mentis noſtræ renouemur; & ſicut tua hæc familia eſt hic octaua die tuæ ſanctiſſimę Natiuitatis congregata; ſic etiam octaua die conſumationis vitæ ſuæ, tuæ cæleſti familiæ aggregetur, per meritum tuæ ſanctæ Circumciſionis. Amen.

ORATIO V.



I LAETVS vnquam, aut fauſtus dies, immenſi beneficij memoria, hominibus illuceſcere conſueuit Beatiſſime Pater, lætiſſimus profectò, atque fauſtiſſimus hodiernus nobis adeſt, & illuceſcit. Quis enim alius tàm magno beneficio illuſtrior, quis tantis inchoatis bonis fœlicior vlla temporum ſerie recurrit? Cum ſumma Deus ipſe manſuetudine, atque benignitate, maxima inauditaq. clementia, veterem noſtræ naturæ conditionem ſitu, & ſquallore peccati obſitam renouare volens, data ſponſionis arrha libertatis, ac ſalutis noſtræ vindicem, & authorem ſe ipſum præbet, legem implet, iugum frangit, atque vincula ipſa diſſoluit, cum ille, qui vniuerſa continet, qui nutu omnia moderatur, in ſummo rerum faſtigio, ac poteſtate, tàm humili, tàm demiſſo deſcenſu, vt nos ab ea, qua merito premebamur ſeruitute liberet, arctiſſimis legum vinculis coarctatur, & vel duram legis conditionem ſubire minimè recuſat. Quis verò humano eloquio præditus, qua ſublimi dicendi arte, qua voce, tàm magna à Deo nobis hodie collata beneficia, tàm innumera cumulata bona ne dicam orando complecti poſſit, ſed percenſere numerando? qui Filium ſuum vnigenam, nullis antea temporum curriculis comprehenſum, ſed Quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit, & ſæcula, Vt hominem vili, atque humillima conditione è terra formatum, & emeritas ſuo ſceleri pœnas luentem redimeret, in tempore, & de muliere Heb. 1.

naſci

Gal. 4. nasci, atque sub lege fieri voluit: Cum venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum natum de muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret: Quare, & hodie Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus. Vt circumcideretur Puer, qui circumcisione minimè indigebat. Non enim originale peccatum contraxerat, neque illi obnoxius esse poterat qui conceptus de Spiritu sancto fuerat in castissimo, atque purissimo semper Virginis vtero, de quo, & Matri
Luc. 1. fuerat nunciatum: Et ideo quod ex te nascetur sanctum,
Isai. 53. vocabitur Filius Dei. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sed circunciditur, vt nos à circuncisione liberet legi se ipsum subdit, vt legis transgressionē in nobis purget, & legis onus nobis eximat, quod erat onus
Luca 1. graue, & molestissimum. Et vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo antequam in vtero conciperetur: non quidem Angeli, sed æterni Patris consilio, Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Quod hodie nostræ salutis opus effusis pretiosissimi sanguinis guttis, atque oblatis suæ Passionis primitijs, summo Patri velut ad vadimonium veniens felicissime incipit, & aggreditur, ò lætum, ò faustum, ò fœlicem, ò memorandum diem, quem nulla vnquam neque hominum, neque cœlitum memoria conticescet! hodie salus mundo indicitur, sancto illo atque terribili vocato nomine Iesus, in quo omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: hodie humana redemptio inchoatur non victimis, aut holocaustis, non hircorum aut vitulorum, sed proprio Christi sanguine, cuius
Heb. 6. postea consummata in ligno Crucis effusione, Introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Hodie cessant vmbræ, & veritas reuelatur, hodie soluitur maledictum legis, & gratiæ benedictio donatur, hodie desinit filiorū ira, & facta patribus promissio impletur, hodie demum angularis ille lapis ponitur, cui innixi duo parietes in vnum ædificium consurgunt filiorum Israel, & filiorum Iuda. gentium scilicet, & Iudæorum. Implens enim Christus hodie circumcisus iniunctam ex veteri lege circumcisionem, qua Iudæi à gentibus velut insignito quodam charactere diuidebantur, se ipsum noui ædificii fundamentum posuit per fidē,

& gra-


& gratiam,qua Ecclesia ex Iudæis simul, & Gentibus conflatur. Non enim Iudæorum Deus tantum,sed & Gentium. quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide,& præputium per fidem. Merito itaque siquidē hodie vetus lex impletur, & noua per gratiam inchoatur: nouus etiā annus incipit, nec modo nouus sed sęcularis annus,sed annus Iubilei,annus Indulgentiarum, annus dimissionis,annus gratiæ, & benedictionis. Si enim vna tantum sanguinis gutta è sacratissimo Christi Corpore effusa cum summi, atque infiniti sit pretij ob eam quam habet cum Diuina Natura vnionem in eiusdem hypostasis vnitate omnia humani generis peccata eluere,atque delere potest,quantā nobis veniam multæ hodie effusæ promerentur? Ita aperit Christus hodie obseratā antea triumphantis Ecclesiæ portā,& inexhaustos suę misericordię,atque benignitatis thesauros effundit. Aperis,& tu Beatissime Pater,summa qua polles in terris Christi Vicarius potestate Sacrosanctæ, ac militantis Ecclesiæ portam,& ditissimos thesauros,atque affluentissimas opes Christi sanguine, & sanctorum omniū pro meritis Ecclesię partas,liberaliter nobis elargiris. Aperit,inquam,Christus hodie clausam antea miseris mortalibus cœlestis aulę ianuam, cum enim humani generis protoparentes in Paradiso delitiarum plasmati, ac constituti, vita illa bonorum omnium aggregatione perfecta frui expectarent, ac misera postmodum sui totiusq. humani generis calamitate impositam sibi diuinitus legem transgressi, è bonorum cûlmine in malorū barathrū deturbati fuissent, nec ex illo miseriarum profundo emergere vnquā possent; iusto Dei iudicio pro illata sibi offensa pœnam reposcente, quam nunquam infœlix homo suæ naturæ viribus persoluere posse speraret, habito pro salute humani generis magno sanctissimæ Trinitatis cōcilio;mittitur Dei Filius Verbum Patris, qui iniunctum sibi saluandi hominis munus aggressus,cruorem hodie fundit, pretium persoluere incipit, &nomine Saluatoris insignitur:vocatum est enim nomen eius Iesus. Nomen nunquam antequam innotesceret Incarnationis arcanum,cuiquam manifestum, nunquam antea auditum,nunquam antea patefactum:antea enim, & admirabilis consiliarius,& Deus fortis,& princeps pacis, & Pater futuri seculi,& Emmanuel dictus est, cum vero apertū

Rom. 3. Isai. 9. Isai. 7.

fuit

fuit Incarnationis mysterium nomen hoc, est Angelico prę conio promulgatum, & hodie cum nostræ salutis opus iam est inceptum, cum apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei à parentibus Diuino iussu admonitis est vo-
Cant. 1. catum. Ita Oleum effusum nomen Iesu, quod antea vase diuinitatis clausum continebatur, nunc verò effusum, atque abundanter exnndans omnia misericordię pinguedine irrigat, omnia suauitate, atque fragrantia replet, ò sanctum, ò summum, ò admirabile nomen, quo ab æterno iam Dei Filius præditus fuerat, quod nec ab aliquo illi hodie fuit impositum, sed vocatum: Vocatum à Deo, vocatũ ab Angelo, vocatum ab hominibus: vocatũ à Deo Patre, in summo illo Trinitatis consessu: vocatum ab Angelo antequã in vtero conciperetur: vocatum vero ab hominibus cum humanæ salutis opus innotuit: nomen quod cum antea tipice de quibusdam aliis fuerit vsurpatum, verè nunc de illo cuius erat proprium est vocatum, nomẽ quod virulenta omnia pellit, demones eijcit, & læthalibus atq. perniciosis rebus vim omnem nocendi adimit, nomen quod est super omne nomen, quod nedũ humano eloquio laudari, aut exornari non potest, sed ne Angelico quidem effatu pro dignitate pronunciari. Quod si maximo Dei immortalis beneficio nobis hodie tanti nominis fulgentissimum, atque saluberrimũ iubar effulsit, si tantam hodiernus dies nobis attulit lætitiam, in quo tàm benignum, tã mansuetum accepimus Redemptorem, vt quamuis innocentissimus voluerit circumcidi, sanguinem fundere, ac præ nimia doloris acerbitate vagitus, & lachrymas emittere, ęquum profectò erit, & cõsentaneũ, cum tot culpis obnoxios tot criminibus obstrictos nos agnoscamus, si quidem Christi doloribus ipsi euasimus à dolore, saltem illius doloribus compati, ac si manifesta carnis circumcisione non circumcidimur; circumcidi tamen circũcisione cordis in spiritu, perfectior namq. nostra hæc circũcisio spiritalis, quæ per baptismum in toto corpore efficitur esse debet, quàm fuerat prisca illa carnalis, quæ in vno tantum corporis mẽbro exercebatur; non vnum igitur, aut alterum vitiũ circumcidere debemus, sed affectus omnes, crimina omnia resecare. Circumcidamus superbiam, Christi humilitate, qui cum innocens esset, noxiorum vicem hodie subire non est dedignatus: Circumcidamus auaritiam
eiusdem

eiusdem liberalitate, qui recens editus pretiosissimum sanguinem,& cum sanguine cuncta etiam bona libentissime nobis est elargitus. Circumcidamus corporis voluptates, acerbissimo Christi dolore, quem adhuc tener infantulus, vsque ad effusionem sanguinis, vsque ad lachrymas, & gemitum perpessus est. Circumcidamus segnitiem, qua in oratione, in ieiunijs, in pœnitentia torpescimus, celeri eius festinatione edocti, qui statim post octo dies voluit circumcidi. Nemo se imbecillitatis excusatione defendat, Christũ hodie vnus quisque aspiciat, & contempletur, ætate infantulum, natura tenerum, ac delicatum, nobilitate, & generis præstantia Diuinum, quæ omnia ad doloris vim acerbius perferendam faciunt, hæc tamen aduersus Christi erga nos flagrantissimum amorem nullam vim habere potuerunt, quominus effractis repagulis ad dolores, ad vulnera, ad sanguinem properaret. Saluberrimo igitur illius exemplo repellatur ignauia, constringatur libido, respuatur auaritia, comprimatur superbia, excitetur fides, imploretur, & nomen Iesu, & sic demum, non modo diem hunc festum digne, ac læte celebrare, sed ex illo etiam abunde fructum percipere poterimus, ope & auxilio illius adiuti, qui nos hodie suo sanguine expiauit, vt in ciuitatem illam cœlestem nos introduceret, benigneque sui consortes efficeret.





IN FESTO EPIPHANIAE DOMINI.



ORATIO PRIMA.



I quondam frequentisſimam panegyrim Olympia viſendi cupiditate conuocabant, ſi celebres ſcęnici ludi Latium, Italiamq. vniuerſam ſedibus excitant ſuis ad ferarum, hominumq; cędes cogebant, quam hodierna die multitudinem, non dicam hominum, Beatisſime Pater, ſed cęleſtium Ciuium confluere par eſſet, vti pulcherrimo, iucundisſimoq. ſpectaculo incredibili, cum voluptate auiditatem paſcerent oculorum? Auguſtus ille noſter, quem cœli, terręq. molitorem, inter diſruptarum nubium fragores horrendos fulminantem trepidi venerabamur, formidabili ſceptro depoſito, exutus Imperatoria chlamyde lucis ęternæ detentis radijs, ad id hodie facilitatis venit, vt in gratiam noſtri, & partes hominis agat, & quidem peccatoris: vbiq. tamen naturæ Diuinitatis interlucente fulgore. Audite miſeri, audite mortales, nouū, ſed vere dico in ſcęna Deus, cum & ſtellis nouis feneſtratum cęlum ad ſpectandum videamus, & faces in ſublimi plaga radiantes, & affuſas terris cæleſtium turmas, & Orientem conuulſum ſedibus, feſtinatione celerrima ad Regem ſuum properantem. Vox enim cele-

celeberrimi præconis omnes terrarum partes peruasit, mortales, cælestesq. excitauit: Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri. ac si disertioribus verbis admoneret, si parium illud, quo Dei præpotentis tegebatur in homines amor, iam esse demissum, affulsisse repente diuinissimas formas benignitatis, & humanitatis Dei, ad quarum spectaculum liberalissimis pollicitationibus inuitamur: siue enim conuertas oculos in eam Diuinæ scænę partem, è qua recentis syderis sol nouus effunditur, nos è densissimis tenebris scelerum, benignitate Diuina in lucem filiorum Dei traductos esse despicies; siue cernas in Iordane purissimi Corporis lauacrum, ad tergendas animarum labes torrentes cælestis gratiæ ab humanitate Dei nobis in cursum actos esse comperies; seu denique præpotens virtus inter conuiuales epulas ludens, liquores in alienam naturã transire iubens, consideretur, ærumnas, doloresq. nostros in lætitiæ, voluptatisq. segetem cessisse deprehendes: adeo, vt non iucunda solum, sed salutaria panduntur spectacula mortalibus, ex quo in terræ thesauro apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri. Tit. 3.

Ille quidem, cuius potentia nullis est circumscripta terminis, rebus omnibus intimus, qui exclusus ab omni sede vbiq. versabatur, nunc, si fas est dicere, se purgat in lucem clariorem, & nostrã indutus humanitatem, aspectabilis nostris oculis accedit, & quamuis rerum mutans ingenia, ac naturas, & cœli non inanimes modo splendores, sed viuentes etiam ad suum obsequium aduocans, immensarum virium hodie non obscure specimen edat; videri tamen vult exhibuisse mortalibus spectaculum benignitatis, non potestatis.

Veniet, nec serum veniet tempus illud, quando manibus cum hoste collatis, oppositas cruciatuum acies perdet patientia, delebit mortem, inferorum transcendet vallum, castra inimica deripiet, opima spolia in Patrium Regnum potentia reportabit; in præsentia clementiæ, humanitatisque famam apud mortales tantisper colligit, & in eos humanissimum Ducem agit, acturus in suos hostes tremendum inferorum vastatorem. Vtamur opportunitate temporis, vtamur benignitate, cum hæc vna (nobis licet immeren-

tibus) in rerum nostrarum administratione, & cura dominetur.

Neque enim hodie Paulus intonuit: Apparuit bonitas, potentia, aut quid simile Seruatoris nostri, sed vnam benignitatem, humanitatemq. ingerit nostris auribus. An quia inquit Ambrosius, bonitas precibus, benignitas sine precibus? Cum haud nostræ, sed vatum sanctissimorum supplices voces, ac lachrymæ terris largitatem Diuinam conciliauerint; cum Deo aures continenter verbis ijs resonarent,
Isai. 64. Vtinam disrumperes cęlos, & descenderes. Qui sedes su-
Psal. 79. per Cherubin, manifestare coram Ephraim, & Manasse.

Basilij. An quod ex Basilij sententia bonitas meritis, benignitas confertur immeritis? Quid enim sceleris, quid flagitij mortales prætermiserant? Quo piaculo, manus non turpificauerant? Diuinissimi Numinis tam crebro, tam facile, etiam per contemptum, ac iocum violatores? Et tamen Rex noster humanissimus fontes aperit benignitatis, sordes eluit animarum, restituit in pristinum gratiæ locum, donis locupletat, & in partē vocat hæreditatis amplissimę.

Hoc enim est, quod cęlestium arcanorum conscius Ioan-
Ioan. 1. nes enunciat: In propria venit, & sui eum non receperunt. Quot quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. In seruitutem Dei adscitos nos esse, parum fuerat benignitati Diuinæ in gratiam, in amicitiam, in bonorum communionem euexisse, parum artissimo charitatis vinculo, vt filios Patris sibi nos voluit alligatos. Quid enim charius, quid indissolubile magis paterna in generatum sollicitudine natura tulit, in quibus, & sanguinis, & voluntatum, & bonorum communitas est, æterna vtriusque beneuolentia, odia momentanea, in quibus si Pater sęquit, iuuat: si irascitur, prodest, amat, non amatus, fugientem sequitur, contemptus, & reiectus inquirit latitantem, gemit ambitu, lætatur reditu, amplexus expedit, ruit in oscula, suauissimis lachrymis condit dolorem mutuum.
2. Cor. 1. O verè Pater misericordiarum, ô Deus totius consolationis! Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quid ita? Quia in propria venit; Quia apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri.

Atque hinc factum est Illustrissimi Principes, vt huma-

næ naturæ participes, post quam ad id honoris sunt euecti, haud amplius in sacris monumentis, ante cælestes Ciues procubuisse legantur, si quando se in illorum dederunt aspectum, quia in Apocalypsi Ioannes, non sine magno honore verborum excitatur è solo, cum vnus è beatissimis incolis cæli, se conseruum fateatur eius esse, quem infinitis fere partibus naturæ nobilitate præstabat. Hinc illa natio, quæ solis orientis perusta radijs; verum tamen solis lumen aspexerat nunquam: illa quæ molibus in altum extructis cœlum petere ausa est: illa, quæ diuinos honores vero numini abdicatos, bestijs immanibus communi calculo decreuerat, quam non semel per suos exercitus præpotens Rector conciderat, cuius cōmunione addictum sibi populum interdixerat, hodie benignitate singulari, non tam noui syderis, quàm veri luminis aspicit lucem, & ad interius, & familiarius admissa colloquium, Regem suum præsens veneratur. Apparuit enim benignitas Saluatoris, Qui in propria venit; Et dedit potestatem filios Dei fieri. *Apoc. 19.*

Sed quibusnam tantum munus est concessum diuinitus? Ex eodem fonte; & doni notitiam, & possesionis rationem licet haurire: Dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Iræ leuissima de causa efferuescentis incendia comprimantur, elata, & obstipa ceruix rigorem superbum infringat, voluptatum fracta, & effęminata titillamenta sopiantur, aut spes tanti honoris, & commodi omnino deponat. Num Caimus fraterno sanguine contaminatus in filiorum Dei numerum digne scribitur? Num inter fœdissima voluptatum volutabra degentes Gomorrhæi? Num Babylonicę molis Gigantes autores? An vero dignius inter eos talibus inquinati sceleribus sunt numerandi, qui teterrimi hostis mancipia vilissima à vitæ excessu, pro meritis æternas cruciatuum pœnas, idest debitam hæreditatem adibunt. Ex Deo nati sunt filij Dei, fidei ornamentis illustres, amoris facibus ardentes, & calore ad amantissimi Patris obsequium cæteros excitantes vniuersos. His insignitos laudibus, è postremis terrarum partibus profectos Reges clarere contemplemur, qui Diuina

luce freti barbarici fastus immemores, asperitates, viarumque incommoda superant, & male coementatam domum aulæ cælestis non ignari venerabundi subeunt, diademata deponunt, procubunt in genua, matura ætate viri, & sapientiæ opinione cœlebres, & Barbari Reges ante Puerum, Virginemque diuitiarum, & honoris egregij contemptores. Hæreditas magna est in Filium Dei transcribi, sed venalis opum contemptu, magna dignitas potentissimi dominatoris, & esse filium, & appellari, sed animi demissione comparatur; humana denique natura longe maiores vtilitates habet, benignitatem, humanitatemq. Seruatoris nostri affatim haurire, sed dolorum, laborumq. nonnulla tollerantia tanti muneris confirmanda possessio est.

Impleatur itaque in nobis tanto lumine illustratis, benignitateque diuina circumfusis, quod in trium Magorum imagine præcessit, tota mente videlicet odia declinantes, superbiamque destruentes, humilitatem amplectemur; toto corde fœdissimas carnalium voluptates abiicientes, castimoniæ puritatem diligamus; totis viribus diuitias omnes, terrenasque dignitates contemnentes, largitatem in Deum liberalitatem in pauperes habeamus, ac denique Apostolo docente, nos ab omni opere malo abstinentes, quæ sunt casta, & iusta sectemur. Etenim Stella, quæ hodie Regibus notum fecit Christum in infantia latitantem, eundem nobis manifestabit in maiestate regnantem, ibique non tam spectatores, quam filij nunquam interitura voluptate perfundemur.



ORA-

ORATIO II.



ATENT diuina myſteria in huius ſacratisſimi diei lectione Euangelica Beatisſime Pater. Qui enim paucis ante dies paruulus, ac infans in præſepio nuditate, ac frigore miſer fortaſſe iudicabatur, hodie dominator Dominus cognoſcitur, vniuerſi orbis Imperium ſuſcipit; illius gloriam cæli enarrant: A ſolis ortu vſque ad *Pſal. 18.* occaſum, nomen eius ſummis celebratur laudibus: Inimici eius terram lingunt: Ira, furórq. principis tenebrarum ſilet, & ad illum adorandum reges terræ conueniunt. Atque dum linguæ ceſſant Prophetarum, ſacra non deſinunt Euangelij eloquia mirabiliter mirabilia perſonare. Nam inter diuina Regis Regum Natiuitas extollitur, Chriſtus infans adoratur, Virgo mater ſumma pietate veneratur, inter cæleſtia, noua ſtella refulget, ſplendor è cælo videtur. Inter terreſtria, oriens nominatur, vrbs Hieruſalem à regia dignitate inuiſitur. Bethlehem magna efficitur, domus Virginis illuſtratur, Magorum celebratur peregrinatio, humiliſq. eorum colitur adoratio. Inter animi affectus, Herodes cum tota Hieroſolyma turbatur, Magi gaudent gaudio magno valde. Inter viſiones, fit ſomni recordatio. Inter oracula reſponſum à bono Angelo auditur. Inter pericula, atque Herodis inſidias, Magis preſtatur ſecuritas. Inter pretioſa, theſauri aperiuntur, Aurum, Thus, & Myrrha offertur. Inter maxima, regia poteſtas comendatur, ſimulq. inter nobiles creaturas Angelus præmonſtratur. Qua de re in tanta huius ſacri Euangelij copia inopiam patior. O vtinā modo quantā eſt huius lectionis Euangelicæ tractandę maieſtas, & amplitudo, tanta in me eſſet rerum, & verborum affluentia! Me certè non explodendum, ſed audiendum fore ſperarem. Interim vt mihi diuina præſto ſit gratia, ſupplex oro, ne frangar animo, ſed tantum virium celi-

tus

litus mihi addatur, quantum ademerat imago tante maiestatis.

Illud itaque primum se nobis offert considerandum sanctam Matrem Ecclesiam, Saluatoris nostri Dei apparitionẽ proponere, vt nobis exploratum sit, illum non operibus nostræ iustitiæ, sed Dei bonitate ac misericordia venisse: eru-
Tit. 2. dientem summo omnium gaudio, hunc diem celebrandum, vt impietatem, ac secularia desideria abnegantes, sobriè, iustè, pieque viuentes in hoc seculo, beatam spem, & gloriosissimum aduentum eius expectemus. Ac tam celebres apparitiones, Personam, Locum, & Tempus, sanctum Euangelistam perpendere edocemur; dicentem, Christum natum esse in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, vnigenitũ ac dilectum Dei Filium, esse personam, non est qui ambigat: Locum Bethleem Iudę, sic enim scriptum est per Prophetã:
Mich. 4. Tempus Herodis Regis: Septuaginta enim hebdomadarũ Danielis tunc finis erat: O Diuinam Personam! O decen-
Matth. 2. tem Locum! O plenissima Tempora! quæ tria primus terrenus Adam, summo omnium dolore, ac mærore, sibi nobisque amisit. Personam, quia vitam cum morte commutauit. Locum, è paradiso enim voluptatis eiectus est. Tem-
Psal. 113. pus, incidit enim in iræ, ac indignationis diem. At gaude in Domino, Beatissime Pater, quia Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis. Nam apparuit benignitas secundi Adami de cælo cælestis Saluatoris nostri Dei, qui mortale hoc induit immortalitate, ex terrestri nos ad cælestem locum transtulit, & totius mundi dissipata caligine, noctem vertens in diem, totum nobis reddidit tempus acceptabile. Nosque omnes plaudamus manibus, quia si per hominem primo formatum, versabamur in tenebris, hodie lux orta est nobis, hodie venit lumen nostrum, hodie gloria Domini super nos descendit. Loquatur laudem Domini os nostrũ, benedicat omnis caro nomini sancto eius, quoniam quæ habuerunt illa primordia temporum, in plenitudine temporis copiosius & cumulatius Christus nobis donauit. Eo quod pro mirabili creatione hactenus miraculosam Christi natiuitatem, pro decepta muliere, prudentissimam eius virginem Matrem, pro voluptatis Paradiso, Saluatoris præsepium, pro inuido serpente, Angelos pacis exultantes & ministrantes, pro tribus generibus conditorum

rum

rum fructuum, tria Regum pretiosa munera, pro Magno Deo ad modum irascentis Adamum vocante, Deum benignum, paruulum factum, pro firmamento fidem gentium, pro diuisione aquarum ab aquis, Magorum ab iniquo Herode discessum, pro congregatione aquarum in locum vnum, Israelitas Pastores, & Magos Gentiles, illi propè, isti longè, vtrique tamen ad angularem lapidem concurrentes. Mirabilia certè in lucis creatione fecit Deus, at dum omnia fecit: nouum sydus non minori potentia creauit, vt non virtute naturali, sed cælesti oriretur, non ad Chaldeorum curiositatem, sed ad Domini præsepe ostendendum: non Arithmetica ratione, sed sapientia Diuina metiendum, non casu, sed Dei iussu apparens, non cæli impulsu, sed Domini cælorum nutu splendens, non syderum cursu, sed peculiari lege motum, non ab arte, neque à natura, sed à Deo conditum: non Astronomi scientiæ, sed conditionis sapientiæ subiectum, neque eo motu, ac temporis spatio, quibus ceteræ stellæ, sed prout iter peragentibus Magis fuit indicandum, interdum se celans, interdum apparens; die, noctuque prout opus erat mouebatur. Qua propter non immeritò inferunt Magi; Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. narrat insuper Euangelica lectio: Magos Spiritu sancto docente interius, & per signum exterius in cælo visum didicisse natum esse Regem Messiam; natiuitatis autem locum eos minime doctos fuisse, quod forsitan diuinitus factum est, vt per Gentiles, & Barbaros viros, legis scientiam non habentes, & Herodis, & Iudæorum durities commoueretur, vt si vellent resipiscerent, si nollent inexcusabiles penitus remanerent. Elegit siquidem infirma Mundi Deus, vt fortia quæque confundat, deprimat, contundat. Verum mirabile dictu! Annunciant Magi Iudæis Christi Natiuitatem, & de Natiuitatis loco Iudæos inquirunt, sed ad quid credant quandoquidem credentes inquirunt? Forsitan ab humana ratione propriæ fidei quærunt experimentum? Tota equidem fides prorsus collabetur, attamen permanet in pristina fides integritate, & prudens, ac prouida eorum inquisitio valde comendatur: credunt enim ambulantes per fidem, inquirunt cupientes per spem, immo credentes inquirunt, vt accipiant responsum, & ita

stellæ, & Iudæorum geminato testimonio confirmati, vberrimã erga nos charitatem ostendunt, atque dum Regem confitentur futurum, dumque crudelissimum non verentur præsentem, eorum nobis animi fortitudinem, atque liberalitatem egregie patefaciunt, simulque nos docent inauditum, ac nouum iter ab illis, non ad terrestre Regnum, sed ad cæli imperium acquirendum fuisse susceptũ: & sic cælorum nondum cognoscentes Imperatorem, illius (diuina luce inspirante) facti sunt confessores. Si quis autem vestrum est, qui miretur, tantam in primitijs gentilium liberalitatem, fortitudinem, religionem, pietatem, fidem, spem, & charitatem: hic admiratione deposita, cogitet, eos non ab Aquilone, aut ab Occidente venire, sed ab Oriente, vnde splendor veritatis, vnde sol iustitiæ, vnde corporum, animarumue salus oriri solet. O vos beatos Reges, qui ab orientali plaga, ad Christum orientem accessistis, à stella ad solem, à Mediterraneo ad Oceanum, quin potius ad mare vastissimum, cuius gratiarum flumina, ita semper redundarunt, vt cunctos bibendi auiditate cupidos, & implere & explere facile possint. Præterea quàm semper fuerit Hebræorum, atque Gentilium dispar ratio, lecta Euangelij historia ostendit: Hebręos enim nec ignea ingens, ac noua columna potest ab illa inaudita perfidia remouere:

Gentiles vero Magi, vnius stellæ intuitu serena fronte, hilarique animo ad Christum properant: illi singulis horis legem euoluentes, ac in ea gloriantes, per legis præuaricationem, legis conditorem inhonorant, isti verò barbari homines, legis penitus ignari, ad Deum colendum parati, ac animati sunt: illi non modo non cognouerunt Deum, sed etiam oculis cernentes illum negare sunt ausi. Isti alieni, ac exteri homines intra Hebræorum mænia, intra illorum domos Christum natum requirunt, quæsitum inueniunt, inuentum adorant: illi ciues & domestici, Christum iuuenem cruci affigunt, isti hospites & aduenæ, de longinquo venientes, Christum infantem adhuc vagientem in cunis venerantur: Hebræi, quos velut oculorum pupillas charos Deus habebat, Christo prædicanti, oracula Prophetarum exponenti, surdorum aures, cæcorum oculos aperienti, mortuosque velut è somno excitanti credere

dere noluerunt, primitiæ vero gentilium non loquenti, ſed nouam ſtellam oſtendenti fidem adhibent, gaudioque magno valde gaudent; illi autem fallacijs & dolis pleni, vnà cum Herode, de Filio Dei nato turbantur. O peſſimum hominum genus, qui non ſolum viam veritatis agnoſcere ſpreuerunt, ſed etiã ex bonitate eam ingredientium, triſtitiam, atque animi perturbationem conceperunt!

Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolima cum illo. Nos vero rebus noſtris, animarum inquam ſaluti, iam tandem conſulamus, & Dominum Deum noſtrum, cui ſeruiunt omnes gentes, quem adorant omnes Reges terræ, cum Magis toto cordis affectu obſeruemus, veneremur, colamus. Quem adorare volentes, apud virginem Matrem inuenire debemus, in domo, quæ eſt Eccleſia Dei extra quam, nec puer adorandus, nec donorum Spiritus ſancti plenitudo inueniri poteſt. Domũ verò ingreſſi Magi procidẽtes, & vt pie creditur lachrymas effundentes, aiebant: Ecce offerimus tibi aurũ vt Regi, thus vt ſacerdoti, myrrham vt mortali. Myrrha ſepulturæ deſeruiens fidem reſurrectionis noſtræ inſinuat, qua renunciamus mundo tibi conſepelimur. Thus aſcendens ſpem futuræ gloriæ deſignat, qua promiſſionibus rapti cœleſtibus, quæ ſurſum ſunt quærimus, non quæ ſuper terram. Aurum cunctis pretioſius charitatem Dei & proximi demonſtrat, quam poſſidentes, ſciant cuncti nos in Deo, & Deum in nobis manere: Aurum, quia erit pretium noſtrum in Cruce: Thus, quia ſacrificium: Myrrha denique, quia medicina.

Indigni igitur tanto Patre erimus, indigni tam pia Matre, indigni his tribus Fratribus natu maximis iudicabimur, niſi apertis cordis noſtris theſauris, noſmetipſos, & quicquid ſumus Chriſto donemus. Quare huic ſummo Regi tria hæc munera deferamus, ſinderesim in primis ſolẽdidiſſimum mentis noſtræ habitum, quæ velut aurum metalla, ſingulas animi noſtri operationes antecellit, atque moderatur; conſcientiam deinde puram. quæ ita redolet, vt thure etiam ſit fragrantior, prouidentiam poſtremo, quæ non ſolum vt myrrha corpus à periculis ſeruat, ſed etiam mores animi temperat, effrænatas cupiditates cohibet, vitæ tranquillitatem, & pollicetur & præſtat. At viciſ-

sim bene erimus Magorum apparatum imitati, si de strato culparum nostrarum surrexerimus, si à mala consuetudine ante actæ vitæ recesserimus, si pacis, & veritatis viam ingressi, cælestem Hierusalem adire studuerimus, si oculos ad cælum diuinæ gratiæ fulgorem attendentes, eleuauerimus, si domum orationis, nostrique cordis intima penetralia ingressi fuerimus, si exultantes, & iubilantes cum lachrymis lætę compunctionis permanserimus, si denique Sanctorum suffragia conquisiuerimus, In his si die noctuq; curæ nostræ inuigilauerint orietur Dominus super nos, & gloria eius in nobis videbitur, præsertim si conuersa fuerit ad nos multitudo maris, magnum nempe auxilium B. Virginis, quæ huius fluctuantis Maris portus est & stella, & fortitudo gentiũ venerit nobis, præsidium inquam Sanctorum; tunc in cælesti illa gloria facie ad faciem videbimus, omni benedictione affluemus, præ magnitudine Regis cor nostrum mirabitur, & præ exultatione dilatabitur.

ORATIO III.



VM multi dies festi diuinitus ad recolenda redẽptionis nostræ mysteria, Pater Beatissime, solemnes à maioribus sint instituti, & Christiani populi frequentia per orbem vniuersum consequutis retro temporibus à fidei exordijs ad hanc vsque ætatem concelebrati fuerint, nihil tamen præclarius quàm quod more & instituto, scilicet Dei Ecclesiæ dies festus ille anniuersaria lætitia recolitur; quo tres Reges, ab Oriente ad veneranda Nati Saluatoris incunabula, diuina luce præmonstrante, largis muneribus, ac magnificis donis largiori tamen, ac penè inexplicabili fide, ac pietate peruenerunt.


Cum enim duas gentes, duasque nationes Christo Domino despondendas fuisse allegoricòs in Sarra, atque Agar vxori-

vxoribus Abrahæ, & in Anna & Phenenna Helcanę coniugibus præsignificatum fuerit, ac vaticinatione Isaiæ, & Osee prænunciatum; Israelitas primum in fide Patriarcharum, ac Prophetarum per annos bis mille succedentium, vniuersum deinde terrarum Orbem, & cunctas sub cælo nationes, quarum fides, & pietas Israeliticæ fidei, & ambitum, & fastigium superexcederet. Hanc ob causam vtriusque nationis primitias veluti vtriusq. coniugis primogenitos nuper Nati Dei infantiæ decebat deuoueri. Ex Hebrea gente primum Pastores, qui Angelorum adhortationibus sancta rusticitate eadem nocte ortum venerati sunt. Ex gentibus autem Magos, qui Regia magnificentia, ac pia religione, iam duodecim dies Natum adorauerunt. Quod si tanto gaudio, tantaque animorum alacritate dies ille celebratus est, quo Pastores incolæ Iudaicę regionis satis angustæ personam gerentes populi rudis, ac infirmi, & adhuc sub pædagogi cura degentis nullis fortasse muneribus, vel ijs tantummodo syluestribus, aut rusticis Dominum honorauerunt, quanta lætitia celebrandus est hodiernus, vbi sapientes Reges, ac Sacerdotes omnium gentium per vniuersum mundum effusarum personam substinentes, à terræ cognitæ extremis regionibus venientes, pia, regia, ac vere digna Deo munera obtulerunt.

Celebrauimus tunc diuini beneficij largitatē, qua Israel reliquis nationibus in vias suas abire permissis, in peculiarem populum, vt diuinis eloquijs erudiretur segregatus; atque electus fuit: cuius gratia dicebatur, Notus in Iudea Deus. Celebramus nunc Dei nostri ampliorem benignitatem Patribus per diuinum Prophetam promissam, Et reuelabit Dominus brachium sanctum suum in conspectu omnium gentium, & videbunt omnes gentes salutem quæ est à Domino. Cuius beneficentię causa Deus per Malachiam, magnum esse dixit in gentibus longe, lateque à solis ortu ad terræ terminos nomen suum. Hodie enim Dominus postulauit à Deo Patre hæreditatem, & recepit omnes gentes: petijt possessionem, & recepit terminos terræ. Hodie Deus Pater perfecit, quod Isaia prænunciante promiserat Filio: Viri sublimes ad te transibunt, & tunc erunt, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Hodie populus qui sedebat in tenebris lucem magnam prospexit, & qui tanto Psal. 75.

iam tempore sterilis erat, Diuina gratia prægnans factus, tergeminos tergeminis honoribus decoratos peperit. Quis nostrum de tot Regum vocatione, & illis donatę fidei magnitudine Domino omnium bonorũ largitori ingentes gratias non referat: illi enim inuicti laboribus, infracti periculis, patria relicta omnibus rebus posthabitis, totos se in exquirendo recens nato Puero collocarunt, & tam longi itineris spatijs emensis stellæ lumine inuitati, & Diuina gratia illustrante attracti, Bethleem perueniunt adoraturi Regem, non militum choro constipatum, vallatum exercitu aut populi frequentia circumseptum, vel substentatum Paterna potentia, sed vilibus pannis inuolutum in squallido præsepio iacentem, humili tugurio coopertum, ortu recentem, corpore exiguum, contemptissimæ paupertatis, in quo nullum appareret potestatis specimen, sed magnũ ostenderetur humilitatis argumentum. verum apud illorum mẽtes humilitas Natiuitatis, reuerentiam Diuinitatis nihil imminuit, sed quem videbant in pręsepio iacere, dominari credebant in cælo, & quem sciebant in lucem hanc tunc tẽporis ortum, ante omnia tamẽ tẽpora processisse ex Patre credebant: adorauerunt q. in infirmitate virtutẽ, & in humana carne Dominum maiestatis. Dies me deficeret enarrantem magnitudinem fidei, quam illi oblatorum munerum qualitate, varietate, ac copia felicius explicauerunt ex intimo enim corde pœnu purè ac neruosè eam fidem suppeditasse creduntur, ad quam extrinsecis officijs ostendendã è regijs thesauris munera liberalissime, ac profusissime deprompserunt; quibus natum infantem Deum Regem, ac Sacerdotem fatentes, ac profitentes in omnium populorum persona adorarẽt vniuersitatis Authorem, captiui generis humani Redemptorem, ac Principem Regum mundi. In quibus donis documenta, quæ præsignificantur, magis animo capi, quàm enarrari decet: tot enim sunt, vt pętermissione, atque silentio euitarim suspicionem ostentationis. Id dicam tantummodo tres hos. e Reges, qui magno quidem, atque excelso animo per salebras iter suum contulerunt ad Christum, vt quo possent modo prælucerẽt nobis, seseq. fidei, ac pietatis nostræ præberent duces, ita de nobis benemeritos esse, vt concipere non valeam quãto, ac quali cultu illorum animæ sint à nobis venerandæ, & quibus monumentis illorum nomina

mina sint cōsecranda. Qua enim religionis pietate, aut quo filiali amore erga tantorum Patrum memoriā desungi poterit, filiorum animus non ingratus? Nihil profectò agere possumus quo illos plene, ac pro meritis veneremur: inter cardines certe reponendi sunt super quibus versantur fidei Christianæ ostia, censendiq. sunt fœcundissimæ radices, vnde gentiū fides pullulauerit. Interest igitur nostræ pietatis, & illorum meriti, vt facta sua non modo clara, sed etiā preclara nobis iugiter ab oculos proponamus, ibiq. pedem figamus, vbi tantorum virorum impressa sunt vestigia, & cum illis tam digna munera, e regijs thesauris deprompta offerentibus, & nos aliquid symboli ex nostris humilibus sportulis subducentes conferamus. Illos ad Christum perduxit stella, quæ non in nocte tantū, sed lucente prorsus die, ac Sole fulgente etiam illo ipso clarius collucescebat nos, ad eundem perducat Diuinæ gratiæ lumen, quod inter tenebras sapientiæ humanæ humilibus mentibus fulget. Illi ab extremis terræ Regionibus Hierosolymam, vt natum Regem Iudæorum inquirerent, sunt profecti, nos à patria sua, quisque à mundanis inquam voluptatibus ad Hierusalem ciuitatē Dei vbi templū est Spiritus sancti, puritas conscientiæ, Christum inquiramus. Sicut enim illi Puerum cum Matre, vt recens natum decebat, & adhuc infantilibus fascijs colligatū inuenerunt, quo quasi indicio ab eis cognitum innuit Euangelista: ita nos eundem iam virum factum reperiemus, iuxta Adami Prophetiam cum coniuge Sancta Dei Catholica Ecclesia conuersantem, quo argumento internoscendum à nobis fore Dauid prēmonuerat: Astitit Regina à dextris tuis. Et tandem quod illi adorato Domino, muneribusq. ei oblatis sunt consequuti hoc, & nos consequemur, si munuscula Fidei, Spei, & Charitatis nostræ obtulerimus, & hodiernum Dominicæ Epiphaniæ diem, non modo anniuersaria, sed etiam iugi celebratione frequentabimus, ac recolemus, si in omnibus actibus nostris Dominus Iesus appareat.



ORA-

ORATIO IIII.



TRIA sunt, Beatissime Pater, quæ sibi mutuo recta ratione respondent. Inter cuncta absolute Deus. Inter sensilia lux. Inter animi perfectiones virtus: Hæc adeo sunt coniuncta, vt lux & virtus ad Deum viæ pulchre dici mereantur. Horum vero eminentiam, ac præstantiam, tum Isaiæ, tum Matthæi Euangelica lectio demonstrat, in quibus hæc tria egregie manifestantur. In Euangelio, Deus homo factus adoratur. Lux nouæ stellæ fulget. Magi virtutibus ornati, visa noua luce, ad Deum properant. Qui cum Hierosolymam venissent, primo lux se offert, quia ab Oriente veniunt. Deus inquiritur. Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Virtus apparet, & venimus adorare eum. Ex inde cum ab iniquo Rege dolosè loquente discessissent, lux statim videtur: Et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos. Deus illis non absconditur. Intrantes domum, inuenerunt Puerum. Virtus non abest, quia procidentes adorauerunt eum. Immo Deum, luce, & virtute colunt, adorant, venerantur. Nam auro cunctis pretiosiore, supremum Deum premonstrant. Thure ex lucido igne fragranti, claram lucem insinuant. Myrrha denique electa, laudabilem virtutem designant. Hæc tria pariter tota Isaiæ lectio manifestat. Virtutem, Surge illuminare Hierusalem. Lucem, Quia venit lumen tuum. Deum, Quia gloria Domini super te orta est. Deum, Super te autem orietur Dominus. Virtutem, Et gloria eius in te videbitur. Lucem, Et ambulant gentes in lumine tuo. Lucem, Omnes de Sabba venient, aurum, & thus, deferentes Virtutem, Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuū. Deūm, Et laudem Domino annunciantes. Quare meritò die ista quam Epiphaniam appellamus, aduentum Magorum, Christi baptismum, & primum illud insigne miraculum, vinum ex aqua factum recolimus. Aduentus enim

Matth. 2. *cap. 60.* *Ioan. 2.*

Mago-

Magorum in ſtella noua, lucem præmonſtrat. Pater in baptiſmo, Deum Filium manifeſtat,& in aqua vinum facta, diuina virtus elucet. In hac igitur Sanctorum luminum ſolemnitate, Deum ſupplex oro: vt ſicut de virtute, luce,& Deo ſum dicturus, ita in ſalutis fructum lux,in Deo,& virtute perſpiciatur; virtus in luce, & Deo laudetur; & Deus, in virtute,ac luce magnificetur. Magnas vires habet potens, ac ſplendida lux, quæ non modo homines ad ſui admirationem allicit, ac per illam ornamenta cæli, terræ, & hominum cupidiſſimè videntur, verum etiam pulchrum à turpi diſtinguit, cæteriſq.rebus vitam habentibus,egregiè deſeruit. Quæ vt fida ſolis comes, flumina,fontes, lacus, terram,& mare, immo vero cælos omnes,aperit nobis ad Dei mirabilia altiſſimè contemplanda, ac ſumma cum iucunditate,noſtros illuſtrat oculos,vt corpora diaphana nobis liceat, lumine perſpicuo ſuauiſſime penetrare. Hæc ſplendorem emittit, qui cum ſolida corpora non ingrediatur, ad nos lucidiſſime ſe reflectit. Niſi lux eſſet,omnia prorſus in terris quaſi exanimata,ſine pulſu, ſine ſpiritu, ſine ornatu iacerent. Verum omnis lux humana, quæ diuinam vnde manauit,non ſuſcipit,admiratur,ac amat, non lux, ſed obſcuritas quædam eſt appellanda. Quotus enim quiſque hominum eſt,qui vitam noſtram, lucem dicere poſſit ſine Chriſto,ſi ipſa mors eſt, & ſepulchrum animę teterrimum? Hodie ad hanc lucem ſacra Iſaiæ lectio nos excitat clamando: Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum. Qua dulci vocatione conſentaneum eſt, mentem noſtram ob tantam lucem nobis exortam, omni ſerenitate lucere: voluntatem, omni tranquillitate gaudere, & cor noſtrum omni gaudio exultare. Rideat veſtra frons hilaritate, vultus lætitia geſtiat, vox & oratio mea,omni exultatione Dei cumulata triumphet. Eſt, eſt quod gaudeamus cum letitia Patres: eſt, quod lętemur cum triumpho: eſt, quod triumphemus cum corona. Lux orta eſt nobis, ſtella nobis apparuit, & non gaudemus? Deus ſe nobis manifeſtauit,& non lętabimur? Virtus Magorum,in Euangelio, tanquam adamas in auro ſplendeſcit, & non triumphabimus? Venite: venite omnes,exultemus Domino: ob tantā Magorum virtutem: Venite,iubilemus Deo ſalutari noſtro, ob Deum incarnatum. Præoccupemus fa-

ciem Domini, ob tantam lucem. Hæc est illa lux, quæ in principio fuit vita hominum; omnia viuificans, omnia distinguens, omnia collustrans. Sed proh dolor! video omnia lucem appetere, omnia lucem exoptare, & nos inter creaturas visibiles, nobilissimos in tenebris, veluti mortis versari, ac confundi. Hanc ob causam ad alta, sublimia, & diuina nos Sancta Mater Ecclesia excitare, erigere, & inflammare cupit, dum talia canit; Surge illuminare Hierusalem. Surge, quia luce Christi, nil pulchrius ad aspiciendum. Illuminare: quia nil amabilius Christo ad fruendum. Venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, quia nil Christo diuinius ad contemplandum. Surge, quia lux Dei donum est, non dico hominibus tantum, at auibus, at piscibus, at feris, & belluis etiam iucundissimum. Surge, quia Dei Templa orationibus, sacerdotibus, & luminibus lucent. Lucet hæc alma Roma, illa inquam Roma, quæ olim Dictatoribus, Imperatoribus, Monarchis, virisque tum litteris, tum armis, cæteris nationibus anteponendis, mirè decorata fulsit, nunc ob tot purpuratas, ac micantes gemmas, & Pastores zelo ac scientia splendidissimos, magis magisque refulget. Lux igitur fouet, ac moderatur omnia, lucis beneficium sentiunt omnia, luce gaudent omnia. Quis Magos ex oriente duxit cum muneribus, ad Christum natum adorandum? Stella, stella: Lux, lux. Quis mundum illuminauit vniuersum? Christus lux mundi incomprehensibilis, & infinita. Quare non est quod miremur, si Magi dum hanc lucem quærunt anhelantes dicunt: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Nam veritas est illa, quæ primo intellectui nostro optanda occurrit. Lux vero quæ oculis ante omnia appetenda se offert. Christus autem simul, & lux, & veritas est. Exultat, descendit, illuminat, fouet, calefacit, penetrat Christus, quia lux est, & lumen & splendor Patris. Ad se conuertit gentes nostra lux, quia bona, ad se allicit Magos, quia pulchra; ei dantur munera, quia suauis. Præterea si lux rebus vitam iucundissimam; Christus nostra lux dat vitam æternam. Si lux est splendor omnia distinguens; Christus est ille qui segregat agnos ab hædis. Si lux est emanatio quædam subita & lętissima; lumen & splendorem in inferiora diffundens: lux nostra

Chri-

Christus omnia illa in nos confert beneficia, quæ à supremo luminum Patre descendunt: nam ipse est lux mundi clarissima purpura cæli, nauigantium directio, oculus noctis, & facies omnium rerum. Vultis intimius lucis spectare naturam? Sine lucis diminutione, ab ipsa lumen emanat. Sic Pater generando Filium non decrescit, nec diminuitur lux, nec prior est lumine, nec lumen sine luce reperitur. Filius quamuis sit à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, & Filio tamquam ab vno principio, in hac tamen sanctissima Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus, sed totæ tres personæ coęternę sibi sunt, & coæquales. Semper lumen fluit à luce. Pater ob virtutem infinitam semper generat Filium, Filius, & Pater, semper producunt Spiritum sanctum. Sine passione lucis lumen habemus. Absque passione Pater generat Filium in diuinis, & Mater sine dolore peperit hominem in terris. Lumen non maculatur, nec maculat. Christus non maculatur, quia Sanctus Sanctorum est: omni labe caret, quia de peccato nullus poterat eum arguere; Lux dubia ad visum pertinentia declarat, gaudium affert, omnia corpora diaphana penetrat; Christus omnia declarat, stupebant omnes qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius. Gaudium omnibus affert, Nunquid possunt filij sponsi lugere quandiu sponsus est cum illis? Penetrat corda præparata: Ego sto ad ostium, & pulso, si quis mihi aperuerit intrabo, & cœnabo cum illo. *Luc. 2.* *Mar. 2.*

Luminum tria dantur genera, nimirum Solis, Lunæ, & stellarum. Fulgentes stellæ sunt Magi. Pulchra Luna est Mater Saluatoris. Sol iustitiæ, ipse est Christus Deus noster. O Deus, ò lux, ò lux, ò Deus. Verum nè vt scrutator Maiestatis opprimar à tanta luce & gloria, vtque tandem riuuli nostræ orationis claudantur, ad virtutem me confero. Virtutis ea est natura & conditio, vt per varios gradus ad primum ascendat principium, secum nos eleuet, nec vnquam requiescat, donec cum illo nos coniunxerit: & iure quidem optimo cum vniuersæ virtutis parens sit Deus, eum pro facultate parentem quærit, in eo conquiescit, à quo vitam, spiritum, præmium, postremamque recipit perfectionem: ideo qui per gradus virtutum *Apoc. 2.*

 progre-

progreditur, ad Deum eleuatur. Hinc ſanè factum eſt, vt fide, ſpe, charitate, cęteriſque virtutibus præditi ſint Magi, quia ad Deum toto corde properabant. Fide enim illuminati credunt eloquijs diuinæ Scripturæ. Spe ducti, longum ſuſcipiunt iter, ac vt gentium præclarè primitiæ, Chriſtum paruulum, cæteris mundi opibus præferentes, inſignem charitatem oſtendunt. & dum pacificum Regem, futurum confitentur, dumque ſæuiſſimum non verentur præſentem, animum egregia fortitudine, iuſtitiaque munitum declarant. Et quando per aliam viam (Diuino afflante ſpiritu) Herode neglecto, reuerſi ſunt in regionem ſuam, eorum prudentiam nobis patefaciunt, ſimulque procidentes, & adorantes, ſuam nobis humilitatem, ac religionem indicant. Muneribus denique Saluatorem noſtrum, Regem Sacerdotem, ac mortalem confitentur: immo natum Regem quærunt, vt myſterium Incarnationis à ſeculis abſconditum venerentur, & quærunt eum in Bethleem, quæ domus panis interpretatur, quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſinuatur. Amplius in Bethleem Iudæ proficiſcuntur, vt ore prædicent quod corde crediderunt, nam Iuda confeſſio interpretatur. In diebus Herodis Regis hunc ſuum iter ſalutare conficiunt, quia plenitudo illa temporis aduenerat, qua Danielis Septuaginta hebdomadæ impletę ſunt. De propria ſalute videntur ſolliciti Sacerdotibus dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vt ſapientes magna aggrediuntur, & ſublimia attingunt. Deum enim hominem factum quærunt. Inter intellectuales creaturas, reſponſum à bono Angelo accipiunt. Inter cæleſtes noua ſtella antecedebat eos. Inter elementares, magnum orbis percurrunt ſpatium. Demum ne rationales prætermittãtur, Hebræorũ ſapientes audiunt, Herodem alloquuntur, Virginem Dei Matrem venerantur. Quid plura? Bonum faciunt principium, quia ab Oriente veniunt. Melius ſanè medium, quia Hieroſolymam ſanctam Ciuitatem ingrediuntur. Optimum denique finem, quia promiſſum quærunt, quæſitum inueniunt, inuentum adorant.

De virtute igitur vnà cum Magis dicere nobis liceat: Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. O nos felices, qui cum iſtis fratribus natu maximis, veri

veri adoratores nuncupamur. Et quamuis primam vocem eiulantes emittamus, quia stellam Iacob vidimus, ideo, gaudere vnà cum istis magno gaudio, possumus. Nos extra Paradisum voluptatis eiecti: nunc in domum orationis, quæ est domus Dei ingredimur. Mulier ab antiquo illo serpente fuit seducta. Hic verò inuenimus puerum cum benedicta eius Matre, caput serpentis conterentem. Primi parentis culpa, clausum erat cælum, quando autem tanta apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, aperti sunt cæli, & hodie Regum thesauri aperiuntur. Imolabant homines filios & filias spiritibus immundis. Hic Magi absque sanguinis effusione obtulerunt Deo munera, aurum, thus, & myrrham. Sine ordine charitatis à Priscis illis mundus & quod suum est dilegebatur. Nunc Deus Dominus noster, toto corde, tota anima totisque viribus, deinde proximus, pretiosissimo auro charitatis amatur. Terram spectantes, Deus non laudabatur. Hic thure orationes nostræ diriguntur ad Deum. Mysterium passionis Christi ignorabatur. Hic myrrha, magna pietate recolitur, secundum illud, Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Tandem exules à Patria cum essemus. Hic, vnà cum Magis in regionem nostram reuertimur. O vtinam virtutis vires, ac bona, quæ in Euangelica lectione splendent, perfectè narrare possem. Eius enim munere, defuncti viuunt, collocati in tenebris illuminantur. Pauperes, veris abundant diuitijs, serui fiunt Principes, humiles redduntur sublimes, deformes formosi, depressi eleuantur in cęlum, & demum virtute nos Angelicam nanciscimur conditionem. Virtutis beneficio, veluti Orientalibus Magis Deum diligentibus, omnia nobis cooperantur in bonum. Qui hunc venerantur, Deum venerantur & colunt. Et si ardua, nobis videtur virtutis via; illud præ oculis habeamus, nil præclarum apud nos reperiri, nisi arduum, nil sublime, & pretiosum, nisi sudore partum, & quod animæ salutare est, sæpe videtur corpori amarum. Ad hanc autem virtutem, nulla talis reperitur exhortatio, qualis est peccatorum, dolens, & perfecta recordatio. Et in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est, id au-

Cant. 1.

tem diligere prudentia est, nullis inde auerti molestijs fortitudo est, nullis implicari illecebris temperantia est, nulla inflari superbia, iustitia est. Induamur igitur arma iustitiæ, nosque ad iter accingamus salutare, & summi Dei Thronum precibus & humili corde adeuntes, diuinam eius clementiam exoremus, vt nos dum lux est, in Deo & virtute, sic & semper maneamus, vt cum istis sapientibus, in hoc itinere Patriam versus, antecedente, ac concomitante fulgentissima Spiritus sancti gratia. Myrrham fidei, thus spei, aurum charitatis, Deo nostro offerre possimus. Interim, Vos qui estis lux in Domino, in luce, Virtute, & Deo: manete.

ORATIO V.



ÆTENTVR cæli, & exultet terra, gaudeant cælestes virtutes, animæ verò cælesti sponso copulandæ præparentur: res enim non humilis neque obscura, sed grauissima profectò ea est, quæ sacro hodierno eloquio (Beatissime Pater) reuelatur. Audite igitur cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei, concrescat vt
Deut. 32.
pluuia, & fluat, vt ros eloquium meum, quia magnalia Dei loquetur os meum, vt benedicat omnis caro nomen sanctum eius in sęculum, & in sęculum sęculi.

Hodie oritur stella non volens, sed iussa, non cæli nutu, sed diuinitatis impulsu, non lege syderum, sed nouitate signorum, non cæli climate, sed virtute nascentis, non ab arte, sed à Deo, non Astronomi scientia, sed pręscientia conditoris, non Arithmetica ratione, sed sanctione diuina, non curiositate Chaldæa, sed procuratione superna, non virtute humana, sed cælesti prophetia. Hęc ducit ad natum Regem præter mundi legem, præter car-

nis ordinem. O res mirabilis, Virgo generat, ſterilis parit, mutus loquitur, Ioannes exultat, vidua confitetur, iuſtus expectat, ſtella ducit ad Solem, Reges ad Regem Regum, homines ad Deum, Magos ad diuinam ſapientiam. Huc magiſtra lex tendit: huc inter Chriſtum, & legem interiecti Prophetæ: huc ſpiritualis legis abſolutor, & finis Chriſtus: huc exinanita diuinitas: huc aſſumpta caro: huc noua illa Dei, hominiſque coniunctio vnum ex vtroque, & vtrumque per vnum. Ob hanc cauſam Deus intermedia anima carni iunctus eſt, vetuſtati nouitas ſubſtituta eſt, idcirco natiuitas, & virgo, præſepium, & Bethleem: Natiuitas propter creationem, Virgo propter mulierem, Bethleem propter Edem, Præſepium propter Paradiſum, res paruæ, & ſpectabiles propter magnas, & ab oculis remotas. Idcirco Angeli cæleſtem primum, ac deinde terrenum laude celebrantes, & paſtores ob agni, & paſtoris ortum gloriam canentes, vt ſcilicet Magi ab oriente cultu idolorum euerſo, errorumque tenebris fugatis, Deum verum agnoſcerent, Deum ſe inueniſſe mirarentur in carne.

Currunt igitur præuia ſtella interrogant, inueniunt, gaudent, procidunt, adorant. Ecce deſertum Cades a Domino commotum, ecce accola venit, qui non erat ſecum, & tandem aduena eius iunctus eſt ſibi. Audite Patres, cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, ecce Magi ab Oriente venerunt.

Naſcitur Chriſtus rerum origo, naturæ auctor, vt naſcendo naturam reſtitueret, & iacentes in terreno germine, cæleſtem tolleret ad naturam. Hinc eſt quod eo nato, Angelis nunciantibus de proximo veniunt Iſraelitici Paſtores, vt verbum quod mitiſſimi Paſtoris elegit officium videant, de ſe etenim dicit: Ego ſum Paſtor bonus. paſtoris induit perſonam, vt vagos populos, diſperſas, longè, lateque gentes velut oues errantes in vnum paſtor miſericors congregaret, immo, vt nationes feras, prædam mortis, carnis cibum, potum ſanguinis, beſtiarum furorem ſitientes ad vſum lactis, ad cibum graminis, ad ouium totam duceret, ac redderet lenitatem. Veniunt, & de longinguo Gentiles Magi munera ferentes, genua

flecten-

flectentes, ipsumque adorantes, vt ab omnibus Deus, qui omnibus nascebatur veneraretur, ad vnum præsepe, vnum, & idem colentes veniunt, vt sicut vnus est Deus Dominus omnium, sic fore tandem, vt fiat vnum ouile, & vnus
Ioan. 10. pastor: Veniunt duo parietes ad lapidem angularem, vt confiteantur, & adorent caput anguli.

Veniunt Bos, & Asinus, vt præsepe Domini sui agnoscant, iuxta vaticinium Isaiæ Prophetæ: Cognouit Bos
Isai. 1. possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui: Agnouit enim Bos Iudæus iugo legis excusso, Agnouit & Asinus gentilis stultitiæ feritate deposita. Magi tamen aurum, thus, & myrrham munera deferunt.

Verum cuncta percurramus non enim mysterijs vacant, quæ ad nostram doctrinam scripta sunt; Mens quippe terrena visibilium solummodo assueta imaginibus, solaque carnalia sapiens, prouehenda est, atque ad spiritualia manuducenda.

De longinquo igitur, ab Oriente videlicet ad Christum
ad Ephes. 2. veniunt Magi, Et nos, qui longè eramus propè facti sumus in sanguine eius, cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per sanguinem eius. Stella antecedebat eos vs-
Rom. 5. que dum veniens staret supra vbi erat Puer. & gratia gratum faciens, quædam matutina stella prafulgida est, quæ electum quemque præcedens ducit ad præsepe Christi, vbi sedet ad dexteram Dei Patris. Dum alloquerentur Herodem Magi, terrenumque quærerent documentum, signum cæleste eos deserit, & nos, humanum flagitantes consilium, diuinum amittimus ducatum, terrena quærentes gratia priuamur. Illi relicto Herode gauisi sunt gaudio magno valde, & ecce stella antecedebat eos, &
Matth. 18. gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quæ relicto peccato perseuerantię stella ducit ad salutem. Interrogant vbi est, qui natus est Rex Iudęorum; & nos quandiu viuimus, doce nos iustificationes
Psal. 118. tuas, vtinam dirigantur viæ nostrę ad custodiendas iustificationes tuas, à Domino postulemus. Ad illorum aduentum, & interrogationem turbatur Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo, & aduersarius noster diabolus tan-
1. Pet. 5. quam leo rugiens, circuit, stridet, fremit dentibus quærens

rens quem deuoret. Occultè vocat Magos Herodes, & blandis alloquitur verbis, & palam nihil audet simulata mens, conscientia dolosa.

Haec (Patres) naturam corrupit, legem aboleuit, Angelum deiecit, hominem prostrauit, cælum spoliauit, vniuersum confudit, Altissimum irritauit, abyssum compleuit; haec (inquam) lites excitat, odia parit, rapinas facit, homicidia perpetrat, intorquet blasphemias, supplantat innocentem, opprimit pauperem, extollit diuitem, eleuat superbum, contemnit humilem, conturbat quod pacis, quod iustitiæ, quod vnitatis, quod virtutis, quod sanctitatis: vbi dominatur hęc abest charitas, elongatur sapientia, ignota permanet veritas, ibi consilia mala, infatuatum cor, cogitationes nefarię, immoderati affectus, terrenorum amor, imperandi libido, & tandem implacabile bellum.

Hinc dolo imperat ipse, vt renuncient sibi cum inuenerint, vt & ipse veniat, & adoret: Diaboli gerebat vicem, Sathanæ implebat personam; quapropter fingebat adorare, cum sæuiret, pietatem affectabat, qui sanguinem sitiebat: Verum quia, qui simulato graditur corde, permittente Deo diu latere non valet, Magi hoc agnoscentes per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

Ingrediuntur domum, & cum ingenti gaudio inueniunt Puerum cum Maria matre eius: & nos reuelata facie Dei gloriam contemplantes à claritate in claritatem transibimus, & delectabilis admirationis pascua inueniemus. Tres veniunt, & vnum adorant, vt Abrahę se filios non esse degeneres ostendant, qui tres vidit, & vnum adorauit, tria munera offerunt, tria in Christo agnoscentes, Verbum, Animam, carnem; Tria etiam deferunt, vt qui ad Christum venire contendunt, saluique esse volunt, inuiolatam sanctissimę Trinitatis fidem seruare oportere insinuent. 2.Cor.3. Genes.18.

Offerunt verò apertis thesauris suis aurum, thus, & myrrham, & nos mystica dona, & his quę oculis cernuntur sublimiora ad pedes eius procumbentes largiamur, nimirum vt nihil de alieno accipiamus, nec diuitijs quicquam

quam aduersus paupertatem concedamus. Dei creaturam per aliam creaturam ne iniuria afficiamus; sed spiritualis vitę consuetudinem habentes, rectamque vitę rationem consectantes, cum Christo vero Deo, & sacerdote viuamus, quæ rursum sunt quęrentes, vt tandem hęredes Dei cohęredes verò Christi effici mereamur.

Coloss. 3.

Finis primæ Partis.



SECVNDA PARS FERIA QVARTA CINERVM.





ORATIO PRIMA.



QVOD olim cum triumphatoribus suis regnandi cupidam præstitisse Romam memoriæ proditum est, vt seruum eodem curru cum triumphante constitueret, qui victorē gloriosius exultantem, subinde admoneret, vt finem respiceret, hominem se meminisset, verteret oculos ad virgas, ac tintinnabulum, quæ currui appensa erant, intelligeret se cædi virgis, se securi percuti posse. Simile quoddam amantissima nostrum parens Ecclesia agere cum hominibus videtur in præsentia: ne elati enim superbiæ fastu mortales, & voluptatum vi aliò abrepti condicionis suæ obliuiscantur, monitorem oportunè admouet, cuius vocibus aures hodie personent, Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Quibus verbis ad duo Auditorum memoriam reuocari video, alterum, vt meminerit, quid homo sit, alterum, quid futurus sit, id est cinerem se esse, cinerem se futurum, hæc enim duo tempora licet inter se durando diuersa sint, vtraque tamen idem complectitur, & exæquat cinis, neque alium vult, vt intelligamus, finem esse vitæ, quam vitæ cursum,

 vt si-

vt sicut ille in mortem desinit, ita hic morte peragatur. Aggrediar igitur priori loco, quod prius est, ostendamq. merito cum cinere comparari vitam, cum pene totum, quod viuimus, mortis appellationem mereatur. Scio me in ea materia versari, quam velut minus populo probabilem, oratorum aliqui, & philosophorum non nemo, non sine ingenij specie, ab Auditoribus impetrarunt. Sed aliam, vt à me iniri rationem constet, veritatisq. momenta quæri non gloriam; contemplemur, si placet, vitæ theatrum, ineamus ætatis nostræ summam, annos computemus; credo patebit, hominum tempus, ad vitam apparatum potius esse, quam vitam. Et primò quidem, quantum vitæ est id, quod ipsi sibi homines demunt, tantum profecto, vt vitam longam cum acceperint, breuem faciant. Quidquid aliorum causis cognoscendis impenditur, quidquid publica, priuataq. munera auferunt sibi, quantum officiosa per Vrbem discursatio, quantum vanus timor, vehementior lætitia, auida cupiditas, blanda conuersatio suffuratur, tantum homini demitur, minusq. de suo relinquitur: & tamen paucissimi hanc iacturã queruntur, immo profusissimi ætatis sunt, cuius vnius, vt ait ille honesta auaritia est. Quotus inuenitur qui prædia sua occupari ab alijs patiatur, qui pecuniam suam diuidi cum alijs velit? & tamen vita in plurimos quotidie distribuitur, in eiusq. possessionem non modo alij impune inducuntur, sed passim etiam inuitantur. Sed age vixerit aliquis totus sibi, & quod fieri non potest, viuens inter homines, hominibus nihil dederit; an propterea tutus erit ab assiduis, quæ nos circumstant periculis, quæ sicut partim metu solicitant, partim ruina prosternunt; ita minimum relinquunt vitæ, multum afferunt mortis. An longius hic periculorum turbo circumsonat, an alio minantur procellæ; an non capiti nostro fulmen impendet? Quoties aliquem domi quietum, honesteq. degentem ædium euersione prostratum audiuimus? Quoties per iter summo cum honore incedentem inimicus ensis per summam ignominiam eripuit? Quoties aliquis domi, forisq. gloriosè versatus, statim eo immitiore, quia non timebat, funere confossus interijt? Quoties in vicinia nostra conclamatum est, & propter limen domus immaturas exequias fax, cereusq. præcessit? an vllæ sunt tantæ diuitiæ

uitiæ quas non mendicitas à tergo sequatur? an vllum est, etiamsi florentissimum Regnum, cui casus, ac proculcatio subiecta non sit? an aliquis honor cum matutino sole exoritur, qui occidere cum vespertino non possit? testes appello tot Vrbes, ac Regna, quæ clarissima aliquando, mox diruta, a solo æquata iacent: testem tot clarissimorum ducum fortunam, qui è summo honoris, & potestatis gradu in infelicem repente statum, sunt miserum in modum deturbati, cuius modi varietatum in hoc æstuoso mari, in quod natura nos duxit, tanta quotidie copia est, vt si miserrimum quemque aspicias, statim præ alijs felicissimum illum, ac fortunatissimum prædicaueris. Libeat hic cum S. Augustino exclamare: O vitam hominum cæcam, atque ærumnosam, quam dolores extenuant, ardores exsiccant, inflant epulæ, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, solicitudo coarctat, extollit iuuentus, senectus incuruat, ægritudo frangit, mors interimit; itaque gaudijs finem imponit, vt cum esse desierint, nec fuisse putentur. Accedit ad hæc tertio, quòd licet viuere quis sibi, & à periculis tutus possit, subterfugere tamen nequit, quin vitam sibi tempus tacitè surripiat. Sapienter, vt cætera, Gregorius, vitam nostram dicebat esse nauiganti similem, qui aut sedeat, aut iaceat, impulsu nauis agitur; ita inquit, & nos sumus, quia siue vigilantes, siue dormientes, siue ambulantes, siue volentes, siue nolentes per momenta temporum quotidie ad finem ducimur: etenim quotidie vita nobis paulatim eripitur, dum, quò magis crescit, eo decrescit magis: singuli dies aliquid à nobis, tamquam vectigal exigunt, immo singulæ horæ, ac temporis interualla aliquid de nostra vita prædantur; planè vt ego ipse, dum verba hæc profero, vnà cum illis, & vitæ pars effluat. Dixi de primo, quod proposui, ostendiq. quantum per tempus licuit, vitam hanc, quam viuimus (quod multum ipsi nobis demimus vitæ, multum pericula, multum singula per se tempora, atque momenta) minimum habere vitæ, plurimum mortis; vt verè, ac meritò reduci homini debeat in memoriam: Memento homo, quia puluis es. Restat iam alterum, quod simile superiori est, sed nonnihilo communius, & sub oculos magis, atque sub tactum cadit: Licet enim sit aliquod in primo discrimen, in hoc secundo certè nullum est: interuallis distinguimur, exitu coæquamur: hoc autem mera mors

August.

Gregor.

est: hæc scilicet nostri terminus æui: huc denique rediguntur omnia: ad hoc aliquando littus frangendi omnes sumus: huc vsque venies, & non procedes vltra, & hic confringes tumentes fluctus tuos: Hic vltimus varietatum terminus, cui iubente Deo & natura, omnibus vel inuitis vacandum est, qui non magno à nobis discrimine diuisus, inter momenta, quæ quotidie traducimus, commoratur: & tamen scimus, nihil ab homine remotius à se prospici, quam finem vitæ, nihil esse, in quo incautius sibi plerique blandiantur, in quo festiuius se decipiant, fallantque. Videas non neminem consilia sua, non in diem, aut mensem, sed in annos plures, atque aliud pene sæculum differre: de prædijs, portubus, ciuitatibus condendis tanquam immortales cogitare. Quanto hoc certè nomine sapientius Aegyptij, illi rerum notitia præ cæteris populis excellentes, quorum labor in mortuorum sepulchris extruendis amplissimus, contra vero in domibus, ac regijs pene nullus fuisse narratur; quasi vero labor irritus, atque inanis ille esset, qui in re tam breui temporis spatio lapsura, suumq. cursum confectura, impenderetur, qualis nostra est vita, quæ hominum plures paucis admodum exceptis in ipso sui apparatu destituit. Sed quid ego hominum exemplis contra homines vtor? Quid aliud nobis dies, ac noctes? quid syderum cursus, quid Vrbes, ac Regna passim morientia, quid ipsa elementa, quæ quotidie in partibus suis occidunt, nisi omnia mortis subdita esse imperio contestantur; quæ hominũ, ad quos magis hoc spectat, quadam miseratione cómmota, videntur quodammodo exclamare. Eia homo expergiscere tandem, & te mortalem esse disce, ne te expectatio, quæ pendet, ex Crastino detineat, nonne vides ætatem tuam, qua ratione cœpit, properare? putas ne amoturam illam aliquid celeritatis suæ? Falleris profecto: illa enim, quemadmodum à prima die iussa est incipere, ita ad vltimum vsque tacita velocitate labetur. An de malignitate naturæ conquerimur, quod tam cito hæc dati temporis spatia decurrant? at dum natura arguitur, ipsi reprehendimur, qui eam adeo breuem, atque exiguam facimus; vita enim satis superq. longa esset, si eam bene, & in id, ad quod data est, impenderemus: nos verò cum illam extra eam quodammodo positi, transigamus, quid mirum, si quam ire non intelligimus, transisse cognoscamus? Quid

Aegypij.

 igitur

igitur putas? quid anxia mente peruoluis? quid moraris? Tu rerum extra te positarum vinculis alligatus iaces, vita festinat, mors in medio statim aderit, qua velis, nolis, antequam ad te redeas, opprimeris. Hæ sunt elementorum voces, hæ mundi querelæ, quibus oppletæ multorum hominum aures pene obsurduerunt; vt sicut ea gens, quæ Nili catadupa incolit, vbi flumen ex altissimis montibus præcipitat sensu audiendi carere dicitur; ita nonnulli ob assiduas voces, quæ vndique in aures incurrunt, hebetiores redditi videantur. Sed hodierna die ad cæteras adiunctæ Ecclesiæ voces, atque auribus sæpius iteratæ, perq. aures immissæ altius in animos reddere homini sensum, ac vitam debent. Par est, vacare hominem aliquando sibi, in se descendere, rationum suarum inire summam, intueri, quid fragilis natura nostra persuadeat, qua ratione ipsa vitæ breuitas spem longam vetat inchoare; nosse vnumquemque ac sentire mortalitatem suam, ne tanquam hic semper victuri viuamus, & contra naturæ consilium in longum tempus cogitationem protendentes, omnia quasi immortales exoptemus. Serum est tunc incipere hominem viuere, cum desinendum est, stultum inde velle inchoare vitam, quo pauci perduxerunt: Infelix obliuione mortis in mortem incidere, cuius memoria infeliciter viuat. Misera quippe eorum condicio est, inquit Gregorius, quibus mors accidit sine morte, finis sine fine; defectus sine defectu, quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.

ORATIO II.



AGNA sanè, ac periculosa condicionis suæ obliuione teneri necesse est genus humanum, B. P. quando non illi prodest eius assiduæ admonitionis, nec leue, remedium, sed desiderat etiam vt anniuersaria die, sigillatim, & ad sacras Dei Opt. Max. aras non solum seuero illo carmine, Memento homo

quia

quia cinis es, & in cinerem reuerteris, sed ipso etiam horrido cinere, auribus, oculis, ac tactui denique subijciatur. Quæ res, vt per se misera est, ac luctuosa, ita multo miserior apparet quò mens nostra rebus inanibus mancipata, ipsarum rerum contagione contrahit vanitatem, & huiusce modi, quasi recurrentem morbum stupòris. Vsque eo, vt quæ consilii ac sapientiæ constituta est sedes, ac domicilium, quia vanitate non vacat, tranquillitatem perpetuo indaget, & id agat perpetuo, vt ne vnquam tranquilla sit. Quapropter, licet pestilentis huius obliuionis diligentiorem curationem repetere in ieiunio, fletu, & planctu diuinitus hodie admoneamur, tamen cum huius planctus materia sit rerum mortalium vanitas, nòn erit opinor alienus, neque intempestiuus de hac misera vanitate sermo; quandoquidem genus lamentationis est commemoratio malorum. Et verò quis possit non altè ingemiscere si secum ipse hæc reputet, & tacitus loquatur, Muta omnia, oculo destituta rationis, numquam deflectunt à via, quam sua cuique præscripsit, & demonstrauit natura; ego verò, natus homo, dominàtor piscium maris, volatilium cæli, & animantium terræ paulo minor Angelis, imago & gloria creatoris; prudens volensq. cæcos, obliquosq. tramites perrarò non teneo, perrarò non feror per incerta diffitiarum, per prærupta ambitionis, per vligines voluptatum, sexcentosq. alios non consector infelices huius vitæ mæandros, videlicet hoc tandem lucri facturus, vt inani cupiditate huc illuc meo sempiterno malo volitando, semper appaream puer centum annorum, delirus voluntarius, meiq. ipsius circumscriptor miserabilis. Quid enim verius dici potest, quam sese miserè circumscribere mortalium mentem. Etenim cum illi, in hoc orbis terræ infestissimo itinere peregrinanti, terrestrium rerum viaticum, ex bonorum omnium sempiterno ærario attributum sit, quò recta properet ad felicissimam ciuitatem Hierusalem cælestem; eo tamen abutitur collocandis sedibus in via; immemor patriæ, & talis patriæ; immemor officij, & salutis. At verò si quisquam dispiciat quam constantes, aut tranquillæ sint hæ sedes, quas in vitæ commodis, & iucunditatibus, stultè defigimus, facilè intelliget eas tam firmas esse, quam folium, quod vento rapitur; tam quietas, quam Euxinus, aut Oceanus feruens: duraturas verò tamdiu, quamdiu hodiernæ

diernæ lucis, quamdiu instantis horæ, quamdiu momenti durabit morula. Verissime dicitur B.P. quantum ætatis singulis momentis conficimus, tantundem nostri confici à morte, nosq. ad moriendi finem verius, quam ad mortem viuendo contendere. Vsque adeò præceps agitur in lubrico mortalium vita. Verum agatur nobiscum optimè ac præclarè, sint longinqui nostri labores, sit vitæ ac rerum stabilis vsura (modo æuo, nec longissimo finias, sed annis paruis, & malis) quæso, tanti ne vmquam erit istorum possessio, vt expectationi respondeat? Sileo nunquam, aut rarò attingi votorum summa; nunquam omnino non restare quod optes, & quo carendo, & cupiditate ardendo, existas in media felicitate infelix. Sileo malorum grauem, ac perpetuum comitatum; morbos deliciarum intempestiuos contubernales; corporis imbecillitatem ingenij melioris sororem; odium, inuidiam, obtrectationem, principatus, & principum tam benè quam malè factorum importunissimos insectatores. Nec loquar laxioribus ædibus in auro & purpura vigiliam malè pernoctare; è laude aliquid semper inuidiam decerpere; gloriam locorum & temporis angustijs concludi; denique, si nihil aliud, omnes id genus illecebras, quò titillant dulcius, eò iactura, aut metu iacturæ acrius pungere. Longum enim hæc persequi, & manifestiora etiam me reuocant humanæ vanitatis indicia. Quid, obsecro, blandimentis mortalium tam attentè conquerendis promouemus? profectò epulas comparamus, quæ famem non expleant; potiones sequimur, quæ non modo non restinguant sitim, sed quarū gustatus suauis appareat antequam liceat degustes, cum verò degustes, ferè nullus sit. Quotus quisque est, cui fluxæ cuiusque rei sensum non adimat diu, multumq. affectata possessio? Ecquem isthæc fallaci flore non efferunt, ieiuna verò messe non deijciunt? vilescunt illa quidem præsentia, nec nisi tum, cum absunt, arrident; hoc est, vt semel dicam, tunc cum re oblectare non possunt, oblectāt. Quid moror? Diuinum est oraculum nobile: Comedistis, & non estis satiati; bibistis, & nō estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. Et potest par vecordia excogitari, vtinam hic finis, neque facultas esset maiorem adhuc, & perniciosiorem esse generis humani dementiā ostendere. Quid

ni?

ni? si ijs capimur bonis,quæ non modo frustrantur amatores suos,sed tanquã oleum flãmam,alunt,& augent cupiditatem? Si nunquam non oppugnant, non circumueniunt; si crebrò euertunt, & sollicitudinum sunt seminaria,æternæq. calamitatis instrumenta? An non quà diuitiarum esca mens pascitur, superbiæ vento tetro, ac lethali turgescit? qua delectationibus lactatur, venenum non haurit, corporis, animiq. neruos suauiter resoluens, ac præcidens? quà gloriolam captat, fumum non congerit, quo virtutis succus, & sanguis exarescit, splendorq. rationis caligat? qua demum cæca honorum cupidine abripitur, quis nescit permutare prodigam negociatricem, pretiosam tranquillitatem cum splendido curarum innumerabilium cruciatu? Non est igitur quod quisquam miretur B.P. quandoque cernit eos,qui pluribus ex his bonis temerè perfruuntur, adeò delicato sensu esse, vt,non secus ac solent qui crudo, & contumaci aliquo corporis tumore laborant, vel minimis quibusque maximè lædantur. Tumet animus perniciosis humoribus, & ea retangi sine dolore non potest. En qualia sunt quæ nos mortales perditè amamus. Quasi non nouerimus longè infra nos esse hæc omnia, aut quasi pabulum incomparabile aspectus Diuini paratum nobis non sit. Quasi fons aquæ viuentis vberrimus,vnde poti non sitiamus in æternum,nobis non scaturiat; atria cæli non rutilent; sedes æternæ gloriæ non vacent. O cæcitatem miserandam. O deplorandam amentiam. O Isaia, quam iustæ tuæ illæ querelæ: Semitæ eorum incuruatæ; telas araneas texuerunt; viam pacis nesciuerunt; non est iudicium in gressibus eorum. I nunc infelix homo, respice in vanitates, & in insanias falsas; indulge blanditijs sensuum;modo te ignem in sinu abscondere intelligas: antepone curæ sempiterni regni caduci sceptri adeptionem, dum tamen id agendo tuum intra pectus alas vulturem ambitionis, à quo miserè exedatur; hac re certè non inanis, quod ita te cruciando tuam vlciscceris inanitatem. Muta cum aceruis auri, & cum titulis honorum thesauros, & coronas cælestes; dummodo ad censoriæ illius omnipotentis censoris tubæ vocem horrendam: Stultè hac nocte repetent à te animam tuam, quæ parasti cuius erunt? Tanti sunt fugacium delectamenta bonorum. Tanti constant ementitæ voluptatis lenocinijs auscultare, domus verò Domini

bea-

beatiſſimum otium poſt habere. Vos appello, & obteſtor beatorum humanæ mentes, quæ mortalitatis deterſa caligine, ex iſta luce puriſſima nos deſpicitis, vt nunc re ipſa ſentitis quantum diſtent hæc vitrea veris iſtis margaritis; &, ratas iſthuc non aſcendere qui accepit in vano animam ſuam, vt miſeret, ſcio, noſtrarum occupationum, noſtræq. miſeriæ. Obſecro veſtram fidem, cælites, quando noſtris viribus redire non licet ad ſanitatem, & ſummus auctor ſalutis, quemadmodum benignè profitentem dudum audiuimus, multæ eſt miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia; conciliate nobis, quæ noſtri apud vos eſt charitas, opem eius diuinæ dexteræ, quæ non tantum manus, ne amplexentur; non tantum corda, ne expetant; ſed auertat etiam oculos, ne videant vanitatem; quin potius ad quod venimus in hanc vitam, id agamus, obliuiſcamur inania, noſmetipſos ſciamus abſque obliuione, & illud cum primis, inanem nos eſſe cinerem, & in cinerem breui reuerſuros; quo denique hodie, quotidieque horum memores, in veſtræ ſolidæ felicitatis, & gloriæ ſocietatem venire aliquando mereamur. Amen.

ORATIO III.



I diuina aliqua vis eſt, quæ frænos imponere voluptati, eamque errantem ac vagam, rectis limitibus includere: aut ſi quæ virtus incorruptam animi noſtri integritatem retinere poteſt B.P. hæc profectò pœnitentia eſt; per quã non modo enitimur & eluctamur aduerſus blandimenta corporis, ſed etiã labem vitæ prioris abolemus; vt calcatis terrenis omnibus, Deo Patri reconciliari poſſimus. Qui cum ſit indulgentiſſimus Dominus, & Diues in miſericordia, non aliter peccatores à priori ſcelerum inſania caſtigatos excipit, quàm ſolent parẽtes liberos ſuos, cum eos delictorum cernunt pœnitere, & correctos arbitrantur, abdicatos, abiectosq; rurſus tamen amplecti. Quòd Rom. 10. Ephes. 2.

Hier. 31. Hieremias, vt hanc Dei erga peccatores benignitatem indicaret, expressit his verbis: In fletu venient, & in precibus reducam eos, & adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea: quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est. Videtur certè Propheta sanctissimus in hoc loco, viam rectam fletum, siue pœnitentiam appellasse, per quam regno Dei appropinquamus; peccata verò cum aquarum torrentibus aptissimè contulisse. Qui cum à principio leniter effluant, ac vtcumque puri interlabantur, mox verò, quò longiùs progrediuntur, eò maiori feruntur impetu; & plus sordium colligunt: Sic peccata specie primùm voluptatis blandiuntur animis, tùm sese molliter nobis insinuant, donec tandem, intolerabili aqua, peccatores præcipites, ac transuersos agant.

Mar. 1. Luc. 10. Psal. 123.

Quibus planè illud idem subsidij genus reliquum est, quod nauigantibus solet esse propositum. Qui cum in altum vi ventorum subuehuntur, vix vt emergendi habeant facultatem, primum ad opem diuinam implorandam concurrunt, deinde tabulam nacti, in ea vitæ suæ perfugium situm esse intelligunt: eadem prorsus ratione, qui ex via virtutum abscesserit, aut libidinibus, tanquam intempestiuis ventis vela permiserit, veniam à Deo deprecari debet, & pœnitentiæ tanquam naufragùm tabulæ fortiter insistere; vt ex magna tempestate euadat, & in salutis portum, diuinæ misericordiæ aura inuehatur. Enimuero cum ne vllus quidem nostrum possit esse tam cautus ac prudens, qui aliquò non incurrat, ac labatur; idcirco Dominus nostræ imbecillitatis conscius, pro sua pietate, nobis aperuit portum salutis, vt infirmitatibus nostris, quibus fragilitas nostræ naturæ subiecta est, medicina pœnitentiæ subueniret. Quæ cùm consilij mentisque mutationem includat, atque etiam dolorem, siue vt ait Paulus Tristitiam quæ secundum Deum est, iure per eam homines à peccatorum insania reuocari debent, ne grauiori ruina oppressi, rursus in dæmonis laqueos inducantur.

2. Cor. 7.

S. Pacianus in parenesi ad pœnitentiam. Lactant. lib. 6.

Si enim muta animalia, quæ fraude capiuntur, si quo se modo in fugam extricauerint, fiunt postmodum cautiora, vitantque semper omnia, in quibus dolos insidiasque senserunt: quanto æquius erit nos homines à voluptatum illecebris animum auocare, vt iustissima pœnitentiæ castigatione expoliti, recta ad Deum euolare possimus? Nam quis nostrum,

ſtrum, niſi prorſus omnem humanitatem exuerit, ſi finem euadendi à periculis inueniat, denuò in eadem ſeſe inferet pericula? Aut quis miles emeritus poſt impetratam laborum ſuorum qnietem, campum, caſtra, ſtationes militares, excubias, duritiem operum, vim denique mortis extremam, otio & quieti anteponet? At nos miſerrimi in eadem relabimur mala, è quibus euaſimus, & denuò pœnitentia functi, quod in nobis per Dei gratiam extructum erat, iteratione delicti ſubuertimus.

Tertull. de pœnitentia.

Nullus tamen ob eam cauſam cadat animo, aut de ſeipſo deſperet; cùm Dominum clementiſſimum habeamus, qui nos ſcelerum conſcientia pauidos è medijs fluctibus efferet, qui noſtra delicta condonabit, qui per miniſtros reconciliationis ſuæ reducet in gratiam. Erat Deus in Chriſto, ait Paulus, mundum reconcilians ſibi, non reputans peccata illorum. Inſignem Domini lenitatem, ac manſuetudinem ſingularem expendamus. Per quam tantum abeſt, quod ſuæ vindicandæ iniuriæ cauſa, hominum conſuetudinem congreſſumque refugiat; quàm quod etiam legatos ſupplices mittat, qui pacem, à pacis ruptoribus poſtulent, amicitiam & reconciliationem, Dei nomine, qui offenſus eſt, impenſius exorent. Legatione, inquit Apoſtolus, pro eo fungimur tanquam Deo exortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Exorat Paulus, immo verò ipſemet Chriſtus, qui viuebat in Paulo. Adhortatur Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, vt referamus pedem, & redeamus in viam. Spiritus ſanctus à nobis poſtulat gemitibus inenarrabilibus, vt amicitiam cum Deo inire velimus.

2. Cor. 5.

2. Cor. 5.

Chryſoſtom. de Aſcenſione Domini, & Hom. 11. in cap. 5. 2. ad Cor.

Huic tamen reconciliationis muneri, quod omnibus Apoſtolis erat iniunctum, Romanam hanc & Apoſtolicam Sedem, quæ tibi B. P. in præſentia eſt diuinitus credita, egregiè ſatisfeciſſe, ſatis apertè illa funeſta tempora Nouati teſtantur. In quibus dum pœnitentia ab hæreticis fuiſſet diuexata, ſolus Cornelius Beatiſſimus Pontifex, qui ad clauum huius ſanctæ nauiculæ gubernator ſedebat, eam aſſeruit; illamque multis calumnijs irriſam, & impugnatam excepit. Ille enim diſciplinam diuinæ miſericordiæ pœnitentibus iniunxit. Idem, vt veteres memoriæ prodidere, Pœnitentiarios in hac ſancta Vrbe, & in toto orbe primus inſtituit, qui

S. Pacianus ep. 1. ad Sympronianum. Nicephorus lib. 8. cap. 20. Sozomen. lib. 7. cap. 16. Nicephorus lib. 12. cap. 28.

reis peccata condonarent. Idem per lacrymas impunitatem propofuit. Idem de habitu pœnitentium, & victu præfcripfit; facco & cineri incubare, corpus fordibus affligere, animum mœroribus deijcere, lacrymari, ingemifcere, presbyteris aduolui, aris Dei geniculari, fordidatos macie ieiunij, afperitate facci, & horrore cineris obuolui.

O nos fœlices, qui veterem illam Ecclefiæ faciem hodierna die viuam, ac fpirantem intuemur. O nos miferrimi, fi hoc tempus noftræ indulgentiæ indictum negligimus. Illuxit iam acceptabile tempus, in quo calcanda à nobis funt irritamenta gulæ, vitiorum illecebræ, turpis luxus, blādæ corporis voluptates, omnis denique morum lafciuia ieiunijs extinguenda. Illuxit tempus, in quo non eft in incertum currendum, aut verberandus eft aer; fed rebellatricis carnis incontinentia, corporis caftigatione elidenda. Quod vt faciliùs præftare poffemus, Chriftus legiflator, ac doctor formulam ieiunandi nobis præfcripfit his verbis: Cum ieiunatis, nolite fieri ficut hypocritæ triftes.

1. Cor. 9.

Matth. 6.

Tertull. de cultu fœminarũ.

Hypocrifis de Diaboli difciplina defcendit. Ille enim primus luminis & claritatis hoftis, cum fpiritum hominis malitia transfiguraffet, corpus quoque mutare monftrauit. Ille faciem fictam geftare, mentiri effigiem, humanam laudem aucupari inani oftentatione palloris, lineamenta oris inuertere, aliud denique claufum in pectore, aliud promptum in lingua habere docuit. Erubefcat Chriftianus, ab aduerfario Domini artes fallendi petere, cum ab hofte Imperatoris noftri arma mutuari tranfgreffio fit. Chriftus verò in hoc Euangelio, vbi ieiunij forma præfcribitur, maxime hypocritas deteftatus eft: quia cum veri iudicium tollant, & virtutem adulterent, vitam mollem ac voluptuariam agunt; immo verò fi femel lapfi fuerint, vix fuam culpā agnofcent, aut deprecabuntur veniam, cū fictæ pietatis ftudio intumefcant.

Iob 36.

Procul igitur fit profana fimulatio, procul hypocrifis, folamque mentis alacritatem, fimplicitatem cordis, gloriofi huius temporis focias & comites aduocemus. Quibus virtutibus fi noftra ieiunia condiantur, haud dubium profectò erit, quin in cœleftem illam patriam euehi, & inter legiones Angelorum inferri poffimus. Vbi efui potuique locus non erit, vbi officia ifta membrorum, quæ nunc ieiunij caftigatione fubiguntur, omnino vacabunt: dicente Paulo: Efca ventri,

1. Cor. 6.

ventri, & venter escis, Deus autem & hunc, & has destruet. Quamobrem contendendum est ex animo, vt illud quod in æternitate futurum est, hodierna die ieiunijs inchoemus; illiusque vitæ formam & lineamēta deducamus in animo, vim etiam ori & stomacho inferamus, vt super cælesti illo regno potiri possimus: Quod non est esca & potus; sed iustitia, pax, quies, tranquillitas, gaudium in Spiritu sancto. Amen. Rom. 14

ORATIO IV.



SINGVLARIS insaniæ, cui vana & inconstans multitudo proximis sese diebus dederat, finem hic hodiernus attulit P. B. idemque initium anteactæ vitę pristino populi Christiani more pœnitēdi mirabile id quidem dictu est, omnibus tamen sæpe auditum homines hesterno die instar furiosorum per vrbem turpiter debacchatos hodie repente resipiscere, ac sui dissimiles effectos ad meliora redire viuendi instituta, sed habent hoc propriū ea, quæ libidine non ratione geruntur, vt initio delectent, mox pariant satietatem atque fastidium, vbi verò desierint ruborem & verecumdiam post se relinquant, quam quidem vitæ ad virtutem conformandæ occasionem percommodè sibi oblatam sancta mater Ecclesia sollicita de filiorum salute impigrè quot annis arripit, & stimulum illum conscientia malefactorum animum concitantem acuit, atque vrget, cum vniuersale omnibus ieiunium indicit, cum sacro nos cinere conspergit, cum in cinerem admonet aliquando redituros, cum Iohelem Dei præconem inducit auribus nostris magnificè intonantem: Canite tuba in Sion, sanctificate ieiuniū, & conuertimini ad dominum Deum vestrum. Et quidem inter cætera legis antiquæ sacramenta ad corporum, animorumque munditiam diuinitus instituta, illud in communem totius populi expiationem solemne extitit, quo duobus hircis ab vniuersa multitudine acceptis alter quidem immolaba-

tur, eiusque sanguine per sanctuarium diffuso, quod reliquũ erat in peccati detestationem extra castra comburebatur, alter vero statuebatur coram Domino, cuius capiti sacerdos manibus impositis omnia scelera filiorum Israel prauia confessione, inprecaretur, eumque foras emitteret in desertum, quasi noxas populi ab omni memoria delendans in solitudinem asportaturum. tũ iubebantur Hebræi inedia semetipsos affigere, quemadmodum & nos qui salutari Ecclesiæ gremio fouemur, his potissimum temporibus recogitamus omnes annos in amaritudine animæ nostrę, instituimus integram peccatorum confessionem, denique abstinentiæ, & Christianæ pietatis officijs incumbimus, efficimurque participes passionis Christi Domini, graui nos peccatorum pondere in eũ exonerantes, qui cum per proprium sanguinem, non hircorum aut vitulorum, introisset semel in sancta, integra, & illæsa diuinitate extra Hierusalem passus, hominum offensionibus perpetuum silentium imposuit. rectè vero in scelerũ expiatione mactabatur hircus animal olens, atque foetidum; quid enim peccato putidius queat inueniri, quod intolerabili fœditate odoris teterrimi cœlum transcendens, Deo ipsi quasi stomacum mouet, eumque lacessit ad iniurias vlciscendas, qui eas mallet voluntaria obliuione contritas, quã peccatoris morte vindicatas? Cibi graues difficile digerunt, perturbant aluum, & ventris pariunt cruditatem; quare natura sui cõseruandi cupida sæpe id foras eijcit, quod sibi inutile sentit & perniciosum. Sed quid peccato magis ponderosum, quod ad imas terræ partes hominem deprimit, & in profundum adducit? quo cum Dauid premeretur, clamabat infixum se in limo profundi, & iniquitates super caput suum sicut onus graue grauatas; & Manasses in vinculis apud Babylonem, culpa magis quàm catenis oppressus, lamentabatur tanto se pondere ferri incuruatum, vt amplius spiritum ducere, & communi cælo frui nequiret: vt merito existimare possim talento illo plumbeo, quod Zacharię ostensum est, peccati potius grauitatem, quam aliud quidpiam significari. Verum quid in re diutius moror luce ista meridiana clariori? nõne id satis apertè Ionas ille profugus declarauit, qui nauim in qua vehebatur adeo premebat, vt mergeretur, nec mercibus, armamentis, omni demum suppellectili in mare proiectis, ab imminenti adhuc procella liberaretur?

retur? interea ille descenderat ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui. O rem indignā & intolerandā. O stultitiā hominum singularem, ponderibus quę corpori imponuntur cito defatigati succumbimus, & sub onere vel exiguo quietē non capimus, tamen onusti graui mole flagitiorum quasi in mollissima culcitra locati vacui cubamus, & otio desidiaque languescimus. Sed Ionas tandem surgit diuina voce experrectus, & vltro fatetur crimen quippe nouerat sine confessione culpam in hirci caput minime transituram, neque solum scelera nobis dolenda esse, verum etiam confitenda; id pręsertim natura dictante, vt incommoda cum amicis communicemus, & vbi nobis ipsi non sufficimus, maiores consulamus, exemplo sunt peritiores medici qui morbum intimum curatu difficilem ad externam cutem deducunt, & sanabilem reddunt, ita & nobis peccata omnia euomenda sunt & ad sacerdotis pedes proferenda, vt mali natura percepta, & diligenti curatione adhibita simus de sanitate securiores. qua in re non possum eos non appellare fatuos & excordes, qui grauedine aliqua tantisper vexati ad potiones de valetudine anxij confugiunt, at graue vulnus à culpa inflictum diutissimè occultant, & quasi leue contemnunt; nec intelligunt magis periculosos animi morbos esse, quā corporis, cū huius ægritudinem ratio sana percipiat, mens autem infirma atque saucia proprium morbum nec aduertere possit, nec amouere. Quapropter non esse curandum corpus ante animum vetus fuit Magorum sententia, & quidam ex Philosophis nihil duxit peccatori magis necessarium, quàm confiteri peccata, affici pœnitentia, pœnas à iudice postulare. Cæterum quid prodest ęgroto febrim eiusque causas medico aperire, ni medicinam sumat ad vitandum recidiuum ab eo confectam & paratam? idoneum peccato medicamentum & quasi antidotum ieiunium est, hoc dominus noster suomet exemplo docuit, hoc Iudęi multo ante nobis propinarunt; ad hoc Prophetæ inuitant, hoc demum natura petit, quæ in continua lucta cum nimio cibo versari, opprimi, & obstupefieri pastu immoderato, sibi nequaquā ducit expedire. Sed cuipiam forte res ardua, atque difficilis ieiuniū videatur ob immanem voracissimi ventris huius edacitatem, qui omni quantumuis auaro Quæstore crudelior, nullas nobis ad quietem concedit inducias, sed morbi graues cuiusmodi peccatum.

Plato in Gorgia.

tum est, medicamento indigent acerrimo, quod discurrat per totum corpus, & morbi radices persequatur, atque conuellat. non est, non est medicina quęrenda nimia suauitate condita, sed vehemens, & aspera; non acceps aut periculosa, sed certa & secura, non paulo ante ad medendum recepta, sed multis antea experimentis comprobata. Ieiunium tale est, non recenti memoria institutum, sed antiquum, sed naturæ coeuum, sed natum cum ipso homine. nam & primum parentem ligno scientię abstinere iussum, & nullam in primæuo statu vini, carnium, ceterarumve epularum factam mentionem reperimus. Quin etiam vini vsum post diluuium legimus inoleuisse, desperata scilicet hominis perfectione; primumqne omninm Noè plantasse vitem, ac vini roboris ignarum quasi in pœnam inebriatum, obscenè ac turpiter a filijs visum fuisse. Quid ergo aliud ieiunium erit, quã vitæ illius sanctissimę imago, quæ sine labe, atque macula in terrestri paradiso degebatur? quid nisi exemplar fœlicissimi status angelorum, qui totus in altissimarum rerum contemplatione positus est, atque defixus? quandoquidem ieiunio ab ista mortali concretione eleuati ad diuina erigimur, sicut Daniel abstinentia ciborum, quam ab ineunte ætate sãctissimè coluerat perspicacior factus ea vidit, quæ omnem sensum, omnemque intelligentiam superabant, vt enim Sol per ea tantum corpora diffunditur, quę perspicua sunt, ita diuinis fulgor ijs potissimum illabitur qui a terrenorum affectu maximè seiunguntur? Et qua nam arte Daniel voracissimos Leones longa fame enectos rabidosque adhuc diutius ieiunare docuit & coegit? quid eius membra quasi ferrea reddiderat, quibus immanissimæ bellug dentes vngulæque infigi nequirent? vnde illa tanta vis tribus pueris impertita, vt in ignem coniecti quasi Amiantus lapis non modo flammas incolumes euaderent, sed ijs mirificè recreati nitidiores omnibus apparerent? Ecquid Eliam adeo reddidit audacem vt mortalis natus cœlo imperaret, & aquas à Iudeæ campis triennio prohiberet? Viuit Dominis in cuius conspectu sto, inquit ille, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta verba oris mei tantum illi animi ieiunium fecerat, tantum spiritus addiderat? quid porrò Sampson vir ille strenuus atque fortissimus? nonne a Ieiunio in quo conceptus est & educatus robur illud immensum nactus fuerat, quo Phili-

sthæos

sthæos domuit, atque subegit? ita enim ab Angelo matri præceptum inuenimus, Caue ne bibas vinum & siceram, nec immundum quid comedas, quia concipies, & paries filium, qui incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum. O diuina vis ieiunij, quid non potes in vita hominis, quid non præstas, quid non perficis? tu domas feras, tu vim affers elementis, tu cælum claudis, tu naturæ imperas, tu homines fortes reddis, & inuictos. Quid plura? ipsos dæmones, & eos qui nequissimi sunt, Christo auctore, cogis, & deturbas. Multa mihi necessario prætermittenda sunt P. B. quæ in hoc genere dici possent & deberent, versaremur enim in campo vberrimo atque latissimo, in quo late excurrere, & exsultare possit oratio; sed apes imitandæ, quæ flores carpunt, cætera relinquunt, ita nobis ea tantum his temporis angustijs persequenda, quæ illustriora sunt, & ad propositi rationem magis accommodata. Verum quid maius ad ieiunij commendationem afferri potest, quàm quòd Christus Dominus in humanæ condicionis fragilitate cum dæmone certaturus, quadragenarium prius ieiunium iniuit? Scutum certè ieiunium est ad hostis hominum conatus repellendos aptissimũ, quod cum Imperator noster gestauerit, ad pugnam, à nobis qui sub ipso meremus sine proditionis crimine abijci non poterit. Hoc nobis clypeo, his armis opus est; ieiunio, inquam, parsimonia, abstinentia, non pinguedine, non non valetudine, non robore corporis. Neque enim est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. O Patres Amplissimi currimus in stadio, vestes igitur abijciendæ, vt velocius curramus. Animo è corpore emergente festinamus in cælum, caro igitur quæ nos aggrauat & retardat inedia castiganda. In hoc mundo peregrini & aduenæ sumus, ergo quasi in aliena terra degentes modico victu cõtenti simus, & reditum in patriam ad lautè viuendum expectemus. Versamur in castris, militia enim est vita hominis super terram; parce igitur agendum, quandoquidem à milite forti mollitia omnis exulare debet. Pugnam inter corpus, animumque fouemus perpetuam, caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem; stipendium itaque corpori minuendum; quantum enim externus

homo corrumpitur, tantum internus homo renouatur. Nauigamus in mari procelloso, & ventis atque scopulis maximè infesto, quid securius quam onere isto corporis quam grauissimo animum leuare? facilius namque est nauem vacuam seruare, quæ tollitur in altum, superat fluctus, vitat scopulos, quàm grauem, quàm oneratam, quàm mercibus plenam. Vita in corpore ergastulum est animi; caueamus, ne dum inediam extimescimus, maiorem ac certiorem nobis carcerem exædificemus. Denique excidimus à paradiso, quia non ieiunauimus; ieiunemus ergo, vt vnde gula nos expulit, eò parsimoniæ beneficio reducamur. Abstineant manus à sanguine, aures ab inuidorum detractionibus, oculi à curiosa alienorum inuestigatione, lingua à maledictis, mens ab immundis cogitationibus, totus homo, & qui intus est, & qui extra ieiunent. Demum abnegantes impietatem, & sæcularia desideria sobriè, & piè, & iustè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ, illud certum habentes eos qui hic ieiunauerint, aliquando ab vbertate domus Dei inebriandos fore, ac torrente voluptatum omnium plenè, cumulatèque satiandos.

ORATIO V.



ASCHALE sacramentum ceteris religionis nostræ mysterijs lõge sublimius condigna veneratione suscepturos, Beatissime Pater, totius quidem temporis solemnia, sed præsentes maxime dies purificandis animis, atque corporibus instituti, præueniunt: vt anteactæ vitæ desidias sancti obseruatione ieiunij diluamus, & contra vniuersa vitiorum incentiua, continentiæ nos virtute roboremus. Omnia quippe laqueis, omnia sunt plena periculis: incitant cupiditates, insidiantur illecebræ: blandiuntur lucra, damna deterrent; secunda corrumpunt; aduersa nocent: diuitiæ eleuant, paupertatis angustiæ deprimunt;

sanitas

sanitas est materia negligentiæ, ægritudo causa tristitiæ: & affectus, qui sub delectatione languescit, sub anxia solicitudine laborat. Quis ergo quamdiu in mundo, qui totus in maligno positus est detinetur, in isto mortis corpore constitutus, inter inuisibiles hostes, frequentesque conflictus, aut immunis à tentatione, aut liber inuenitur à culpa? Quis picem tangit, & non inquinatur ab ea? Quis non infirmatur in carne? Quis non sordescit in puluere? Et, vt cum Propheta dicam: Quis gloriabitur rectum se habere cor, aut mundum se esse à peccato? Quāuis enim Sancti Dei quotidianam de antiquo serpente victoriam diuinæ gratiæ viribus obtineant; nunquā tamen auferunt dimicandi materiam, sed ne confecto prælio, parta securitate superbiant, semper oportet superesse quod vincant. Quapropter angusta & ardua vita, quæ ducit ad vitam, corporeis sensibus abscondita, dicente Apostolo: Quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna, raris paucorum intrantium vestigijs illustratur. Et nemo in eam gressum inferret, nemo pedem promoueret, nisi difficiles aditus ipse se Christus viam efficiendo reseraret: vt auctor itineris fiat ambulantis auxilium, & qui introducit ad laborem, idem ipse perducat ad requiem. Quis ergo certa, atque secura promissæ gaudia beatitudinis expectat, qui, dum caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem concupiscit, continentiæ clauis, ac Dei timore non transfigitur? Quis ad gloriæ lauream non nisi legitimè certantibus reddendam properat, qui vna cum reliquis Apostolicæ doctrinæ præceptis huius temporis diuinitus instituta ieiunia non complectitur? Etenim si per illecebram cibi irrepsit prima causa peccati, si vniuersale diluuium ventris incontinentia commeruit, si vitium edacitatis fulmina in Sodomam coniecit, si nimia edendi satietas aciem mentis obtundit, vigorem cordis hebetat, virtutes fugat, suppeditat voluptates: non immerito sapientissimus humanæ salutis auctor, nostrarum ægritudinum radicem funditus excisurus, necessariam nobis continentiam non solum verbis docuit, sed proprio etiam exemplo consecrauit. Qui Euangelicam prædicationem, sicut olim Moses tabularum legem, Elias quoque prophetiam quadraginta dierum ieiunio dedicauit, vt, quod idem legis ac prophetiæ supremus institutor per vtriusque ministros nobis com-

[Margin notes: 1. Ioan. 5. — Rom. 7. — Psal. 31. — Matth. 7. — 2. Cor. 4. — Ioan. 14. — ad Gal. 5. — Psal. 118. — 2. Tim. [illegible] — Gen. 3. — Gen. 6. — Gen. 19. — Exod. 24. — 3 Reg. 19.]

Matt. 4. mendarat, hoc in Euangelio firmissima per seipsum consuetudine sanciret. O inaccessibilẽ diuinæ pietatis altitudinem!
Psal. 135. O Christianæ gentis erubescendam segnitiem! Qui dat escam omni carni, vt nobis medeatur, famis experitur incommoda: nos, vt saluti restituamur, leui corpus inedia afficere pertimescimus? Esuriente capite, nos membra refici nur, qui gloriæ volumus ipsius esse consortes? At qui falsæ professionis imagine vtimur, si cuius nomen ac patrocinium veneramur, imitari negligimus instituta: cum Dominus
Matt. 10. idem dicat: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Nullo vero salubriore crucis onere compescitur redempta libertas, quàm, vt nouerit abstinere a concessis, vt illicita, à quibus se frænare nesciuit condonentur: & ieiunio breui ieiunia redimantur æterna, vbi nullus cibus, consolatio nulla, nullus est vnquam terminus.
Gen. 25. Caueamus igitur, ne instar Esau sempiternæ ius primogenituræ terrestri edulio permutemus, atque de vitæ delicijs
Luc. 16. cum diuite illo epulone accusati, flammis tradamur.
Iona 3. Quin potius Niniuitas imitati diuinæ iustitiæ cõmotionem, quam merito iniquitatis incidimus, religioso ieiunio mitigare conemur. Quid enim potest efficacius esse ieiunio? Cuius obseruantia sanitati consulimus, vitia deuincimus, Deo appropinquamus. De abstinentia castæ cogitationes, rationabiles voluntates; salubria consilia prodeunt. Et pro voluntarias afflictiones caro concupiscentijs moritur, virtutibus spiritus innouatur, tentator eliditur, culpa deletur, charitatis lumen accenditur. Terra carnis nostræ, gratia Dei superinfluente ieiuniorum culturis exercetur, vt, enecato omni vitiorum semine, læta virtutum seges conualescat, & non amplius spinas ac tribulos, sed generosi germinis fructum
Isa. 58. cælestibus horreis inferendum producat: si tamen non in ciborum parcitate, aut sterili tantum inedia nostri summa ieiunij constituatur. Quid enim prodest suscipere esuriem, & iniquam non deponere voluntatem? Præciso affligi cibo, & à concepto non desilire peccato? Aut quo fructu corpori esca subtrahitur, nisi spiritalibus mens delitijs roboretur? Sic igitur nobis edendi est corrigenda libertas, vt etiam alias affectiones eadem lege mederemur: atque adeo ab inuidiæ malignitate, à luxuriæ dissolutione, ab anxietate auaritiæ, à perturbatione iracundiæ: à cupiditate vindictæ

ieiunemus: oculos à curiosis aspectibus, aures à fabulis, à detractione linguam, manus ab immundis operibus, à prauis animum desiderijs abstineamus: & iuxta præceptum Apostoli: Ab omni nos inquinamento carnis; & spiritus emundemus: mansuetudinis & patientiæ, pacis & tranquillitatis ornamento muniti donare culpas, despicere contumelias, & obliuisci assuescamus iniurias. Nam cum ad hoc sancta ista consuetudo dirigatur, vt carnalis petulantiæ fomites euellantur: nullum magis sectandum est continentiæ genus, quàm vt simus ab iniusta voluntate sobrij, & ab inhonesta actione ieiuni. Nec dissimilem ieiunandi formam nobis hodie præscribens Dominus ac Redemptor noster: Cum ieiunatis, inquit, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, qui simulata vultus tristitia, & affectato corpora squalore deformantes, falsæ abstinentiæ rigorem ostentant, vt religiosi præ ceteris appareant, & inde laudes ab hominibus recipiant: & cum in vestimentis ouium sint astu vulpes, crudelitate lupi, conscientiæ veritate posthabita, mendacij opinione lætantur. Væ autem illis, qui cum faciem cordis à malitia non lauerint, neque cælestis oleo lætitiæ caput mētis inunxerint, esuriunt, ac sitiunt, sed non saturabuntur; anxiæ laborant, sed non regnabunt: de mūdi torrēte in via bibunt, sed nō exaltabūt caput in Patria. Mens igitur documentis diuinis erudita, dum repugnantes spiritui carnales affectus voluntarijs nititur castigationibus edomare, omni circūspectione præcaueat, ne vlla eā macula impietatis offuscet, aut duplicis cordis ruga dedecoret. Sed inflatione iactātiæ procul pulsa, de industriæ suæ bonis in Domino tantum glorietur, sitque de illorum numero, de quibus ait Propheta: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es. Qualem continētiæ modū his præcipue diebus oportet ab vniuerso fideliū numero studiosissime celebrari, vt templū Dei, cui fundamētū est ipse fundator, in omnibus lapidibus speciosū, & in tota sui parte lucidū; & quibus est sub inuicti Regis Imperio cōtra nequitiæ spiritalis insidias cō mune bellū, fit consociato robore dimicātibus vna victoria. Quandoquidē tutius, feliciusque plures cū hoste confligunt, quàm singuli: nec facile patet vulneri, quem opposito scuto fidei non sua tantum, sed aliorum quoque fortitudo defendit. Neque huius conflictum cer-

2. Cor. 7.

Matth. 6.

Matth. 7.

Matth. 6.

Psal. 88.

1. Cor. 3.

ad Eph. 6.

certaminis effugiunt, quicumque virium infirmitate prædi-
cti nulla corporalis ieiunij lege tenentur, si tamen inediæ la-
borem impendijs facultatẽ redimant. Cuiusmodi misericor-
diæ fructus sibi comparare non minus debent, quotquot ab
2.Cor. 9. epularũ delectatione se cõtinent, vt qui abundantius semina-
uerint, copiosius metant. Siquidem agricolæ suo nunquam
seges ista mentitur, quam non æstus vrit, non torrens trahit,
non grando prosternit, non vsus minuit, non mutatio vio-
Matth.6. lat. De qua nihil fur arripit, nihil tinea corrumpit, nihil ru-
bigo consumit. Integræ semper manent pietatis expensæ,
modo augentur, qualitate mutantur. De paruis maximæ gi-
Matt. 25. gnuntur, dum mystica talenta liberaliter erogata laudabili
apud Patrem familias incremento multiplicia redduntur. De
perituris efficiuntur æternæ; dum pauperibus elargitæ di-
uitiæ per eorumdem manus in thesauros cælestes deportan-
tur. Quisquis igitur opes amat, quisquis multiplicari, quæ
possidet, concupiscit, in hæc lucra accendatur, in hæc rerum
suarum augmenta suspiret. Nec de fœnore dubitet, nec de
Matt. 25. receptione diffidat, cui Christus debitor est, qui dicit: Quod
vni horum fecistis, mihi fecistis. Studeat refectioni paupe-
rum, viduarum defensioni, pupillorum vtilitati, lugentium
cõsolationi, dissidentium paci. Suscipiat peregrinũ, adiuuet
oppressum, vestiat nudum, foueat ægrotum. Vt ea, quæ sur-
Matth. 6. sum sunt, sapiens, non quæ super terram, ibi curam cordis
obstringat, vbi inãmissibiles facultates recondit: nẽpe in illo
2.Pet.1. per quem maxima & pretiosa nobis promissa donantur, qui
Matt. 19. etiam casta, & pura ieiunia, benignis in pauperes fecunda
muneribus centuplo nunquam perituræ gloriæ fructu cum
Patre, & sancto Spiritu remunerat.



DOMI-

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMAE.



ORATIO PRIMA.



PECTACVLVM hoc pulcherrimum, & auguſtiſſimum B. P. conſeſſu non modo iſto, quo nullum habet terrarum orbis illuſtrius, ſed vel ipſo cæli theatro digniſſimo, duarũ videlicet, vna in Chriſti perſona naturarum, humanæ, & diuinæ, quod nobis hodie ſpectandum proponitur, quis ſatis vnquam pro dignitate referat? Eſt profecto ingenij ſpecimen quodam ante pedes poſita tranſilire, & cogitationem à rebus quotidianis reuocare, attamen Spiritus ſancti monitum, quo altiora nobis quærere prohibemur dum occurrit, mortalem mortalia, non immortalia, diuina multo minus ſcrutari debere, prope forſan eſt vt aliquis exiſtimet. At quando homo corpore terrenus, mortalis, caducus, animo cæleſtis, diuinus, immortalis eſt, ab his vſitatis, notiſque naturis ſe non raro meritiſſimo abducit, & in Dei Opt. Max. ardua illa quidem, ſed tamen iocundiſſima contemplatione ſe totum ponit. Noſtram & nos operam, ac quantulamcumque induſtriam breui hac oratione eo conferamus, Chriſtum vt Deum, & hominem in hodierno Euangelio tanquã in ſpeculo lucidiſſimo noſtris oculis ſubiectum intueamur, vt quæ Dei conſiderantibus, eius immenſa cernatur maieſtas, quæ hominis, noſtra deploranda calamitas, & Deum inde

venerari, nos ipsos hinc negligere discamus, quarum vtraque rerum nihil gratius, nihilue vtilius posse homini euenire crediderim.

Ambros. Præclarè S. Ambrosius Christianum quando fortem, quando imbecillum animo colligens. Hominem alloquutus: Propter te, inquit, infirmitas, in se potentia; propter te inopia, in se opulentia. Quicquid certè firmum in homine insit, id omne à Christo, quasi lucem à Sole Luna mutuatus est; quicquid contra, in Christo infirmum, id totum quasi Sol eclypsim passum, ab homine accepit. Ita dum ipsum cernis hodie quadraginta totos dies, ac noctes nullo prorsus cibo vsū, quæ sua sunt agnosce, dum postea esurientem audis, quæ tua; dum ter à diabolo tentatum, quæ hominis cogita, dum ei Angelos ministrantes, quæ Dei contemplare. Quis enim esuriat, nisi homo? Quis mortali corpore vtens, dierum, & noctium quod diximus spatium ab omni cibo abstineat, nisi Deus? Quis variè tentetur, nisi homo? Cur Angeli ministrent, nisi Deo? Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ecce Deum; postea esurijt, ecce hominem; Dei, Vt lapides isti panes fiant, Mitte te deorsum, Hæc omnia tibi dabo, humanam agnosce naturam, Angeli accesserunt, & ministrabant ei, venerare diuinam.

Matth. 4.

Altissimo hoc geminæ in Dei Filio naturæ pro homine reparando, mysterium ita semper dæmonem latuit, nunquam vt perspicuè fuerit assecutus; suspiciones licet plerumque eum tenuerint vehementissimæ? Quamobrem à tempore quo Virginis in aluum descendit, ad horam vsque, qua in Crucem conscendit, magnoq. Parenti spiritum reddidit, huc, & illuc animo fluctuans diabolus, nunc humanitatis, nunc diuinitatis clarissima in eo notans argumenta, certus omnino nunquam, dubius perpetuo mansit. Vbi itaque illum nascentem, ab Angelis concelebratum, humili in præsepe constitutum; vbi mox natum, angusto in tugurio positum, donis amplissimis à Magis stella duce nobilitatum. Vbi infantem hostia pro eo exhibita in templo oblatum, dignissimis illis beatissimi senis vocibus decantatum; vbi puerum sapienter adeo disputantem, vt omnes in admirationem induceret, Mariæ deinde, & Ioseph subiectum; Vbi hominem à Ioanne baptizatum, columbæ specie, cælestiq. oraculo illustratum spectauit, animaduertit, obseruauit. Hodie tandem furens canis

Luca 2. Matth. 2. Luca 2. Matth. 3.

canis tot vestigia quam sagacissimè odoratur, qui rabiem diu conceptam longius continere non posset, eius diuinitatem pro viribus deploraturus, à Dei actu maximè proprio exorsus, eum temerè inuadens, ait: Si Filius Dei es, si inquam ille es, qui temporis principio dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt, dic modo, vt lapides isti panes fiant. Si omnia cum non essent, vt essent, vocis vnius imperio effecisti, quæ iam sunt, minori negotio in aliud commutabis.

Diuturnam adeo Christi abstinentiam dæmon notauerat, notauerat famem subsecutam, Deum inde, hominem hinc diuinabat; at qui Deum potius, quod tot dies non esurierit, quam hominem quod deinceps esurierit intelligere debuisset. Quemadmodũ enim fortis athleta quæ infirmi sunt, præstare potest, infirmus quæ fortis athleta præstare nõ potest, ita hominis propria valet efficere Deus, propria Dei nequit attingere homo. Verũtamẽ animo perturbatus, immo deprauaust, hæc lance nõ æqua metitus, qui ex Christi responso nihil obtinuerat, eũ denuo aggreditur: Si filius Dei es, mitte te deorsum: scriptũ est enim, quia Angelis suis mãdauit de te, & in manibus tollẽt te, ne forte offendas ad lapidẽ pedem tuũ. *Psal. 90.* Quibus sanè verbis nihil vnquã à Dei Filio magis abhorrens dici potuisset: Qui enim sedet super Cherubim, & in altis habitat, se deorsum præcipitẽ dabit? *Psal. 79.* Qui portat omnia verbo virtutis suæ, Angelis à quibus portetur indigeat? *Heb. 1.* Cuius pedes alæ Seraphim velant, lapis, vel aliud quidpiã offendat? Rursus itaque Christi verbis delusus, rubore qui suffundi debuisset, cuius tamen superbia ascendat semper, eum tertio adoritur, omnibusque mundi regnis, & eorum gloria ob oculos posita: Hæc, inquit, omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me; vt nimirum id si Christi præstet etiam non Deum inspiciat, si se dicat piè, sanctèque colendum, Deum conijciat, atque ita demum tantum sibi suspicionem excutiat.

At quoniam Augustino doctissimorum non minus sanctissimo, quam sanctissimorum doctissimo auctore tantum Christus dæmoni innotuit, quantum voluit, tantumque voluit, quantum oportuit, cum nulla euidentiori opus esset declaratione, diuinitatis solem sub responsorum nube, ita primo, ita secundo, ita tertio ipsi occultauit, vt non magis Deum, quam hominem, vel hominem quam Deum illum deprehendere potuerit. *Aug. ff.*

Cum autem coniectura, quæ in varias partes duci potest, nonnunquam etiam in contrarias sit nihil incertius, omnia frustra expertus diabolus, fractus animo, fractus viribus, lubricus omnino, ancipitique cogitatione distractus, quæ ipsum nunquam non agitet, vexet, conficiat, à Christo recedit. Quo sane recedente, accedunt Angeli Domino suo ministraturi. Accedunt, vt rem grandem, rem supra naturæ legis, inauditam, ac pene incredibilem intueantur; carnem videlicet, quæ dæmonis conatus, audaciam, machinationes eluserit, compresserit, dissipauerit, quæ totius inferni artes, vires, molitiones deuicerit, quæ postremo deserto illum in loco profligauerit, quem cuncta in cælo Angelorum agmina vix superare potuerant.

Iam vero, qui Dei in Christo Deo excellentiam ex ijs quæ attigimus audistis, hominis nunc ærumnas in Christo homine tentato breuissimè attendite. Miserandam profectò (B.P.) hominis conditionem. Taceo quod nullam habeat ætatis partem, quæ molestijs vacat, sed mille periculis expositus, curis infinitis, & solicitudinibus ita tenetur, nunquam vt quiescat, & motibus animi rationi plerumque non obtemperantibus persæpe agitatus, odit, amat, cupit, timet, dolet, lætatur, sperat, diffidit, amplectitur, refugit. Taceo quam multa apud Patres veteres, scriptoresque sacros sit passim legere, quæ summam eius miseriam indicant, præcipuè autem à viro illo patientissimo lutum, vmbram, ventum, florem qui conteratur, folium quod ventus rapiat, ad laborem denique natum dictum non ignoremus.

Calamitates multo grauiores hominem premunt: vt enim
Luc. 4. scribit Lucas, omnem in Christum à diabolo tentationem hodie consumatam; ita omne tentationis genus dæmon ipse, caro, mundus in hominem exercent, complentque (iam enim quæ sunt in Christo infirma, hominis quam sibi ipse naturam sociauit respicere diximus) & in ipsum non secus, atque in arcem magno impetu irruunt; tentationibus mediocribus quasi motibus quibusdam pulsant, quas dum longius continuant, quasi obsidione cingunt, maiores verò aggressi, quasi tormentis bellicis quatiunt. Vias illas à sede animi ad oculos, ad aures, ad sensus alios perforatas, artis huius fenestras, vel foramina callidè obseruant, quibus ea ad hominem traijciant, quæ ipsum moueant, debilitent, frangant. O belli

huius

huius vel cogitationem ipsam acerbam, ac luctuosam, Tot carnis illecebræ allectant, tot mundi oblectamenta circumueniunt, tot dæmonis artes, viresque occupant, vt miser homo vix occurrat singulis, vix resistat. Ambitione prostrata, concitatur libido, libidine extincta, vexat auaritia, auaritia domita, superbia inflat, ira exardescit, consumit inuidia, allicit gula, placet desidia. Quam rectè dixit Iob, militiam vitam esse hominis super terram. Vbicumque sit homo, quo se vertat, quacumque flectat, iugum sibi graue à die natiuitatis suæ impositum videt. Quid enim? Vitam cum alijs communem, & socialem degat? At omne quod est in mundo, concupiscentiam esse carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, scripsit discipulus ille, quem diligebat Iesus. Solitudinem fortasse petat? At in solitudine Christus hodie cum dæmone luctatur. Ad sancta loca se forte recipiat? In sanctam Ciuitatem ducit Christum dæmon tentaturus. Sacras forsan ædes, & templa adeat? Super templi pinnaculum eundem dæmonem eidem Christo infensum legimus. Quod si viridi in ligno hæc moliatur diabolus, in arido quid facturum putemus. Iob 7. 1. Ioan. 2.

At quando Christum lignum viride eo nomine B. Gregorius dixerit, quod diuinitatem humanitatis cortice obduxerit: Nos qui naturam hanc fame, & tentationibus, illam vero abstinentia diuturna, Angelorumq. famulatu in eo iam inspexerimus, votis omnibus ab ipso petamus, ne in calamitosissimo hoc bello decertantes, tentationibus vinci permittat, dignosq. efficiat, vt sublime hoc Dei, & hominis in ipso mysterium, quod dæmonem semper dubium, & vsque eo sollicitum habuit, hodie vt illum ter aggressus, id frustra explorare contendit, dies totos, ac noctes cogitemus, veneremur, colamus, quo infinitam eius maiestatem, & conditionem nostram miserabilem agnoscentes, nobis ipsis despectis, ieiuni placere studeamus. B. Gregor.



ORATIO II.



VMANI animi insignem libertatem, quam toto conatu denigrare, explodere, ac in miseram seruitutem, carnisque vertere licentiam, Catholicæ veritatis hostes nituntur, ab ipsorum ereptam faucibus, præclaris hodie laudum encomijs efferre, ac quo studio, quibus præsidijs ab aduersantium incursibus tutam reddere possimus differere, strenuus nostri seruatoris cum humani generis hoste congressus, illustrisque subinde secuta victoria, quæ nunc vestris insonuit auribus, non modo suadet, sed vehementer impellit. Scio me rem aggredi perdifficilem, & quà cum antiquorum, tum recentium semper mirum in modum exercuerit ingenia, noui pariter coram tremendo tuæ Sanctitatis conspectu, ac tam præclaro Patrum consessu, nil nisi elaboratum, & omnibus absolutum numeris adducendum esse. Sed cum vestram humanitatem, gratas, ac attentas aures mihi nulla dicendi arte prædito, toties præstitisse expertus fuerim, iu spem assurgo, quod mihi sanctus suggesserit Spiritus, quamuis impolitum, & vestra minus dignum præsentia in medium proferre, & sub vestri fauoris patrocinio, oratiunculæ sinum pandere tentabo.

Cnm ex his, quæ à Deo Opt. Max. procreata conspicimus, quædam in præstitutum sibi finem sine iudicio suo ferantur impetu, alia sic præfixis constringantur legibus, vt non nisi per eas, in illa quæ persequenda iudicauerint tendere valeant, solus inter mortalia homo ab optimo Conditore, libero iudicio donatus fuit, ac voluntariè vtroque vertibili. Frustra enim ratione, bruta præcellere diceretur, nisi per ipsam quid expetendum, quidvè fugiendum dignoscere, ac pro arbitrio sese à malo auertere, & ad bonum flectere posset. Reliquit, inquit Sapiens, Deus hominem in manu consilij sui, adiecit mandata, ignem, & aquam

Eccl. 15.

coram

coram ipso apposuit, vt ad vtrum ipsorum maluisset extenderet manum. Propulsanda propterea à Christianis animis omnium hæresum nouatorum impia assertio, est, qui toto, vt aiunt, aberrantes cælo, hominem trunco, & brutis nihilo præstantiorem fingentes, cum ipsis pariter necessitatis constringunt legibus, & liberum arbitrium nostrum, post prothoparentis lapsum, rem de solo titulo, & potius seruum quam liberum arbitrium appellandum dogmatizare non erubuerunt, adeo vt qui semel peccati vinculo colligatus fuerit, vt ab eo Diuina manu soluatur, sua libertate quoquomodo iuuari non possit, quinimo quicquid etiam virtuti cōsonum conetur efficere, totum noxium & culpabile coram Deo censeatur. Quid si res ita se habet Patres Opt. hi qui nullo modo suæ voluntatis compotes sunt, legibus coercentur, constringuntur mandatis, perterrentur minis, ni iussa seruauerint, præmia si seruauerint pollicentur? Frustra talibus caneret Psaltes: Declina à malo, & fac bonum: Frigebunt tot minæ, tot exprobrationes, tot benedictiones, tot maledictiones, quæ passim Scriptura, his qui se verterint ad meliora, vel in peiora prolapsi fuerint inculcat. Nam & si fateamur arbitrij libertatem per peccatum, vulnus accepisse, non eamus inficias, quod nostra culpa nonnumquam enormitas criminum, assuetudo peccandi, in naturam adeo vertatur, sic obnubilet mentis iudicium, sic obruat arbitrij libertatem, vt illud extinctum, hæc adempta videatur; audacter tamen, cum Patribus asserere non veremur ipsam non excisam, non extinctam vnquam sic esse, quādo pleraque moribus consona præstare non possit, ac ad paternas Dei nostri voces, quibus vt à peccatis resurgamus, nos inuitat auscultandas, sese accomodare non valeat, nisi dum vocamur à Deo nobis illudi asserere audeamus. Quis enim adeo desipiat, vt huiusmodi vinculis astricto quem soluere nolit dicat; moue te hinc, veni sequere me. Et tamen quotidie etiam de quocumque malorum barathro, diuinis extimulamur monitis, vt criminibus terga demus, & ad eum toto conuertamur corde. Si vocanti à peccatis Deo obtemperare non valerent homines, cur Christi voce obiurgatur Hierosolyma, quod ipso volente eius filios sub alas congregare ipsa renuerit? Credamus igitur, necessarium est sola Dei gratia hominum deleri peccata, nec nostra sponte, nostris viribus

Psal. 36.

Matth. 23.

viribus ab his resilire posse, nisi ipse vocet, suppetias ferat, manum porrigat. At vocanti respondere, adiuuanti obsequi manum porrigenti occurrere nostrum est, genuina libertate, Christi excitata & mota fauore. Abeant igitur qui hominis libertatem ad dissimulanda peccata, fouendum torporem obliterare conantur. Sed posteaquam veritatis anchora subnixi, impiorum firtes euasisse credebamus. Ecce proh pudor, in non minùs diros scopulos humanæ libertatis cimbam propellere nituntur. Vt enim nunquam satis laudatæ diuinæ gratiæ fauere videantur, ac ipsius extollere partes, hominum quorumlibet iustorum conatus, ad ea quæ nos in salutem prouehunt peragenda, ad nihil valere, suadere conantur. Sed solam gratiam in nobis sic operari, vt nostra voluntas, nihilo plus agat, quam inanime instrumentum, dum manu assumitur, in quamlibet artificij libuerit speciem. Huius assertionis impietas, quam è diametro cū sacris literis pugnet, cuilibet vel mediocriter exercitato patere facilè poterit. Cur laudatur in Euangelio seruus qui Domini sortem suam, à Deo tamen adiuta auxit industria? Cur damna-
Matth. 25. tur ignauus, si nihil ibi nostrum est? Quid sibi vult parabo-
Matth. 20. la de operarijs conductis in vineam, quibus denarius promittitur ex pacto tanquam opere præmiū? An operarij sunt, qui nihil operantur? Qua fronte tam securè iustitiæ coronā
2. Tim. 4. expectabat Apostolus post strenuam depugnatam pugnam, post gloriosi consumationem certaminis, si nihil omnino inter huiusmodi promeruerat? Non negamus sine diuinæ gratiæ fauore, exiles esse hominum vires, inanesque conatus ad sempiternam promerendam gloriam, sed neque veremur
Philipp 2. cum Apostolo asserere nos cęlestis cooperatores gratiæ, cum
2. Pet. 1. tremore, & solicitudine nostram salutem sit operari, vt per nostra bona opera certam nostram vocationem reddamus. Nec propterea, vel tantillum Christi detrahimus gratiæ, quinimo ipsam magis extollimus, ac magnificamus, dum Opt. Dei nostri immensa bonitate fieri credimus, quod vile figmentum in consortem, & cooperatorem operum, sua virtute cælos penetrantium prouehat; nec cum seruo pacisci dedignatus sit Deus noster, vt per ea quæ iure seruitutis gratis præstare debuerat, vitam promereri possit æternam. Quid magnificentius, quid liberalius de rege nostro dici poterat, quæ omnia in ipsius profecto iniuriam obliterarent si homi-

num

num tolerarentur merita. Et sua igitur dona in nobis,& nostra simul opera coronat altissimus, nec magis alterum cum altero pugnat, quam quod vua, & à vite, & à cælo generari dicatur. Postea quam igitur fauente Catholicæ veritatis felici aura, vtrumque euasimus naufragium, tutamque attigimus stationem, humanæ libertatis canere laudes, eiusque virtutem efferre inuitamur, quæ ea est præter ipsius assensum nulla potentia deijci, nullis superari armis, nullis arietibus concuti valeat. Nam & si eo robore, quo nullum maius sub cælo inuenitur, nostri præditi sint inimici, eamque fallendi artem, circumueniendi astum calleant, quem vix quisque occultissimus euadere possit, si tamen libero nostro assensu, nostræ mentis arce potiti non fuerint, inanem esse eorum conatum, frigidasque ipsorum artes experiri coguntur. Sileant igitur, qui in grauem Conditoris iniuriam in peccata, cacodemonis potentia, vi pertrahi conqueruntur. Ne tamen humanæ libertatis partes plus equo efferrentes in detestabilis Pelagij erigamur supercilium, meminisse nos super operam quam imbecilles sint nostræ vires, quam peruigiles, quam exercitatos, & in naturam nostram perniciem iuratos hostes habeamus, à quibus & si cogi non valeat nostra voluntas, fallit tamen, & circumueniri facile potest, nisi sub Diuini fauoris alis iugiter protegamur; si in tam diro prælio carnis illecebris non illaqueari cupimus, non sola nostra fidere libertate, non nostris tantum viribus inniti, sed Dei spiritu duce, eiusdemque protecti armis, Fideiq. clypeo muniti, cum tam instructa acie manus conferere nos admonet Apostolus, huius militiæ inuictissimus Dux, & ne humano ingenio hanc dimicandi artem nobis suasisse arbitremur. *Ephes. 6.*
Ecce hodie nobis ob oculos nostri Imperatoris cum humani generis hoste, doctissima proponitur pugna, Christianæ militiæ semper imitandum exemplar. Qui tametsi Diuina qua præditus erat virtute, solo verbo fundere potuisset inimicũ, vt tamen ipsa quam nostri gratia gerebat militia, qua arte, quo studio, quibus armis nostram libertatem tueri deberemus nos admoneret, non prius hanc aggreditur palæstram, quam Iordanis ablutus vndis Paterna voce, toto patente cælo, Dei Filius declararetur, nec & tunc temere bellum auspicatur, sed sancto actus Spiritu, & carne quadragenarij
ieiunij

ieiunij inedia afflicta. Adoritur aduersum tam armatum ducem, temerarius versipellis prælium, ac omnes fallendi in eum acuit artes, ijsdemque armis quibus primum hominem strauerat Dei virtutem superare molitur. Et quamquam primo congressu strenuus pugil noster hostem fundere valuisset, quo tamen contra singulos eius ausus arma nobis suppeditaret, varios ipsius sustinere voluit conatus. Gulæ illecebris pulsatur primum, dehinc inanis gloriæ fastu, popularem captare auram suadetur. Demum ambitu, & ea quæ ferè vniuersos hominum animos illaqueare solet, regnandi cupidine fortiter extimulatur.

At facile Christi sapientia callidi insidiatoris detegit dolos, & aduersus singulos ferientis ictus, non modo insuperabilem opponit Scripturæ clypeum, sed de ipsius quo agebatur spiritus armario, totidem acutissima retorquet iacula quibus confossus impurus spiritus, terga turpiter dare, ac è medio theatro repentè abscedere compellitur. Hac igitur præclara victoria, inuictissimus Dux iniqui hostis vires adeò strauit, sic Christianas instruxit acies, armauit pectora, vt certam nobis victoriam præparauerit, modo semper spiritu duce, Fidei protecti clypeo, ac verbi Dei acutissimo accincti gladio, hanc exerceamus pugnam. Sed, proh dolor, tam ignauiter hodie, qui Christo in sacro fonte nomina dederũt, hanc detrectant militiam, vt non vereantur passim, spiritus libertatem in quam vocati fuerant, in miseram peccati seruitutem, effrænemque carnis licentiam commutare, nihilipensis militaribus sacramentis, quibus se Christo deuouerant, proiectis Christianæ militiæ armis, tam benigni Imperatoris signa deserere miseri non erubescunt, & ad hostis desciscere partes, ac si in ipsius verba iurassent. O deplorandam calamitatem, quando sua se sponte, liberi homines in tam diram tyranni dederunt seruitutem. Quid conniuetis, quid dissimulatis Patres, quos sui gregis pastores, sui exercitus duces Christus substituit. Ante vestros oculos castra quæ ducitis sic exinaniri suffertis? Eia, tantam stragem reparare studete, & vestræ fidei commissos milites à turpissima seruitute in pristinam libertatem, vestro exemplo, vestro suasu reuocare studete, vt vobis ducibus, vobis patronis, post mortales depositas exuuias, imbecillem hanc libertatem,

tem in auream, & fœlicem libertatem gloriæ filiorum Dei, in quam nos Christus asciuit, quando exulabit dolor omnis, & gemitus commutare mereamur.

ORATIO III.



ABVIT antiqua, ætas (P. Beatissime) viros perillustres virtutumque omnium luminibus ornatissimos inter hos Dauid, velut inter Sydera Hesperus claruit, & effulsit miris encomijs perenniter laudatus, sed nũquam nimis, quia nec satis vnquã, sicut adeps separatus à carne, ait Dñs, sic Dauid à filijs Israel, nil breuius, sed nec illustrius in viri huius comendationem adduci potuit. Iusta pusilli gregis caulam nutritus ac natus, sed ibi non obscuris parentibus editus, non humili sanguine ortus, quinimò intra ipsas functiones pastorales principis specimen exhibebat, & Regiam iam redolebat maiestatem: Vix pueriles transcẽderat annos, iamque virili robore præstans, cum leonibus ait Sacer textus, lusit quasi cum agnis, & cum vrsis similiter, quasi cum agnis ouium. Nondum iuuenilis decor honestas ornauerat genas, & zelo gloriæ succensus, singulare illud certamen admisit, quod nullus ex veteranis assumpserat, in funda & lapide, quibus testante sacro eloquio, deiecit exultationẽ gloriæ & exaltauit cornu gentis suę, quę non fœlicissimè peregit prouectus, si sũma nolebatur rudis, & tirunculus; mirabile dictu, cũ semel veluti belli fulmẽ, hinc & inde hostes conquassaret, interfecit (affirmat historia sacra) octingentos impetu vno. Quis vnquam existimasset virum istum pauore aliquo deiectum, vlloue inimicorũ impetu conturbatum? Nullus. Audiamus illum sua verba proferentem: Contristatus sum in exercitatione mea, conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Ac si diceret: obstupui, steteruntque comę, sudorq. frigidus occupauit artus,

Eccli. 47.

Ibid.

2. Reg. 23.

Psal. 54.

totusq. pauore torpui. Cur ita virorũ decus ac gloria? si tali confractus timore animo deficis, quo te vertes? Dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescã? Noua & inaudita disciplinæ militaris forma, instabat bellum, premebant hostes, auxilia efflagitabat, at non galeam, non loricam, non antiquum gladium suæ primæ gloriæ, & socium & testem, sed plumas leues, illasque columbæ, quæ inter volatilia cuncta est ineptior certaminis. Age iam, alis suffultus, quò aduolabis? Elongaui fugiens & mansi in solitudine, & quis in solitudine ista aderit auxiliator? Expectabam, eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.

Ibidem.

Emitte modo, ò pater luminum lucis tuæ radium, ecce Ecclesiæ sacræ illustrissima portio, hodierni certaminis imago viua, totiusque Christianæ militiæ exactissimũ exemplar. Dauid hostili agmine obsessus, vir iustus est, qui quò iustior, eo durjori & periculosiori subiacet bello. Si vrsos, idest inuidiæ effrænatos motus cohibuisti, si leonis superbi, inquam, ferocissimos impetus mitigasti, si caput Goliæ, superbiã scilicet vnde iniquitas initiũ sumpsit, præcidisti, nõ ob hoc cessabit à molestia tentator, qui aperto & animosiori marte oppugnat victores, si cælũ tibi risit ad ripas Iordanis, si Paterna ablectatus voce inter filios charissimos, athletasque inuictos es acclamatus, lacesisti acriter; & irritasti aduersarium, Non dormitabis neque dormies ò Israel, qui & contra Deum ipsum præualuisti. Ecce enim non dormitabit, neque dormiet qui impugnat Israel, qui purum non appetit, quã pretiosum nõ infectat, qui forte nõ aggreditur, loquatur Iob, vtpotè qui inimici nostri tecnas & vires sæpe sæpius expertus absorbebit fluuium, & non mirabitur, fiduciam habet quæ Iordanis (sanctificatus inquam & purus) influat in os eius. Reuerebitur preciosa? Nequaquam, sub ipso (subdit) erunt radij solis & sternet sibi aurum quasi lutum, pauet potentes? Minimè. Reputabit, inquit, quasi paleas, ferrum quasi lignum putridum, & deridebit vibrantem hastã, non est potestas in terra quæ comparetur ei.

Iob 40.

Validissimus hostis sed indefessus, acutè & ornatissime Isaias: Nõ est deficiens, neque laborans in eo, neque soluetur cingulum renũ eius, neque rumpetur corrigia calciamentorũ eius, sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti, vngulæ equo-

Isai. 5.

equorũ eius vt silex indefessus sed infestissimus, molestus, ac grauis vbique tragædias excitat, vbique parat insidias, vbique occultat laqueos. Narrauerũt vt abscondereut laqueos (hæc illorum perpetua consultatio) dixerunt, quis videbit eos. Diuitiarum amplitudine eleuat ad superbiã, paupertate deprimit ad querelã, sanitatem nutrit ignauiam, mœrorem, & tædium. Securitate illaqueat sub alacritate vana, nimio timore sub solicitudine superflua, tandem hostium incursus finiri non istius vitæ est, quæ tota est tentatio, qua nemo ita facile vincitur, quàm qui vinci non veretur. Hinc iustorum queribundæ voces. Ieremias ad progenitores reuersus flens conquerebatur: Væ mihi mater mea, vt quid me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra. Virum rixis, & interminabilibus contentionibus destitutum. Cautè, & accuratissimè locutus est Propheta de matre, non de conditore conqueritur. Deus enim fecit hominem rectum, ac ipse se immiscuit quæstionibus multis. Hinc Dauidicus pauor, hinc Pauli flebilis, & mæsta exclamatio: Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius. Quid ergo? Desperandum. Absit.

Psal. 63. *Ierem. 15.* *Rom. 7.*

Hodie Dux assertor noster Christus de Euangelico tribunali commilitones alloquitur, pugnaturis præmia pollicetur, inimicorum reuelat dola, vbi, & quãdo, & quomodo pugnandũ sit, triumphali constitutione consignat, in desertũ ducitur à spiritu vt tentetur: quo loco expectandus sit hostis primo docet in deserto inquam: Idipsum cupiebat Dauid: Elongaui fugiens, & mansi in solitudine: nec immeritò à loco certaminis militum instructio inchoatur, illius enim inopportunitas millies perniciosos, & funestos inducit casus. Adamus militari cingulo præcinctus, atque diuina armatura protectus. Leuissimo pomi ictu prostratus iacuit, nec mirum, expectauit enim hostem intra paradisi delitias, interdictæ arboris vmbra coopertus pulcherrima creatura, sed tamen fœmina seductus, Iob solus inermis, nudus, immo pessimo vlcere ferè consumptus, testam in manu loco lanceæ ferens in ferrum prouocat, & vincit, & quidem meritò, sterquilinium enim elegit in stadium certaminis. Ad nos iam se transferat oratio.

Psal. 54. *Gen. 3.* *Iob 2.*

Si pugnaturi, solitudinis grandi locum oportunum perquirere debent, quo iure, quo titulo, qua ratione intra pelagi

huius tumentes fluctus, fornacis edacissimas flammas, vrbis molestissimos tumultus, serena fronte, corde læto, pacato
Hierem. 12. animo vitam agimus: Si in terra pacis secura non fuisti, quid facies in superbia Iordanis? Si cum peditibus currens laborasti, quomodo poteris contendere cum equis? Ac si diceret: Si vbi vitia lento incedunt gradu, immo humi reptant te passim comprehendunt, & sub peccatis venundatum ignominiose ligant. Quid erit vbi equis insiderent: immo triumphalibus procederent curribus.


Apoc. 8. Ve, ve, ve, clamabat Angelus habitantibus in terra, quod
Hierem. 9. si causam ignoras, ausculta quæso Hieremiam: Habitatio enim tua in medio doli, si iuxta fraudum mœnia, si intra doli suburbio tolerabile malum, at in medio doli. Quid infælicius, quid calamitosius annunciari potuit? Habitatio nostra in medio doli, in corde doli, intra fraudum viscera; vbi deceptio floret, viget, & accuratissimè conseruatur? Si habitas in medio doli, igitur quo te vertas occurrent fraudes, cognati insidiantur, amici deludunt; serui defraudant, adu-
Mich. 7. lantur iuuenes, senes malitiosè simulant. Clama, ò Michea sancte, exalta in fortitudine vocem tuam, exalta noli timere, perijt sanctus de terra, rectus in hominibus non est; qui optimus est in eis, quasi paliurus, qui rectus quasi spina de sepe. Quem baculum protectionis futurum existimabas, eo necessitate premente, fidata manu ne rueres, apprehendisti, delusus, & vulneratus vociferabis, spina spina de sepe. Nolite ergo, Propheta colligit, nolite credere amico, nolite confidere in Duce, ab ea quæ est in sinu tuo, idest, à carne tua, à teipso; hostis enim domesticus periculosior; custodi claustra oris tui.

1. Ioan. 5. Quod si mundus flagrat, ò Christiane miles, totusque in maligno positus est. Quid tibi, & mundo, solitudinem perquire, illam ama, illam affectu amplectere. O alma, & sacra solitudo, in te non purpura, & bissus, neque auro, & margaritis contextæ telæ, sed neque illæ, quæ subtili & fraudulenta arte conficiuntur ad animas capiendas; in te non Ducum & Principum purpuratorum coronæ, sed neque adulatores improbi, simulatores calidi, in te non lapides politi vetusta vanitatis monuméta: sed illa quibus cælestis Hieru-
Gregorius Græcorum decus. salem constituitur. Aliorum (aiebat Gregorius Græcorum decus) sint trophæa honores & gloriæ, mihi sat erit in solitu-

dine

dine prærupta rupis : ibi enim æquo interuallo, & à summo
fastigio & à summo casu distabo. Solitudo, aiebat Cypria- *Cyprianus.*
nus, à milite eligenda, in qua animus liberius obuiat impu-
gnanti; nec enim aspectus irritamenta mouent, neque singu-
la vellicant, dimicant, neque voluptatum lenocinia animum
inebriant; & vt semel solitudinis laudes complectar, illum
hodie præsentia sua cohonestat, sanctificat, & commendat,
ille qui saluos fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate; *Psal. 54.*
ibi flendo lachrymis nos lauat priusquam sanguine ibi pu-
gnando hostium vires eneruet, & debilitet ibi confregit scu-
tum, gladium, & bellum. *Psal. 75.*

Accedite iam: O hostes truces vestros nefarios retundam
conatus, & effrænatos impetus infringam: omnia enim pos- *Philip. 4.*
sum in eo qui me confortat; si mecum Deus, mecum & om-
nipotentia, si expediat manus vobiscum conserere, consti-
tuet vt arcum æreum brachia mea: si fuga fuerit oportuna,
dabit mihi pennas sicut columbæ. O felices pennas suspi- *Psal. 17.*
rijs, & lacrymis à viro probo conquisitas, hæ sunt terreno-
rum obliuio, fluxarum rerum contemptus, cælestium sitis,
æternorum ardentissimus amor, diuinorum pura & sincera
contemplatio de earum pulchritudine extat illud, pennæ co-
lumbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. *Psal. 67.*
Illarum fructum commendat Malachias; Sanitas, inquit, in *Malach. 4.*
pennis eius: & iure optimo: his enim pennis subuolans ani-
mus, laqueos quibus terra scaturire videtur contemnit. Fru-
stra iacit rete ante oculos pennatorum: Irrident aues re- *Prou. 1.*
tia quando inter sydera volant: irridebit & iustus quando in
carne viuens, non secundum carnem ambulabit, cum Paulo
clamans: Conuersatio nostra in cælis est. His tandem de- *Philip. 3.*
auratis pennis adiutus ascendet supra Cherubim, volabit
super pennas ventorum, volabit inquam & requiescet in ta- *Psal. 103.*
bernaculis fiduciæ, in pulchritudine pacis, in requie opu- *Esai. 32.*
lenta, dulciter & suauissimè inter victores cãtando: Laqueus *Psal. 123.*
contritus est, & nos liberati sumus.



ORA-

ORATIO IV.



ON possum non admirari Beatissime Pater, dum singulare certamen inter cæli regem, & huius sæculi principem recolitur, in quo exordium est nostræ salutis cum Dux nostræ militię in nobis, & pro nobis tentatur, animaduertens locum palestræ, arenarios aduersarios, arma vtrumque conuenientia, repetitos congressus, postremo deuicti hostis erubescendum ex pugna regressum, maximo cum victoris triumpho, & sanctorum Angelorum iubilo. En tempus acceptabile, & oportunum adest regenerationis sanctificato sacramento, tunc quando Christus Dominus baptisma accepit Iordanis vnda sanctificata Spiritus sanctus in columbæ specie super eum mansit, & voce Patris de dilecto, & complacito personantę Filius Dei, & Dux noster declaratus est. Locus enim desertum est, in quem errabundus homo ab Hierusalem in Hierico descen-

Luca 10. dens, sauciatus relictus est. Adde templum, & montem, vt nullus in terris relinquatur locus, in quo accusator fratrum suorum è cælo eiectus pugnare, & expugnare non attentauerit. Concertantes duces mitissimus Agnus, feralisque leo sunt: vnius arma sunt Spiritus ducens, ieiunium, & oratio. Alterius vero tentatio, persuasio & impulsus. Assistunt, & adorant Angeli quem deuius lucifer ignorabat, atque repetitis aggressibus, & occursibus agnoscere satagebat, vel si ad peccatum patrãdum induceret, aut eius diuinitatem dignosceret, virulentus diram tentationis lanceam, non semel acuit, & vibrauit. Cui sacrarum Scripturarum occurrenti-

Psal. 63. bus iaculis, sagittæ paruulorum eius plagæ factæ sunt. Idemque Dei Verbum, in quo viuimus, mouemur, & sumus, per quod facta sunt omnia, & reficiuntur. Verum cum victoris laudem concinunt, & ministrant Angeli, tria potissimum mihi magis admiranda, quam explicanda eueniunt. Tentatoris

tatoris virus proponam, tentati solertiam, nostramque palestricam instructionem.

Mirum spectaculum, admirabilis conflictus, nunquam audita vecordia, qui in cælis lucifer manè oriebatur, natura, persona, existentia, potentia, atque sapientia inter cælicolas non secundus, qui in delitijs Dei paradisi ambulauit, perfectus in naturalibus, & decoratus gratuitis, cuius decor, & ornatus, omne aurum optimum, lapisque pretiosus cum habituali gratia in sui initio fuerit præditus, cæterisque desuper collatis donis, ac in statu accedendi ad Deum Fidei lumine perfusus, ei supranaturali præmio proposito, ad quod peruenisset si stetisset: is inquam, cuius superbia ascendit semper, incrassatus, impinguatus, ac dilatatus recalcitrauit, & ad aquilonem, vnde omne malum pendet conscendere, suumque exaltare solium, sedemq. ponere voluit, contendit, dimicauitque, ad Dei inquam similitudinem elatione inflatus, peruenire voluit, & dici Deus, á supernaturali beatitudine diuina gratia adipiscenda suum auertens appetitum, & in suis naturalibus veluti in vltimato sistens fine, naturæ viribus fisus ad ea quæ sunt propria Dei ascendere decreuit, & voluit. Hinc vox belli audita est, & contritio magna? Stellæ manentes in suo ordine aduersus Sisaram pugnauerunt; his namque vsque ad mortem propter verbum Dei, non diligentibus animas suas, idemque Dei Verbum consumatæ gratiæ contulit brauium; illi vero seipsos diligentes, & æterni Creatoris obliti obliuioni, opprobrioque sempiterno traditi sunt in caliginosum aerem, humanum ob exercitium, atque in profundum inferni veluti fulgura de cælo cadentia præcipitati sunt; & inter electos eorum sors erit nunquam. In terram ergo iterum suorum in cælo accusator deiectus, terram perambulans, superbia elatus, partam sibi annuens victoriam, hominem aggreditur, vt vel sic Deum vinceret in homine: vicit tandem mendacij pater matrem insecutus mendacij. Cur de omni ligno, quod est in paradiso ne comederetis præceptum vobis fit, primo aggrediens conflictu; cui ne forte moriamur responsum, nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dij, maledictus subinferre ausus est. Quid inde? Rex super omnes filios superbiæ constitutus; cuius tyrannica potestas super terram minimè comparatur, visibilibus, inuisibilibusque tentationibus pluribus prostratis hominibus,

Ephes. 28. Gen. 3. Iob 41.

bus,

bus, nunc Deum hominem aggredi non veretur. Quare hinc superbiæ regem, inde humilitatis monarcham, hinc rugientem leonem, inde mitissimum agnum, hinc perditionis flagitium, inde salutis initium; hinc tentatoris vesaniam, inde tentati constantiam animaduertamus. Mira res, qui omnibus imperat, & cuncta omnipotentia potest, qui sapientia à fine vsque ad finem fortiter singula attingit, qui ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt vocat, qui vniuersa ad nihilum redigit, cum faciem auertit, qui inaccessibilem inhabitat lucem, & tenebræ in eo sunt nullæ, incomprehensibilis permanens; in cuius conspectu tremunt videntes Angeli, mors & infernus fugam sibi parant, dantque se in pedes, Is inquam, cuius nomen est; Verbum Dei, in cuius fœmore est scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium, gladio accinctus tanquam vir bellator Dominus potens in prælio à tentatore aggreditur, venatoris ad mortem laqueis se exponit, & satanæ tentationibus subijcitur. Christus Dominus, inquam innocentiæ album conscensus equum diuinitatis, humanitatisque arcum, sagittam, & pharetram in suppositi vnitate manutenens, gloria, & honore laureatus vincens vt in nobis, & pro nobis vinceret, in deserti, templi, & montis arenam exiuit. Quo fit vt nostræ militiæ prosequendus dux præcedat, & cum militia sit vita hominis super terram, ad prælium docet manus nostras; quibus telis, & iaculis sit dimicandum: sacra scilicet Scriptura; cum quibus hostibus, aduersus principes, & potestates; præsertim contra mundi rectores tenebrarum harum: qui verò pugnæ futurus est status: Corona vitæ certantibus, & victoribus repromissa, atque parata. Hæc omnibus Christi Domini militibus instructio, & totis viribus exercenda proponitur: videlicet, Fides contra rugientis leonis occursus. Spes quæ in aduersis minimè confundit, etenim fit cum tentatione prouentus: & sic aurum in igne examinatur, atque probatur, & spinosi capitis mysticum membrum cum capite deinde coronatur, atque ex his quæ ad nostram doctrinam scripta sunt, & per patientiam, & consolationem scripturarum spem vitæ habeamus. Isthæc, & huiusmodi mentis meæ acie, paruique ingenij acumine ad eloquendum vbi erat pertimescendum, colligere potui, Beatissime Pater. Superest vt virtutum laudes victori concinamus, & cum Angelis Dei Filio administrandum

Apoc. 19.
Iob. 7.
Ephes. 6.

ſtrandum accedamus, cibum qui non perit, ſcilicet Fidem noſtram, cibum ei iucundum animarum ſalutem, poculum ſuauiſſimum, contritionis & deuotionis lachrymas; hoc eſurienti victori miniſtrantes in nobis, & pro nobis eſurienti, tentato, & triumphanti cum eo eſurientes, tentationem patientes, & virtliter dimicantes inſimul, & conregnabimus Angelorum miniſterio in cæleſtes perducemur manſiones.

ORATIO V.



ETERRIMA, & periculoſiſsima bella P.B. omni imbuta odio, omni fraudum genere communita, mouet hodie princeps tenebrarũ contra Principem lucis, contra Chriſtum ſathanas. Triplici armorum genere armatus, gulæ ambitionis, auaritiæ; triplex init certamen in deſerto, in templo, & in monte: In deſerto ſe hominem ſimulat, in templo transfigurat ſe in Angelum lucis, in monte demum aperto marte congreditur, & ſe principem dæmonum prodit. Explorando tentat, inquit S. Ambroſius, & tentando explorat tentator, quàm ſagaciſsimè enim poteſt odoratur omnia canis ille venaticus animarum, & callidiſsime indagat eius ſolutionem dubij, quod iam inde à principio Virginei partus conceperat, Num Chriſtus ſit purus homo, an etiam Deus: hoc enim illud erat, Si Filius Dei es dic vt lapides iſti panes fiant, ſi filius Dei es mitte te deorſum. Sed in oculis eius, inquit patientiſſimus Iob, quaſi hamo capiet eum, & ſudibus perforabit nares eius. Hæc eſt breuis ſumma hodierni Euangelij, de quo ſimplicibus, ſumptiſque de medio verbis, quo genere dicendi contenta eſt veritas dicam pauca, & ea ſummatim. Tanta eſt enim rerum magnitudo & copia, vt aut à meipſo multa, aut meipſum à tempore deſeri neceſſe ſit.

Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu vt tentaretur à diabolo, Matt. 4. Tunc, inquit Chryſoſt. quando cæli aperti

sunt, quando Pater clamauit de cælo: Hic est filius meus dilectus, quando baptizatus est Dominus à Ioanne in aqua, tunc ducitur à spiritu in desertũ, vt baptizaretur igne tentationis. In desertũ, inquit Ambros. vt illũ Adam in exilio quæreret de exilio liberaret, qui de Paradiso in desertum directus est, & in desertũ ductus est à Spiritu sancto, vt Doctores omnes vna mente consentiunt Hilarius, Gregor. Hieronymus, Athanas. A Spiritu sancto, inquit Gregorius, absque vlla quæstione ductus eum creditur, vt illuc eum suus spiritus duceret, quo hunc ad tentandum spiritus malignus inuenit. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esurijt, non necessitate, vt inquit Hilarius & Chrysost. sed voluntate: oblata famis occasionem, inquit sanctus Cyprianus, tumultuator de latebris prodiens egreditur, & subdola professione, quasi compatiens ei subuenire periclitanti naturæ hortatur. Et accedẽs tentator dixit ei, si Filius Dei es dic vt lapides isti panes fiãt. O pietatem impiam, ò impiã simulationem; inde ait Ecclesiæ lumen Augustinus, cæpit præliari contra secundum hominem vnde iam vicerat primum, antiquus enim hostis, iam scitis (vtinam nec scire licuisset) primum hominẽ ex gula tentauit & tentando superauit. Si filius Dei es dic vt lapides isti panes fiãt. Teterrimus iste draco signũ quærit Diuinitatis, & signum non dabitur ei. Vibrat Christus contra insidiatorem, tanquam acutissimos quosdam veræ doctrinæ gladios, vt clypeum sic sacram Scripturam hostilibus telis opponit, sic opponendo, & vibrando pugnat, & pugnando expugnat inimicum: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei; quasi dicat non sola cura corporis habenda, sed animæ, hæc non pascitur parum, sed verbo Dei, hoc est spirituali doctrina, vt recte sentiunt Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, & Hieronymus. Terrenis cibis, inquit Cyrillus, terrenum nostrum alitur corpus, anima vero rationalis diuino verbo vigoratur. Non alitur virtus parum, ait sanctus Pontifex Gregorius, nec per carnes bene se habet anima, & pinguescit, alijs epulis vita sublimis educatur, & crescit nutrimentum boni; castitas panis, sapientia pulmentum; iustitia potus, impassibilis flatus delectatio bene sapere, D. Chysostomus aliter id explicat, & docte quid: quasi dicat, Christus non solo pane viuit homo, sed Deus ille, apud quem non est impos-

impossibile omne verbum, solo verbo suæ voluntatis, seu quouis cibo Dei verbo, idest diuina virtute præparato, vt Euthymius,& Theophylactus,& sane optimè interpretantur potest eum sustentare, & sustentati in deserto. Testis est Moyses, & Helias non alio pasti cibo quadraginta dierum spatio in deserto, quam verbo Dei. Quoties in deserto idem Helias conuiuas habuit coruos? Nonne in deserto de petra manarunt aquæ? vbi Israel quadraginta annis collegit manna? Vbinam panem Angelorum manducauit homo? Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Nondum finis belli, sed bellum commotum in deserto confirmatum est validissime in templo; alios hic fraudum inuentor commolitur dolos, alias admouet machinas. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, hoc est in Hierusalem, inquit Rabanus, in qua erat templum Dei, & Sancta Sanctorum, & statuit eum super pinnaculum templi, quod erat, teste Remigio, Doctorum sedes, & dixit ei: Si Filius Dei es mitte te deorsum. Hic ambitiosorum finis, & terminus tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant. Ab hac altitudine diei timebat Dauid. O ambitio exclamat, & meritò D. Bernardus: O ambitio ambientium crux, nescio quomodo cum omnes crucies, omnibus places. Mitte te deorsum. Qui deorsum de cælo cecidit, inquit Hieronymus, alios deorsum cadere desiderat: quid trepidatis? trepidatis timore, vbi non est timor, persuadere potest, præcipitare non potest.

Mitte te deorsum, scriptum est enim angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Vtitur enim diabolus testimonijs Scripturarum, inquit S. Ambrosius, non vt doceat, sed vt fallat, sed fallit ipse. Vnde tibi diabole, inquit Origenes scire quod ista scripta sunt? numquid legisti Prophetas, vel diuina eloquia? legisti? quare, & quod sequitur non legisti, Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonē, & draconem; illud, inquit Chrysost. profert quasi superbus, hic tacet quasi astutus.

Sed falsas, ait S. Hieronymus de scripturis diaboli sagittas veris scripturarum frangit clypeis, Non tentabis Dominum Deum tuum. Restat modo vt de auaritiæ bello, quod erat in partitione vltimus breuissime dicamus. Duplici bello pro-

fligato, ac penè sublato, etenim nunc superbiæ princeps resistit, & repugnat contra victoriam, insidias linquit antiquas, & dum apertus congreditur inimicus, renouatum tertio cōparat bellum auaritiæ: idque insidiosissimum, infestissimum, iniquissimum. Nihil enim iniquius, inquit Sapiens, quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet? quid peius? habet hic venalem ipsum Deum, Deum ipsum.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & dixit ei, hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Facilis via ab auaritia ad idolatriam. Repleta est terra, inquit Propheta Isaias argento, & auro, & non est finis thesaurorum eius, & statim, & repleta est terra eius idolis, opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Quid clarius? Auaritia, exclamat Vas electionis, quod est idolorum seruitus.


Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me, ò superbiam insanissimam, ò insaniam superbissimam diabolicam; dixerat olim superbus, in cælum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, & similis ero altissimo, modo & ipso altissimo vult etiam altior, si cadens adoraueris me. Quam verè hic exclamat Psalmista: Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

Tunc dixit ei Iesus: Vade Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, seruies vt Domino, adorabis vt Deum. Indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio zeli, inquit Isaias, vt nos illius discamus exemplo, inquit S. Chrysostomus, nostras quidem iniurias æquanimiter sustinere, Dei autem iniurias, nec vsque ad auditum sufferre, quoniam in proprijs iniurijs quempiam esse patientem est laudabile, iniurias autem Dei dissimulare nimis est impium.

Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Hic tentationum finis, & orationis. Superato igitur, & in potestatem redacto hoste, Angelorum innumerabilis concursus ad Christum factus est, hic diabolicas cœpit improbare interrogationes, probare ille diuinas responsiones, alius abstinentiam animi, demissionem, magnanimitatem, vno verbo virtutibus suis omnibus numeris absolutam commendare, alius amplexari eum, alius ad genua accedere, alius sanctissimam illam humanitatem, dæmonum domi-

dominium, hominum liberatricem, victoriæ confictricem exosculari, quascumque omnes poterant exultanti lætitia, & triumphanti gaudio nobilissimi triumphi significationes dabant, vna, omnes mentem, & bellatorem fortissimum, & Imperatorem inuictissimum prædicabant.

O sanctissimum, & fortissimum bellatorem, bellasti pro nobis, & debellasti inimicos, gratias agimus immortales deuicti immortales; vtinam nos ex hoc bello pacem habeamus ad Deum, quia vbi fuerit veritas pacis, inquit sanctissimus Pater Leo, nihil ibi potest deesse virtutis.





DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE.



ORATIO PRIMA.



AQVILA grandis illa dilectus Domini Ioannes, B. P. stellam de cælo mirificè labantem, diuina contemplatus est, quæ quidem magna ardens vt facula, cuius nomen absinthium in aquas corruens illas in absinthium præ amaritudine transformauit. Hic idem Apostolus cum socijs Petro & Iacobo in Tabor asũptus. Solem in terra fulgentem, Christum videlicet solem splendidissimum, aquarum in iucunditatem infælicis operatione stellæ penitus effectam, nouo transformationis miraculo remouentem aspexit: Cecidit de cælo lucifer, qui mane oriebatur, corruit in terram, qui super astra Dei solium exaltare cupiebat: is aquas in absinthium cõuertit amarum, dum laborum propensionem, tribulationum tollerantiam, sui ipsius abnegationem, iniuriarum indulgentiam: Immo & virtutem ipsam (cui nihil secundum Chrysost. par est) insulsas, & hominibus infrugiferas, atque adeo detrectandas esse mortalium mentibus instillauit, eo sanè dementiæ nonnulli prauo stellæ influxu minus fæliciter deuenerunt, vt iniustitiam probosam quidem esse, sed afferre lucrum, & in quotidiana vita in primis esse conducibilem. Iustitiam vero, atque virtutem, & si laudari soleant nihil emolumenti eas possidentibus parere asseue-

Apoc. 8.

Chrysost.

raue-

rauerint. Quo quidem errore fidelium, & populi Dei mentes occupante ipsi Mal. 3. affirmare ausi sunt: Vanus est qui seruit Deo; & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta Domini; & quia ambulauimus tristis coram Domino exercituum? Ergo beatos dicimus, arrogantes siquidem ædificati sunt facientes impietatem. O insania, ò vanitas populi peccantis? Probis etenim ac iustis virtus perinde est, atque Sol legitimis Aquilarum pullis obiectus, qui vbi spurij aduersum intueri Solem nequeunt; ipsi illum sine offensa hilares aspiciunt, dum enim in virtutum lumine illi errantes ad vitiorum obscuritatem cæci deflectunt, legitimi ac ingenui infracta oculorum acie in virtutis,ac iustitiæ dignitatem, amplitudinem, decusque intendentes, sese ad illius normam quasi quodam in speculo seipsos cernentes excolunt. O verè regiæ auis ingenui pulli Petrus, Iacobus, & Ioannes, quibus Rex virtutum, vt sol iustitiæ quando resplenduit in monte,ac fulsit Christus est ortus, gloriam tamen Domini speculantes, ab ipsa licet magnifica (sic enim Petrus loquitur) eorum lumina minime calligarunt. Hanc habitu nondum inuentus vt homo dilectis plerunque viris, iam olim alio & alio fine, sed non sic plene declarauit ad fluuium Chobar Ezechieli in fulgure, igne, splendoribus, Cherub,& animalibus: Amico Moysi iuxta petram Oreb. In sibilo auræ tenuis post validum ventum ignem & commotionem Heliæ zelatori. Populo denique (vt alios silentio transeam) in specie ignis, in throno sapphiris, & alijs gemmis mirificè ornato sedens. His apparuit gloria Domini, non tamen vt futuram nostram sic repræsentaret. Nunc autem venturæ beatitudinis,quam spectemus fores, vt ad res fidei, & charitatis robustiori animo, ampliorique fortitudine cum discipulis aspiremus, iucundè reserauit.

Malach. 3.
2. Cor. 3.
2. Pet. 2.
Ezech. 1.
3. Reg. 19.

Verumenimuero cum Simonis robur à Magistro præcipuè desiderabat, primus ad tanti mysterij exactam visionem est ab illo accersitus, claues enim regni cælorum, & omnia regna mundi illi tradens, constituit eum dominum Domus suæ & Principem omnis possessionis suæ. Valde enim interesse Saluatorem neutique latuit, vt caput & Princeps, qui alios animi virtute robore Spiritus fidei doctrina instruere habet munus, ipse fortissimus in fide pariter inueniatur. Plenus sit spiritu Moysis, vt de illo senibus impartiatur, duplexque

Psal. 104.

fiat

fiat Heliseo sibi, & filijs prophetarum communicandus Spiritus, fide sua Petrus confirmare fratres suos, Christianę Reipub. pupim regere, clauumque tenere, salutarem doctrinam credentes docere vniuersos, ingenti charitatis igne tepida, fidelium corda in Christum verbo, exemplis, & signis inflāmare, ac tandem vitæ viam, quam à præceptore suo didicerat, intrepidus ostēdere debebat, sit igitur primus inuocante, & præ omnibus confortetur, vt firmior ad hæc inter omnes euadat. Præstantiorem enim, & victoriæ magis actum quidam sapientes illum exercitum iudicarunt, cuius caput, dux, & gubernator leo sit quantumuis milites cerui debiles, quam si & caput, aut Princeps ceruus, & miles innumeri leones existerent: Rectius tamen fient si milites super omnem terram triumphales duces constituti, cum capite leone pro fide ad sanguinem vsque defendenda, & pro viribus propaganda (id enim præsefert Cardinalitia, ac rubea dignitas) vt filij potentes seipsos virtutibus accingentes, leonis animū induant. Quid faustissimum, quid fortunatissimum, ac nimis prosperum contra nationes has innumeras, quæ conuenerant aduersum nos, & Sancta nostra, sic euenturum non præstolabimur. Cū his ergo tribus, qui benè gradiuntur rex Saluator incedit fœliciter Petro, qui accepto Spiritu, vt leo fortissimus ad nullius expauit occursum, Ioāne dilecto, qui vt gallus accinctus lūbos suos florido virginitatis pudore rectè coarctauit; Iacobo proximo nomine, vt aries sacrificando, fortis enim, castus, & patiens accipiunt benedictionem à Domino, ante quos Helia, & Moyse maximis astantibus Prophetis cum Christo familiarius conferentibus ingressam in templum corporis maiestatem (quæ tum in Christi facie, tum in habitu, & ornatu resplenduit) summo cum decore, ac incredibili eam contemplantium alacritate lætitiæ, & fausti ominis plena manifestauit. Cuius quidem immensæ beatitudinis vna tantum stilla temporalis, & euanescens guttula prælibata Apostolorum Principis sic affecit, sic lætificauit, sicque inebriauit animam, vt in salutari Dei mundo, & omnibus quæ in eo sunt libenter vale dicens: Bonum est nos hic esse, extra se positus clamans deficeret. Quo quidem in sermone non quam prudenter (Diuus ait Chrysost.) sed quam feruens charitate Christi quique inflammatus esset inuestigare debemus, modicum gustat & scintilla, sic accenditur, vt ni-

Chrysost.

vt nihil aliud, nisi cum Christo relictis omnibus, esse bonum præter omnem mundi (cui sæcularia desideria non sempiterna placent) æstimationem arbitretur. Rebecca inauribus, ac paruis monilibus spectatis populum suum, & domum patris sui statim obliuiscitur. E contra Rachel pro insipidis, etsi pulchris mandragoris virum suum, illius intuitu gelu, & æstu, alijsque incommodis oppressum, cum Lia commutauit. Quæ quidem deuotæ, simulque sæculo addictæ sunt symbola animarum, hæc mundo seruiens perituras opes, momentaneos honores insipidas, etsi pulchras voluptates magis quàm Deum pro ea talia passum consectatur. Illius autem dum Christi accenditur dilectione, corde ad superna redientis vox est, Quid mihi est in cælo? etiã bonum est nobis Christo cohærere, Deus siquidem æternus, æternique Patris Filius est. *Gen. 19.* *Gen. 30.*

Audite omnes, & auribus percipe Sanctissime Pontifex, quid super vnigenitum suum Pater æternus loqutus est, quale quodque nec solum mortali linguæ, cæterum & Angelico intellectui mirum in modum ineffabile desuper testimonium intonat: Hic est Filius meus dilectus, &c. Quorum quidem verborum ea est maiestas talis, ac tanta gloriæ celsitudo, vt animalia submittere alas, & à voce Patris super Vnigenitum suum clamantis moueri superliminaria cæli valeant: Hic est Filius meus, & nullus alius sicut ipse, nam sicut illa quæ Deo conueniunt, eodem pacto adaptari possunt nulli: ita nec ea quæ de personis respectiue prædicãtur: sic enim Deus bonus est, vt nemo bonus, nisi solus Deus: sic potens vt solus potens, & (vt D. Paulus ait) sic immortalis, vt solus habeat immortalitatem: sic insuper genitor Pater est, vt nec Filius, nec Spiritus sanctus vllo modo Pater sint; sic Spiritus sanctus, vt nec Pater, nec Filius, sic denique Filius Patris est Christus, vt nemini per naturam nec ipsi Spiritui sancto, quanto minus mortalibus creaturis conueniat, cui Angelorum Pater dicit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pacifici ergo, & qui inimicos diligunt, renati in baptismo, beati in cælo nominentur, & sint filij Dei, non tamen sicut hic, qui Filius meus per naturam singulariter charus est, cæteri autem per adoptionem. *1. Timoth. 3.* *Heb. 1.*

Dilectus est mihi, sit & vobis, quia est desideratus cunctis gentibus, in eo mihi complacui, & in illo omnia, sine

ipso nihil. Mira Catonis modestia, cynica Diogenis parcitas, magni liberalitas Alexandri, altiloquia Demosthenis, Ciceronisq. eloquentia, infatigabiles Cesarum labores fuere. Sed quia sine Christo, illi omnes pasti ventum, & æstum sequuti sunt, quinimmo (quod plus est) orationes contemplantium, pœnitentium gemitus, ieiunia vestra, eleemosynarum largitiones sine Christo vt placeant Patri, sicut nu-
Osea 6. bes matutina, & sicut ros mane pertransiens iudicabuntur. At in Christo Dei dilecto calix aquæ frigidæ, singultus, & suspiria peccatorum, lacrymula deuotæ animæ æterno gratissima sunt Patri. Quemadmodum enim Esau vestimenta, & ornatus in ipso nulla redolebant flagrantia, at ipsorum
Gen. 27. in Iacob odor, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, à sene Isaac commedatur. Ita quippe in nobis opera nostra quasi ex nobis insuauia, & sine odore, quæ in verò Iacob Christo à Patre summe dilecto, ipsis Angelis, & hominibus vt bonus odor mirificè flagrant: in hoc certe vnico Paternæ complacuit voluntati, cæteri degenerauimus omnes. Hic solus ex natura innocens, impollutus, segregatus
Heb. 7. à peccatoribus, excelsior cælis factus, ipsum audite: quantumuis præter rationem, licet difficillima, quamuis carni terribilia, & ardua quæ vobis dixerit videantur. Potens est enim in opere & sermone, poterit sane corrigere malos, præmiare bonos, verosque docere in eo: ergo vt in thuribulo aureo ieiunia, orationes, operaque nostra collocemus vniuersa, vt eorum fumus coram Domino ascendat, talique æterni Patris testimonio, & solatio fulti, & conformati Christo Filio Dei credamus, neque omnem nostram spem in illo, qui fidelis, & verax est collocare dubitemus.



ORA-

ORATIO II.



AGNVM pietatis ſacramentum B. P. quod teſte Apoſtolo, manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria. Hodie tres diſcipulos in montis culmen aſſumptos, æterni luminis quaſdam explicans ſcintillas; adeò ſupernæ amore fælicitatis illexit, & admiratione defixit, vt bonum illic eſſe crederet Petrus, ibique tabernacula tria fieri poſtularet. Cuius petitionis cauſa cum à ſumma quam ſentiebat animo voluptate, & gloriæ deſiderio naſceretur, & à transfigurato Chriſto manaret, operepretium me facturum existimo ſi quanta ſit huius delectationis internæ dignitas, quid in mentibus noſtris efficiat, & quid tandem à nobis præſtandum ſit, vt hoc cæleſti dono fruamur, breuiter explicauero. Quemadmodum mercatores merces ſuas diſtrahere cupientes, aliqua ſaltem ex parte ſpectandas obijciunt, & ſi res patitur, prægustari ſinunt, vt earum aſpectu pariter, & guſtu, pretium quod exigitur, tradere non pigeat emptores. Ita naturæ Conditor, qui regnum ſuum, æternamque fælicitatem venalem habet, eam dilectis ſuis in hac vita aliquatenus offert prælibandam, vt eius dulcedine allecti, laboris pretium, quod pro ea petitur, reddere non detrectent. Vnde Chriſtus hodie abſconditum Manna diſcipulis promit, incluſos ſapientiæ theſauros quodammodo pandit, vt ſuauitas, & pulchritudo, incomprehenſibiliſque tanti arcani maieſtas, ad mundi contemptum diſcipulorum animos incitaret. Huius enim diuinæ gloriæ vt guſtauit excellentiam Petrus, omnium inferiorum oblitus, quaſi ebrius exclamat: Domine, bonum eſt nos hic eſſe; hic perſiſtamus, hic immoremur, hic vitam finiamus, tuique vultus ſplendorem iugiter contemplemur. Sed nihil mirum profecto: guſtauerat

Tim. 3.

enim quandam inexplicabilis dulcedinis guttulam, & sic omnia alia fastidiebat, & non solum fastidiebat, sed gaudio illo omnes animæ sinus penetrante extra se positus, quid diceret ignorabat, cum tria tabernacula in monte Tabor construi oportere iudicabat: sed excesserat mentem Petri gloriæ fulgor excelsus, suiq. magistri amore æstuãs immemor sui, Christo, Moysi & Eliæ tabernacula ædificare cupiebat. Vt enim
Augustinus. sanctus Augustinus ait, amore anima sedecit, & excedit à corporis sensibus, vt sese non sentiat quæ Deum sentit. Hanc dulcedinem gustauerat in Canticis Sponsa, cum ad sodales
Cant. 1. adolescentulas dicebat: Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Per cellaria autem intelligit fercula illa suauissima, æternique conuiuij delicias, in quos à cælesti Sponso introductam se esse gloriatur, dum æternæ fælicitatis velut primitias quasdam prægustauerat, vt earum prælibatione ad easdem plenius consequendas per labores & certamina alacrius curreret. Quid putas eadem accipiet in cælo quando peruentum fuerit in eum locum, de quo B. Paulus:
1. Cor. 2. Neque oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se? Quid tunc dicturus es ouium Pastor, Domine, bonum est nos hic esse. Et vere bonum, est enim beatitudo status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Sed qualis, quantusque sit huius spiritalis delectationis in nobis effectus, piæ mentes, & rerum diuinarum indagatrices experimento comperiunt. Quod à singulari diuinæ prouidentiæ beneficio fluere, quis est qui non videat? Nam cum natura hominis voluptatum sit maximè auida, tristitiæ, atque doloris fugax, & inimica facile à virtutibus resiliret, nisi lætitiam in mœrore, in dolore voluptatem, in paupertate diuitias, in obsequio libertatem, in fame & siti redundantia consolationis fluenta, & pabula prægustaret. Hinc ergo ne terrenæ voluptatis insitus amor studio virtutis noceat, opifex naturæ nostræ Deus antidotum salutare (speciale scilicet gaudium) aduersus hoc commune venenum prouidit. Ea quippe huius dulcedinis est vis, vt sicut oriente sole tenebræ pelluntur, atque diffugiunt splendidissimum Solis iubar ferre non valentes, ita quando spiritales & castæ, diuinique spiritus delitiæ mentem occupant, omnes carnales, atque

terrenæ

terrenæ cogitationes profligantur. Vnde S. Gregorius: Cum anima, inquit, internis diuitijs abundare cœpit, terrenis opibus incubare non consentit, sed amore Conditoris sui capta, & ipsa captiuitate iam libera ad contemplandam eius speciem deficiendo suspirat. Harum deliciarum sapore pij homines allecti, appetunt quæ antea contemnebant, contemnunt quæ appetere solebant, respuunt quæ antea desiderabant, totoque studio captare nituntur, quæ prius vt incognita fastidiebant. Sed ad hæc audita, vt inquit idem Gregorius, imperfectaque cognita inardescit animus, iamque illic cupit assuescere, vbi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores. Delectat igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat pœnitentiæ certamen. S. Greg. S. Greg.

Ad hanc verò gloriæ dulcedinem quomodo peruenire possimus Euangelica lectione cognoscimus. In ea quippe legimus Christum discipulos suos in montem excelsum seorsum adduxisse, ibique (vt Marcus ait) dum oraret, speciem vultus eius fuisse mutatam. Qua ex re intelligimus hæc in oratione nobis à Deo præstari, in qua mens nostra curas omnes, & sæculi cogitationes à se procul abijcit, totaque intra seipsam collecta, ad diuinæ lucis radios sinus suos libere expandit, supplicemque se Domino exhibens, eius misericordiam deprecatur, summo gaudio perfunditur, incredibilique lætitia pascitur, & oblectatur. Hoc enim Dominus pijs hominibus apud Isaiam promittit, cum ait: Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Quia vero pura, atque deuota oratio, ab strepitu curarum, phantasmatum imaginibus, & negotiorum turbine libera esse debet: ideo in montem excelsum seorsum extra ciuitatem discipulos adduxit, vt solitudinis recursus exprimerent. Isai. 56.

Quamobrem P. Amp. si adduci in montem Tabor, idest luminis ascensionem cum Domino cupimus, Petrum, Iacobum, & Ioannem imitemur, qui nominum suorum significationem sectantes Christo Domino placuerunt. Petrus enim interpretatur agnoscens, Iacobus supplantator, Ioannes autem nomine gratia significatur. Agnoscamus igitur Deum, vt in nobis eius sit charitas, atque dilectio, nosmetipsos noscamus, vt elatio spiritus fugiat, & vana præsumptio. Proximos

ximos denique nostros agnoscamus, vt eos inopes adiuuemus. Iacob post luctam accepit benedictionem, & nos quoque benedicemur, si aduersus mundum, carnem, & diabolum fortiter eluctemur. At cum Dei gratia simus id quod sumus, ad hanc aspiremus oportet, eam possideamus, possessam conseruemus, conseruatam augere nitamur; sic enim ad illam inaccessibilem lucem peruenire valebimus. Quis enim ad huiusmodi montis culmen ascendet, coinquinatus, pollutus, immundus? minime gentium, sed innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. Qui mundo corde non est, excluditur profecto ab hoc monte. Mundemus ergo animos nostros, humiliemus cor nostrum, & clamemus ad Dominum: Deduc nos Domine in ciuitatem munitam, vt vere dicere possimus, Domine bonum est nos hic esse. Vbi nullus mortis metus, vbi requies est sempiterna, gaudium immensum, consolatio perennis, pax infinita, & immarcescibilis gloria, qua perfrui mereamur. Amen.

Gen. 32.
Psal. 14. & 23.
Psal. 59.

ORATIO III.



VBLIME mysterium, absconditum sacramentum, Transfiguratio Domini nostri hodierno die in monte sancto tribus Apostolis reuelatur, ac mentibus nostris ostenditur. Vos, quotquot hic adestis, qui quæ sunt supra, sentire didicistis à Spiritu, quibus irrationalis vitæ velamen ablatum fuit, agite nunc mihi credentes, & in excelsum hunc montem Transfigurationis cum Christo, & Apostolis mente mecum conscendite. Quippe nedum ibi cessationem miraculi miraculo fere ipso admirabiliorem, ac iucundiorem videbitis, sed ex mysterio mysterium, & quæ ventura sunt, ex præteritis agnoscetis: Quomodo videlicet ipse Dominus noster (vt inquit B. Ephræm) veniet in die nouissimo in gloria sua orbis terrarum Iudex. De qua quidem

B. Effrem.
Matth. 25.

re cum ſim loquuturus, ab ea myſteriorum ſimilitudine initium mihi dicendi faciam, vnde etiam exordium capit hiſtoria.

Primo omnium corporis noſtri transfiguratio, quæ futura eſt in die reſurrectionis, & Transfiguratio Chriſti tempore ſibi reſpondent. Chriſtum enim poſt dies ſex in hoc monte transfiguratum eſſe, ſcribit Matthæus. Quod quidem tempus rite cum illo congruit, in quo futura eſt reſurrectio mortuorum: quoniam ſicut in ſex dierum perfecto numero factus eſt viſibilis hic mundus, ita ſextam poſt ætatem diſſoluetur, & fiet reſurrectio, & corporis noſtri transfiguratio in viros perfectos, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Quos omnes, ac populi futuram electionem de trium origine Sem, Cham, & Iaphet, intellexit B. Hilarius in tribus Apoſtolis aſſumptis à Chriſto, Petro, Iacobo, & Ioanne. Vt autem innueret Chriſtus, quòd multi ſunt ad gloriam illam vocati, pauci vero electi, pauciſſimos aſſumpſit, tres, inquam, tantum, non plures, aut pauciores, quoniam oportet, vt fidem ſanctæ Trinitatis incorrupta nunc ſeruent viuendi ratione, qui perpetua eiuſdem viſioue donandi ſunt. Ad quam tamen beatitudinem comparandam minimè aut hoc, aut humanæ vires, aut opera noſtra ſufficiunt: non enim ad illam condignæ ſunt paſſiones huius ſæculi, ſed opus eſt, vt Chriſtus adſumat nos prædeſtinatione, ducat vocatione, gratiæque collatione; idcirco dicitur, & quod illos aſſumpſit, & quod duxit in montem excelſum. Siquidem nemo poteſt illum in montem aſcendere, niſi Chriſtus dignetur eius fieri dux: ideo alibi legitur ipſe præire oues ſuas, & oues illum ſequi.

Matth. 17. *Ephes. 4.* *B. Hilar.* *Matth. 20.* *Rom. 8.* *Ioan. 10.*

Recte autem in montem excelſum, qui vnà cum nubibus extollitur: tum vt locus habeat quandam cum nubibus imitationem, quibus rapiemur in occurſum Domini in aera: tum vt oſtendat, quòd gloria diuinæ claritatis non in huius ſæculi profundo quærenda eſt, ſed ſurſum in contemplatione cæleſtium. Ac ſeorſum ducitur, quia ſancti viri toto animo, fideique intentione ſeiuncti ſunt à malis, penitusque ſeparabuntur in futuro.

Id vero in hunc modum fiet: Sicut Chriſtus in hoc monte transfiguratur ante eos, ita etiam tempore iudicandi transfiguratus toti mundo videbitur: præterquam tunc mirabilior

lior erit ea transfiguratio. Improbis enim ac perditis hominibus admirandam pulchritudinis suæ speciem occultabit, & solam iracundam, & terribilem ostendet: iustis autem apparebit Sole splendidior, idcirco dicitur: Et resplenduit facies eius sicut Sol. O miraculum! radij iaculabantur ex humana forma Solis ipsius illustriores. Nihil Sole fulgentius ac lucidius: & perinde nihil aptius ad manifestandum Resurrectionis exemplum, quàm vti Sol rutilans facies

1. Cor. 4. Domini, quæ reuelet abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordium, & quam nihil lateat culparum hominum, ex ipso fulgore fulguris instar oculos perstringente, ipse

Matth. 24. clarè significatur orbis terræ futurus Iudex, exiens vt fulgur ab oriente, & parens vsque ad occidens.

Hac ipsa luce indutus tanquam trophæum gestans è cælo, secundo veniet in nubibus. Tunc mutata belli figura veste victoris induetur. In bello quidem gestauit vestimenta, de

Isai. 63. quibus ille Propheta: Quare rubrum est indumentum tuum? illud enim in bello cruentauerat. In tempore autem secundi aduentus mutat vestem, non in humili amplius, atque obscura procedens, sed præclara & candida: propterea de vestibus hic dicitur: Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Hic igitur primo visus est Christus indutus instar

Psal. 44. sponsi. Beati oculi, qui speciosum viderunt præ filijs hominum, electum ex millibus, indutum lumine sicut vestimento. Beata lumina, quæ terribilem Iudicem, mitissima in specie spectauerunt. Quam enim cernent in illo die trementes Angeli, eam hodie læti viderunt homines. Et cum tanta fruerentur suauitate, ecce apparuit eis Moyses, & Elias: certè vt viuorum & mortuorum Iudicem Dominum testarentur. Moyses enim populi dux, & legislator morte ex-

4. Reg. 2. cessit è vita, Elias autem euolauit ignis auriga, cursuque vectus per aera, leges naturæ transilijt, & viam inuenit morte superiorem. Quare quis hic non videat, quod viuos ac mortuos accerset in iudicium Dominus? Quin etiam hi duo iussi sunt venire, quia his testibus prædicatus est Messias, & cum his Israelem iudicabit. Ideo quodam in loco dixit Chri

Ioan. 5. stus Iudæis: Est qui accusat vos, Moyses, in quo speratis. ad

S. Franciscus. eundem quoque modum Ordinem meum S. Franciscus accusabit, suum S. Petrus, Antesignanus quisque suum.

Sed si mente recolamus, quid tum colloqueretur (loque-

bantur


bantur enim de excessu, quem completurus erat Christus in Hierusalem) recordabimur quod etiam tum temporis in die iudicij, tam electi, quàm reprobi de excessu loquentur. Illi de excessu diuinæ misericordiæ: Quando pauimus te, quando dedimus bibere. Isti de excessu pœnarum, nam erunt sine fine. Cuius quidē excessus, diuinæ videlicet misericordiæ speciem aliquam videre si cupimus, animo consideremus, quid voluerit hoc in loco Petrus intermiscere de suo. Porro videntem Domini gloriam, & duorum virorum præsentia delectatum, tædet cunctorum temporalium, nec inde vult amplius abire, sed clamat: Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum. Vbi licet suam arguat ignorationem, Dominum vnà cum seruis enumerans: in hoc tamen non errat, quod dum ebrius ab vbertate domus Dei, nonnisi voluptatem & gaudium eructat, veritatem tantæ beatitudinis & misericordiæ contestatur. Quinimò si scintilla luminis gloriosi (proportione tanti Solis) adeo magnum incendium in pectore Petri excitauit, vt cohibere non posset ingentem animi voluptatem, quanta tunc erit in die Iudicij suauitas, & dulcedo videre Regem in decore suo, & choris psallentium Angelorum interferi? *Psal. 35.* *Isai. 33.*

Sed si hinc electis tanta bonorum vbertas, ac fœlicitas; quanta tunc erit è contra malis calamitas, & formido videre Dominum in sede maiestatis suæ, trutina appendentem opera hominum, ac iustitias iudicantem?

Si in hoc monte vox Patris audita; qui nòn venerat iudicaturus, sic eos perterruit, vt repente caderent in facies suas; quid tunc fore putandum aduersarijs eius, cum super ipsos in cælis tonabit, Ite maledicti? Nonne tunc humana fragilitas toto animo & corpore contremiscet ac ruet?

Huius ergo spectaculi imaginem, cum Christus hodierno die dederit Apostolis, eius nos terrorem studiosius animo considerantes, mores nostros ante id tempus mutemus, & meliorem ad mentem, ac sententiam reuocati, bonis operibus fiduciam paremus, ne vnà cum hoste nostro Diabolo condemnemur, sed simul cum Christo, Moyse, & Elia; non in tribus tabernaculis manufactis, sed in vno, eoque cælesti, ac æterno viuamus.

ORATIO IV.



ETERNAE beatitudinis fruitio, quæ humani eloquij facultatem longe præcellit, multumque supereminet, in transfigurati corporis Christi admirabili visione, futuræ gloriæ speciem præferentis, hodie nobis proponitur, Beatissime Pater, vbi in carne ipsius Saluatoris, velut in humanæ naturæ laterna, radij fulgentis diuinitatis latentes, ad tempus foris micare permissi sunt, vt qui in Circumcisione principium quoddam pretij redemptionis nostræ ostendit, sanguinem fundens, modo in hac transfiguratione principium præmij, & gloriæ nobis manifestare dignaretur: & sicut ad desiderium terræ promissæ filiorum Israel animos, ita nostros alacriter accenderet affectus, vt dũ hic discipuli, ac fideles cæteri visibiliter Deum cognoscerent, per hunc in inuisibilium amorem perpetuò raperentur. Venite igitur, & ascendamus ad montem Dei, montem Tabor; qui tanto illo monte Sina est excelsior, quanto felicior, abest hinc fumus, absunt tonitrua, voces, & tubæ mortalium corda tremore concutientes. Hic Solare lumen, hic niueus candor, hic candida nubes, hic iucundissima Patris vox, postremò hic Deus ipse in gloria, & maiestate de Filio suo testimonium perhibens, vniuerso orbi ducem, ac præceptorem proponit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. At quis negauerit rem sanè arduam, atque difficilem, quæ ad magni Sacramenti intelligentiam nos vocat, me non esse agressum? Quis adeò facundus, atque disertus vmquam id ne mēte quidem concipere, ne dum eloquio enarrare potuerit? Sed in rebus arduis satis sit voluisse. Verum quia omnis Christi actio nostra est instructio, in hac quidem transfiguratione illud principaliter agebatur, vt de cordibus Apostolorum scandalum Crucis funditus euerteretur, nè conturbaret eorum fidem humilitas passionis,

Matth. 17.

nis, & quibus reuelata esset excellentia maiestatis, non ita in Christo humanam crederent glorificatam esse naturam, vt nec supplicio posset affici, nec morte dissolui, sed vt idem Christus, & vnigenitus Dei, & hominis filius crederetur: vtramque enim substantiam in vnam conuenisse personam firmiter confitemur, sed nisi Fide teneatur, sermo non explicat, cum sicut in Dei Filio vera humanitas, ita vera in tali homine reperitur diuinitas; & quia vtrumque pariter erat confitendum, ideò inter diuersas aliorum opiniones, quid ipsi de eo crederent, quidvè sentirent, ad confirmandum huius Fidei saluberrimam cognitionem discipulos suos, Quem dicunt homines esse Filium hominis, Dominus interrogauerat. Vbi Petrus Apostolus corporea superans, quia non ad solam respexit carnis substantiam, & sanguinis, confessus est gloriam Deitatis, Tu es Christus Filius Dei viui. Et quod prætereundum non est, tantum in hac Fidei sublimitate complacuit, vt beatitudinis fœlicitate donatus, sacram, super quã fundata, Ecclesia portis inferi, & mortis legibus præualeret, inuiolabilis petræ acciperet firmitatem: ita quod in soluendis, & ligandis quorumcumque causis, illud ratum esset in cælis, quod Petri sedisset arbitrio. Atque ad hunc finem apparuerunt Moyses, & Elias loquentes de excessu, quem ipse Dominus completurus erat in Hierusalem, & vox Patris auditur, vt ij scirent voluntatem Patris esse, quod Christus pateretur, idque fuisse prænunciatum. Ideo nullus ambigendi remanet locus ob selecti Legislatoris, & eximij Prophetæ præsentiam Christum esse, quem lex, & Prophetæ promiserunt: quamobrem coram electis testibus, Quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum, gloriam suam aperuit Dominus, cum nil hoc salubrius, nil firmius verbo, in cuius prædicatione veteris, & noui Testamenti concinit tuba, & cum Euangelica doctrina, antiquarum protestationum instrumenta concurrunt, & quem sub velamine mysteriorum præcedentia promiserunt signa, manifestum, atque perspicuum præsentis gloriæ splendor ostendit. Ac simul in hac trãsfiguratione gustum quendam exhibuit ipse Saluator suæ glorificationis, ostendens quanta gloria sit vestiturus eos, qui hic nomen ipsius, & dictis confitentur, & factis, crucemque ferunt, ac eius vestigia sequuntur, vt sic sanctæ Ecclesiæ spes prouidè fundaretur, totumque Christi corpus agnosceret

Matth. 16.

Matth. 18.
2. Cor. 13.

ret quasi esset commutatione donandum, vt eius sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite præfulsisset. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, vt
1.Ioan.1. dilectus habet Apostolus, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit
Philip.3. corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Transfigurari autem cum sit vltra figuram ire, vt in Christo duplicem fateremur naturam; duplicemque figurã; primam ex Patre ab æterno, ex Matre secundam in tempore: hinc est quod hodie dum se in Monte transfigurauit, maternam quidem figuram non dimisit, sed mirabili gloria illam exornauit, quia ignis diuinus, qui in sinu eius inclusus erat, modo in transfiguratione per Christi faciem, per membra omnia, & vestimenta diuinos radios emisit, quos ob suæ detegendæ mortalitatis causam hucusque represserat, & qui gloriosus apparuit, mortalitatem non dimisit, vt pati, & mori posset, quando congruum & opportunum cognouisset, at nunc terrena transcendens, humanamque suo diuino lumine perfundens naturam, gloriosus apparere dignatus est.

Cum quo B. P. & nos transfiguramur etiam in hoc sæculo, & dum ad speciem futuræ glorificationis Christus inuitat, oportet in cælestibus contemplandis diutius immorari, atque libentius, & qui ad montana per temporalium abdicationem conscendimus, ad terrena declinare minimè audeamus, cum nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens
Lucæ 9. retro, aptus sit Regno Dei. Dum propter supernorum amorem inferiora prætermittimus, quia quò amplius quisque vitæ cælestis dulcedinem degustat, eo amplius fastidit omnia, quæ placebant in infimis. Dum Eliæ Prophetæ aspicientis
3.Reg.19. Dei gloriam, & maiestatem coram se prætereuntem in medium accedit instructio, qui pallio suo oculos obtexit, volens significare, quod cum quis Dei fruitur bonis, ab omnibus terrenis oculos auertit. Dum cautum esse legitur, Bestia
Exod.19. quæ tetigerit montem morte moriatur, cum brutalem vitam agentes, oculosvè nostros ad terram declinare statuentes, temerè altiora petere contendimus, vt de turba quasi subsannando dicitur, Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia, prius enim vnusquisque debilis in inferioribus sanus est, cum in excelsis infirmi esse non possint, vt paulatim virtutibus procedentibus ad montem ascendere possit, & sic discamus

ſcamus gloriam non in profundo huius ſæculi, ſed in regno ſupernæ beatitudinis eſſe quærendam, & dum ferculum fecit ſibi Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ſed aſcenſum eius fecit purpureum, ſatis ſuperque patet, quòd noſtra intereſſe monemur, per ſanguinem, & mortem, ſi opus fuerit, cæleſtis verticem adire montis oportere, Quia per multas tribulationes oportet introire in Regnum Dei. Dum expoliantes nos veterem hominem, nouum induimus, qui ſecundum Deum creatus eſt. Dum carnem noſtram crucifigentes cum vitijs, & concupiſcentijs ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei. Dum deformati, ac deordinati per naturam corruptam, perque noxios actus, & habitus, iam intus & foris bonis operationibus reformamur, & reordinamur; dum Chriſti veſtigijs inhærentes, ipſius crucifixi imagini conformes fieri opptamus, atque ſatagimus. Dum tandem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformemur à claritate in claritatem tanquam ad Domini ſpiritum. Cant. 3. Act. 14. Ad Epheſ. 4. Galat. 5. Tit. 2. 2. Cor. 3.

Eia viriliter agite, & ſicut in ijs tribus Apoſtolis vniuerſa didicit Eccleſia quicquid eorum, & aſpectus vidit, & auditus accepit, ſic omnium ſecundum prædicationem ſancti Euangelij confirmetur fides, ipſumque audiamus, qui viam aperit ad cælum, & per Crucis ſupplicium nobis gradus aſcenſionis parat ad Regnum, & inter tentationes huius vitæ prius nobis tolerantiam intelligamus eſſe poſtulandam, quam gloriam, quia tempora patiendi non poteſt fœlicitas præuenire regnandi, ſed per laborem ad requiem, & per mortem tranſitur ad vitam, hinc poſt arduum excelſi montis conſcenſum, cæleſtis extat viſio, atque fruitio.

O fœlix aſcenſus, cuius gradus ſunt virtutes, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion; quando poſt ſex dies, euolutis ſex humanæ vitæ curriculis, ſextaque iam euoluta mundi ætate, quando ſex diebus operaberis, ſeptimo autem die ceſſabis arare, & metere, vti præcepit Deus, hoc eſt toto decurſo tempore in bonis operationibus, carne, mundo deuictis, dæmoneq. ſubacto; quia militia eſt vita hominis ſuper terram, tunc poſt conſumationem illam, de qua Apoſtolus: Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona Pſal. 83. Exod. 35. 2. Tim. 4.

iuſti-

iustitiæ, tunc inquam sempiterna erit requies. fœlixcælestis montis beatitudo perpetua, iucunda, atque secura fruitio.

ORATIO V.



LORIFICATVRVS Ecclesiam suam nouissimis pene diebus Dei virtus, & sapientia Christus Beatissime Pater, hodie in monte sancto transfigurationis mysterio efficacissima bonitatis suæ argumenta nobis apertissimè demonstrauit. Ex quo maximè vtilem, ac quam lucidam nubem in hoc sacratissimo mysterio Apostoli obumbrati ducem habuerunt, eadem orationi meæ sese ducem præberet, & quantum cæli clementia Dei Patris testimonio, viua & intelligibili voce eisdem confirmauit, tantundem Dei bonitas mihi de Christi mirifica trãsfiguratione verba facturo præberet copiam ad dicendum, & vna cum amplitudine rerũ cresceret vis ingenij, vt eloquentior effectus Imperatorem, & Regem Saluatorem nostrum cum Moyse, & Helia magnalia loquentem, exacto, & graui orationis genere celebrarem.

At si mens erigenda, si vox altius extollenda vnquam fuit, hodie in primis vniuersæ, & mentis, & vocis effundendæ vires.

Hodie quidem Christi Domini nostri claritas, & gloria lætis acclamationibus prosequenda. Hodie rerum multo ante feliciter gestarum memoria, grata commemoratione recolenda, quando rudes, infirmos, ac trepidos discipulos, qui ob Dominicæ passionis atrocitatem expauerant, vt resurrectionis veritatem sine vlla mentis hæsitatione quidem exciperent, & aliquo interim promissæ beatitudinis pignore prægustato lætarentur. Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & eduxit illos in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos. *Matt. 17.*

Enimuero quando in vtero Virginis Verbum caro factum est,

est, & in forma Dei existens, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Philip. 2.

Atque in ipso Verbo incarnato omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitauit, & omnes thesauri sapientiæ,& scientiæ Dei absconditi fuerunt, tunc Solem nube texit Altissimus, & mortalitatis nostræ lagena diuinitatis suæ faciem abscondit. Hodie pulcherrimus noster Ioseph facie decorus missus à patre de Valle Hebron in Sichen venit, fratres suos quærens,indutus stola byssina currum gloriæ suæ ascēdit,speciosus forma præ filijs hominum, candidus, rubicundus, ex millibus electus graditur, tanquam sponsus procedens de thalamo suo, & quasi Vnigenitus à Patre, plenus gratiæ, & veritatis, amictus lumine sicut vestimento. Hodie cilicina saga cooperientia tectū tabernaculi conuoluta quasi tabernacula pastorum fidelissimo Regni cælestis ianitori Petro, & primo ex Apostolis Martyri Iacobo,& præ omnibus dilectissimo Ioanni diuinitatis potentiā ineffabili splendore coruscantem mirabiliter ostendunt. Hodie transfigurato Domino refulsit Sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes Tabor & Hermon gaudium & lætitiam personantes, quoniā gloria Libani data est eis, decor Carmeli,& Saron; ipsi viderunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri. Hodie in montis vertice cernētibus Discipulis, magnus paterfamilias Christus protulit de thesauris suis noua & vetera,gloriæ claritatem ab ipsa diuinitate, & animæ gloria vsque ad corporis indumenta profluentem: quare resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, in qua existente maiestate, ecce apparuerunt Moyses, & Helias. Coloss. 2. Gen. 37. 1. Machab. 6. Matth. 17.

Cum Christo verò loquentes, non de glorioso eius ad Patrem ascensu, quando patrato redemptionis opere, disseminato per omnem Iudæam, ad quam missus fuerat, Euangelio, corroboratis Discipulorum animis,& omnibus ex sententia confectis, diuturniorem sui præsentiam hominibus haud necessariam ratus, sacrum corpus, quod in vtero Virginis à Spiritu sancto fuerat fabrefactum, comitantibus Patriarchis, & Prophetis, Angelis exhibendum censuit.

Non de magnifico, aut triumphali cum Maiestate descensu,

ſu, & poteſtate magna, quam die iudicij vnicuique redditurus eſt iuxta opera ſua loquebatur: ſed de exceſſu eius quem completurus erat in Hieruſalem cum morte cum vita commutaturus erat. Hoc eſt de crudeli morte, & funeſta paſſione, quam pro omnibus hominibus ab ingratis, incredulisq. Iudæis reportaturus erat, & non de mundi huius inquinamentis, ambitionibus, atque vanis delitijs in tanto gloriæ pignore loquebantur, vti aſſueuerunt hiſce in tenebris obcæcati homines: at de his hactenus, ſed de exceſſu qui mors eſt Chriſti.

Et merito quidem mors Chriſti exceſſus dicitur, etenim vix pro iuſto quis moritur, & arduum quidem, nam maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. At vero commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. *Ioan. 15.*

O Paternæ dilectionis exceſſus, qui propriu Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. O ineſtimabilis dilectio charitatis, vt ſeruum Dominus redimeret, eiuſque ſcelera ſanguinis vnda lauaret, expiaretque Pater æternus Filium ſibi conſubſtantialem, coæternum, & coæqualem, dignatus eſt morti tradere; & quiſnam excogitari poſſet maior exceſſus, vbi æternus naſcitur in tempore, impaſſibilis patitur, & cruci defixus inter iniquos moritur Filius Dei.

Quamobrem in tanto Transfigurationis ſacramento de exceſſu huiuſmodi loquebatur Chriſtus, quoniam pro peccatoribus mori glorioſum ſibi eſſe reputauit, ſicut Eccleſia canit: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Nulla enim pro gloria rependitur gratia, ſed pro collato redemptionis beneficio, morte eius intercedente propter miſericordiam ſuam, hanc quam ipſe gloriam appellat; in cuius ſignum ad Crucem cum latronibus & prædonibus trahendus, crudelemque necem ſubiturus, ſubleuatis oculis in cælum dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum; ac ſi diceret: Hæc mihi pro gloria duco, proque hominum delictis iſta patiar. *Ioan. 17.*

Sed vlteriora videamus Patres Ampliſſimi. Iſte enim amoris exceſſus, in Chriſti carne dira paſsione completur, & in eius ſacratiſſima humanitate immani morte refunditur. Hãc Chriſti laceram carnem, & attritam humanitatem indumen-

tum

tum valde bonum appellat Scriptura (vt Genesis refert) Et vestibus valde bonis induit eum mater sua, quia eximia, ac summa diuinitatis vestis, Deitatis habitus, omnipotentiæ stola, impassibilitatis chlamys, immortalitatis pallium, vt ita dicam, mortalitatis indumentum, in quo completurus erat amoris excessum valde bonum esse dicit: & merito quidem, quia sicut nihil mihi nasci profuit Christum, nisi redimi profuisset, vt recenset Ecclesia, sic non pro me satis fecisset diuinitate, nisi assumpsisset humanitatem.

Sic igitur nos reuocat ad vitam, accessit, & tetigit loculum, Lucas commemorat, accessit per cognationem; quia incarnatus venit ad hominem, & nusquam Angelos accepit, sed semen Abrahæ accepit, & quia non glorificator tantum, sed Redemptor aduenerat, tetigit loculum nostra tollens peccata: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, & pelliculis hædorum, scilicet delictorum nostrorum socijs innocentiæ suæ nuda protexit. O bonum, & valde bonum indumentum, quo nos redemit! O superexcedens excessus, qui mortis Christum, & redemptionis hominem fecit hæredem!

De hoc igitur excessu loquebatur cum Moyse, & Elia Christus, quando Petrus guttula gloriæ tum allectus, rerum agendarum protinus oblitus, cum his perpetuo in monte permanere bonum sibi esse ducebat, dicens: Domine bonum est nos hic esse. Quod si tenuis dulcedinis guttula Petrum tantopere affecit, vt tanto gaudio profunderetur, quantum lætificabit nos in Ciuitate Dei fluminis impetus? Si gloriæ claritas per solum transitum perspecta adeo Petrum excitauit, vt feruentissimo affectu raptus ibi semper manere exoptaret, quanto nos ineffabilium gaudiorum dulcedine, & suauitatis abundantia in perenni patria perfrueremur, vbi similes Deo erimus, & superna Ciuitate donati, videbimus Deum sicuti est: vbi lætabimur coram eo, & gaudium nostrum nemo tollet à nobis.

Hac igitur occasione, Patres Amplissimi, in excelsum mōtem transfigurandus ascēdit Dominus, vt intelligamus, quod si cælestis gloriæ participes esse cupimus, non solum de Saluatoris nostri atroci morte loquentes, sed à tumultibus sæculi semoti, exulesque esse debemus. Hocque super montem excelsum gestum est, vt quæ sursum sunt sapientes, non

quæ ſuper terram in eandem imaginem, tanquam ad Domini gloriam de claritate in claritatem transformemur.

Sic veſtigia Chriſti ſectantes pergemus ad videndum non pignus, ſed certiſſimos Chriſti Domini noſtri transfigurationis fructus, ita vt ſi ipſe in monte transfiguratus hodie comparuit, & nos in gloriam ipſo coadiuuante transformati erimus.

Ad gloriam itaque in hac transfiguratione oſtenſam, incolendamque nati, ò Patres Ampliſſimi, auditoresque optimi, quid humo defixi hæremus? ad æternitatem cum Chriſto habendam facti, quid fluxis & caducis immoramur?

Cæleſtis Hieruſalem ciues futuri, quid ſuper flumina Babylonis ædificamus? Ne magnum quæſo cenſeatis quod fine concluditur. Ne firmum exiſtimetis quod viciſſitudini ſubditur, quia fallax eſt omnis rerum ſublunarium proſperitas. Suſpicite igitur in hoc ſacratiſſimo Transfigurationis myſterio Chriſti gloriam, eiuſque immenſitatem, & ornatum, atque ad ſtabiles, firmasq. opes animum aduertite. Hiſce per terrenam ſpeciem volitantibus vmbris ne incumbatis, ſed ad illam amplitudinem contendite, ibi mente manete, vbi animo permanſuri eſtis, & corpore, vbi plenam cum Chriſto habituri eſtis æternam felicitatem. Amen.



DOMI-

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE.



ORATIO PRIMA.

Erat IESVS eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Lucæ 11.



I quando delinquentis animæ, & peccatis obnoxiæ verum ſimulacrum, expreſſamque effigiem intueri concupiuimus, Beatiſſime Pater, in hunc profectò miſerum, & infelicem hominem, quem modo in Euangelio à Chriſto Domino tanta vniuerſæ Iudaicæ plebis admiratione curatum audiuimus, mentis oculos conijcere, & in eo tāquam in ſpeculo conſpicere neceſſe eſt. Huc ſiquidem pertinet Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ propoſitum, quæ tale nobis hodie ſpectaculum exhibet. Huc etiam pertinebit huiuſce noſtræ Orationis curſus, & finis. Nunc tu bone Ieſu, qui muti huius linguam mirabiliter ſoluiſti, ſolue quæſo etiā linguam meam, & Spiritus tui leniſſima aura benignus ſuccurre, vt quæ in hodierna Euangelica lectione latent diuina myſteria, & in his temporis anguſtijs, quod mihi aſſignatum eſt ad dicendum in hoc ampliſſimo orbis terræ theatro, in hoc auguſtiſſimo Patrum conſeſſu, coram Sanctiſſimo Vicario tuo, aliqua ex parte contemplari, & verbis explicare poſſim.

Tob. 5. Tobias vir ille sanctissimus, quòd cæcus euasisset, se miserum putabat: qui propterea eiusmodi verbis ab Angelo salutatus: Gaudium sit tibi semper; præ tristitia, & dolore protinus respondit: Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? Graue quidem, acerbum, ac miserum est oculorum lumine priuari, cum nihil in hac vita luce præstantius, & iucundius sit. Hinc cæcus ille Lucæ 18. Christo sibi dicenti: Quid vis vt faciam tibi? licet pauper, & in mendicitate positus, non tamen petijt dari sibi aurum, aut argentum, vel lapides pretiosos: sed rerum omnium pretiosissimam huius lucis vsuram existimans, mox respondit: Domine fac vt videam. Sed longe grauius censendum est, cum quis non solum oculorum lumine, sed etiam loquela, & auditu careat, vt nec ipse loqui, nec alios loquentes audire possit. At omnium grauissimum, & miserrimum esse videtur cum ad hæc omnia propriæ libertatis iactura, & turpis amissio accedit, vt alterius imperio velit, nolit, tanquam seruus subijci, & seruire cogatur. Sed tamen id quoquomodo tolerabile videretur, si non extraneo cuipiam, nec ab omni humanitate alieno subijceretur? At verò quid si non homini, sed dæmoni subijciatur, & illius immanissimi hostis imperio prematur, & iugi obsidione crucietur? Tanta certè calamitas, & miseria censenda est, vt maior, aut grauior nulla, nec reperiri, nec excogitari possit. Hæc erat huius miserrimi hominis conditio priusquàm à Christo Domino curaretur. Nam Euangelistis referentibus, erat cæcus, surdus, mutus, & à dæmone obsessus. Nec vacat mysterio, quòd Sacrosancta Romana Ecclesia hoc potissimum tempore, quod est tempus acceptabile, & dies salutis, hominem nobis tot miserijs, & angustijs circumseptum ob oculos proponat. Nam tanquam pijssima mater nos admonitos voluit in hoc eodem statu, & longe deteriore iacere animam nostram, quoties labitur, aut relabitur in peccatum. Quandoquidem per peccatum mox duram, & miseram seruitutem incurrimus, dæmonis quippe, vel dæmonum potius. Nam Aug. lib. 4. de ciu. Dei c. 5. vt dicit S. Pater Augustinus: Peccator seruus est tot dominorum quot vitiorum: sed addam illud etiam quod in hodierno Euangelio expressè docemur, quòd quoties ad peccati vomitum reuertimur, & in pristina peccata relabimur, toties septem alijs spiritibus immundis subijcimur, qui ad

interi-

interitum animæ nostræ promptiores, & vehementiores existunt. Tunc vadit (inquit Saluator noster) & assumit secum septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi; & fic fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Verè peiora prioribus. Nam prius vni tantum subijciebatur, deinde verò septem patitur tyrannos. Quid, inquam, septem? immo multo plures: frequenter enim in sacris paginis numerum certum pro incerto poni, consuetudine receptum est. O duram igitur & miseram, ac verè miseram peccatricis animæ conditionem! Nam si misera, & miserabilis ciuitas illa putanda est, quæ à feris incolitur, quanto magis miseram & miserabilem censebimus ciuitatem, vt ita dicam, animæ nostræ, quæ ad imaginem, & similitudinem Dei facta, vt sit templum, & tabernaculum Dei, non à Deo, sed à dæmone, immo à legione dæmonum interdum inhabitatur? Quid mirum igitur si aliquando, quid dico aliquando? immo sæpissimè nostris hisce miseris temporibus videre liceat quoddam genus hominum, qui in tam scelesta, & nefaria facinora interdum prorumpere non erubescunt, vt non homines, sed feræ, vel potius dæmones videantur? Non mirum, inquam, cum à dæmonibus eorum animæ inhabitentur, non quòd dæmones animæ essentiam ingrediantur, cum id per eos fieri nullo pacto possit, sed quia circa animam operantur. Quid autem operentur, facile videre poterimus, si hunc miserum hominem, qui nobis hodie proponitur, contemplemur. Nam hæc eadem operatur dæmon in anima subdita peccatis, quæ operatus est hodie in huius miseri hominis corpore, quod possidebat. Primo namque, vt illius moris est, animam obcæcat, & ei tot tenebras offundit, vt nec quæ amittit bona, nec quæ incurrit mala, videat; clausam nimirum sibi esse cæli ianuam, & apertas inferorum portas. Quinimmo adeo pessimæ, & miserrimæ conditionis est cæcitas ista, quam in anima operatur dæmon, vt qui ea laborant, neutiquàm seipsos cognoscant. Hinc propterea fit, quòd multi aliorum peccata facilè vident, seipsos autem quamuis auaros, quamuis superbos, & alijs vitijs immersos non videant, nec cognoscant. Quod quidem extremi interitus, & æternæ damnationis satis apertum indicium est. Nam idcirco Christus Dominus quibusdam peccatoribus dicebat: Si cæci essetis, *Ioan. 9.* non haberetis peccatum: nunc vero dicitis: Quia videmus,

pecca-

peccatum veſtrum manet. Atque in hoc apertè diaboli fortitudo, & mira eius poteſtas declaratur, de qua Dominus in Euangelio dicit: Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. Quid enim mirabilius, aut potius miſerabilius, quàm cernere tyrannum adeo impium, impietatem, & immanitatem ſuã exercere, & captiuos ſuos, non reclamantes, non reluctantes, non eius tyrannidem incuſantes, ſed ſponte obſequentes in captiuitate ſecuros detinere. Nam qui olim Pharaonis ſeruitio captiui premebantur, ij planè captiuitas ſuæ conditionem iugiter deplorabãt, & ad libertatem ſemper aſpirabant. At in hac ſpirituali animarum captiuitate nihil tale videtur, ſed in ſumma pace, ac ſecuritate quaſi in amœniſſimo quodam loco homines agere, nec captiuitatem ſuam horrere, ſed ea potius tantopere oblectari, vt in vtramque aurem dormire, & in ſumma tranquillitate vitam ſuam degere videantur. Nec ſolum immaniſſimus ille tyrannus hanc in ſuos captiuos ſæuitiam, vel potius tyrannidem exercet, internos oculos ſcilicet claudendo, ſed aures etiam ijſdem obturat, ne ad illa ipſa, quæ firma fide credunt, animum aduertant. Vnde de his dicebat Deus per Ezechielem: Qui oculos habent ad videndum, & non vident: & aures ad audiendum, & non audiunt. Non eſt igitur mirum ſi nonnullos plerumque videmus alicui vitio ita pertinaciter addictos eſſe, vt nullis rationibus, nullis precibus, nullo nec humano, nec diuino timore, nec miraculis quidem à tali vitio deterreri, aut reuocari poſſint. Neque propterea hic quieſcit callidiſſimus hoſtis, ſed noſtræ damnationi ſemper intentus, nihil intentatum relinquit, nullum non mouet lapidem, nulla in re non inſidias nobis, & laqueos tendit. Nam in otio & in negotio: in pace & in bello: in paupertate & in diuitijs: in abſtinentia & ſaturitate: in vita publica & in priuata: ac poſtremo in ſermone pariter, & in ſilentio nobis inſidias molitur. Nam & homines loquaces aliquando efficit, inania, turpia, & pernicioſa verba effutientes: aliquando vero, vt miſerum hunc hominem, ſilentes, & mutos reddit. Quod ijs quoque plerumque accidit, qui cum ex officio alios arguere, obſecrare, & increpare debeant in omni patientia, ſcilicet & doctrina, vt dicit Apoſtolus, nihilominus tacent, & veluti elingues efficiuntur, nec audiunt Deum ijſdem comminantem, cum per Ezechielem dicit:

Ezech.12. *2.Tim.4.*

dicit: Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina: & populus non se custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Et alibi de ijsdem conqueritur, cum per Isaiam dicit: Speculatores eius cæci, canes muti non valentes latrare. Caueant igitur qui super muros Ierusalem positi sunt custodes, & aliorum curam susceperunt, ne opera, & astutia satanæ dormiant, aut taceant. Nam quid speculatoribus cum somno? quid canibus cum silentio? Si speculatores sunt, vigilare, non dormire: si canes, latrare, non tacere debent. Soluant igitur, & dissoluant vincula oris sui. Solue, inquit Deus per Isaiam, vincula colli tui. Non dicit manuum, aut pedum tuorum, sed colli tui, nobis innuens in hoc præcipuè inuigilare debere custodes custodientes muros Ierusalem, vt linguam habeant expeditam, vt vinculis dissolutis, omnique remoto impedimento, liberè, & expeditè latrare possint. Sed quis vnquam poterit eiusmodi vincula dissoluere, & tot, tantaque amouere impedimenta? Nam ad vincendum fortem fortior necessario requiritur. Sed quis fortior dæmone, nisi ipsemet Christus Dei Filius? In hoc enim apparuit Filius Dei, inquit Ioannes in sua Canonica, vt dissoluat opera diaboli.

Ezech. 33. *Isai. 56.* *Isai. 52.* *1. Ioan. 3.*

Ad Christum igitur Dominum nostrum confugiendum est, & summis precibus contendendum, vt quemadmodum miserrimi huius hominis hodierna die misertus est, ab illo dæmonem eijciendo, oculos illuminando, aures aperiendo, & linguam soluendo; ita misereatur nostri, & benedicat nobis, & illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, vt aures nostræ, & os nostrum, quod patebat antea mendacijs, periurijs, conuitijs; imprecationibus, adulationibus, & turpiloquijs, nunc soli Deo pateat, ipsum laudando, & benedicendo in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 66.



ORA-

ORATIO II.



I vel illud vnum maturè conside-
rarent homines, & accuratè pen-
sarent quid modo cum sanctum
Euangelium legeretur audiuimus
P. B. viderent, ac prospicerent tā-
tam esse diuinam benignitatem, vt
sicut nulla vnquā Dei largitione
est exhausta, sic nullis hominum
criminibus sit imminuta, sed au-
cta, & ita, vt illius incrementum
admirari potius possimus, quàm comprehendere. Quid e-
nim filij Israel, patres suos ob impium dæmonum cultum,
quàm sæpissimè punitos intuiti, merebantur cum thura eo-
rundē simulacris incendissent? sic tamen Deus vindicauit in-
iuriam, vt benignitatem non subduxerit, cum permiserit eos
à dæmonibus, quibus se dederant diuexari, & quàm durissi-
mè post optatissimum etiam Christi aduentum cruciari; vt
suo ipsorum malo edocti, & quos voluissent vt Deos, experi-
rētur: & quos sic obstinatè venerati essent, cognoscerent; sic-
que ad ipsum benignissimum Deum redirent; nec alium post
hac Saluatorem extra vnum Christum, qui venerat vt ex-
pleret omnem expectationem diuturni desiderij patrum, &
maiorum, aut venerarentur, aut expectarent. Huic rei ar-
gumento est oppressus à dæmone, quem ipse iniquus hostis
ad vim promptus, & ad omne malum expeditus, simul ac
Luc. 11. potestas ei primum facta est, mutum, vt Lucas ait, surdum
Matth. 9. quoque ac cæcum, vt alij Euangelistæ testantur, effecerat;
Mar. 3. sicque afflixerat, vt parentes eius (quod miserrimum est)
non haberent, nec spei quidem extremum solatium, sed in
spe essent, si in spe erant, desperatissima. Hunc enim homi-
nem, si licet eum hominem appellare, qui nihil, aut parum
distat à lapide, mox vt Redemptor aspexit, qua benignitate
nostram carnem assumpserat; tulit opem, ac verbo, vel nutu
coegit hostem abire; subitoque vidit qui cæcus erat, audiuit
surdus, & loquutus est mutus. Eo autem loquente, & ser-

mone

mone quem ſolo Dei munere, & conceſsu acceperat, benignitatẽ liberaliſſimi Dei prædicante,concurrunt omnes,aſpiciunt,admirantur,obſtupeſcunt,gaudent amici,lætantur parentes, & qui liberatus eſt,totus vndique exhilaratur. Nec abs re,cum ea omnia ſimul acceperit,quibus nihil delectabilius, nihil gratius, nihil iucundius, nihil charius afferri poterat. Quid enim delectabilius quàm hoc cælum aſpicere, & quæ ſub aſpectum cadunt intueri? Quid gratius quàm quæ animo concipimus, illis exprimere, quibus cum viuimus neceſſariò? Quid iucundius,quàm mirificam humani ſermonis eloquentiam, & ſuauitatem excipere his auribus, & haurire? Quid charius,quàm vitam viuere, & eam voluptatem experiri, quæ iucundè, ac ſuauiter blanditur ſenſibus? Hic cæcus erat, ſurdus erat,mutus erat, ſine ſenſu erat,ſine mente erat, fruſtum carnis erat, mortuus erat, nihil erat (detractis enim de homine ſenſibus ac mente, reliquum nihil eſt) & ad Chriſti nutum, hæc omnia etiam cum non ſperaret accepit. Iure ergo lætabatur, & exultabat, Deoque immortali quantum poterat gratiarum agebat. Turbæ autem hoc nouo, & inſigni negotio excitatæ admirantur, & cum ſcirent tanti mali, nec vllam conſolationem reperiri poſſe ſine Rege Meſſia, quærunt apud Matthæum, & dicunt: Numquid hic eſt filius Dauid, præter quem ſcilicet reliquum habemus neminem in quo ſpem noſtram ponamus? Numquid impletum eſt illud Iſaiæ oraculum: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Scribæ verò,& Phariſæi, qui hanc veritatem teſtari,ac defendere, & opus hoc tàm mirabile,vna voce, & conſenſu laudare, & approbare debebant, dicunt virtute dæmonis id eſſe factum: nec tamen credebant ſic rem habere, vt Chriſtus virtute dæmonis dæmonem exterminaſſet, ac eieciſſet. Plurima enim viderant, & audiuerant firma, & grauia diuinæ virtutis eius teſtimonia; ſed cum maximo eum in honore, & pretio eſse apud populum viderent, inuidia lacerati, confecti, exeſi deſciuerunt à veritate multorum oculis teſtata, & manifeſta,ſtudiũque quod ad commemorandam gratiam expendendum erat, id detrahendo benefactori conſumpſerunt; vt ipſum cui obſtricti eſse debebant memoria tanti beneficij ſempiterna,in inuidiam vocarent, & voluntatem plebis alienarent ab eo.

Matth. 12.

Iſai. 35.

O dirum ſcelus! O inuidiam inexplebilem! O audaciam ſingularem! Quis vnquam vidit, quis intellexit, quis vel fieri poſse credidit, vt qui cæteris ſanctiores videntur, honeſtū reſpuant, veritatem negent, Deum non metuant? Perfregit in eis omne virtutis decus inexplebilis honorum cupiditas. Vicit honeſti amorem, commodi ſtudium; vicit veritatis obſequium triſtis inuidia; vicit caſtiſſimum Dei timorem turpis audacia; & hæc illos eò deduxit, vt etiam parati eſsent ſacramento contendere, & affirmare ſic eſse. O deprauatos, fœdos, turpificatos animos: ò conſceleratas, nefarias, impias voluntates! Non potuerunt tamen (adeſtote quæſo animis, & attendite) non potuerunt tamen hac frigida, & ieiuna calumnia tantum efficere, vt populus de ſententia diſcederet, nec potuerunt tanta impietate Chriſtum abducere, vt ſuam in hoc etiam benignitatem non oſtenderet. Nimirum ſic benignè reſpondet, nec dedignatur ratione diluere, quod ſibi falſo crimen obijciebant. Quomodo in Beelzebub eijcio dæmonia? Conferte cum illis ſtudijs ſtudia mea, & videte ſi vel minimam cum illo habeam neceſſitudinem, vel commercium. Ille verbis quæ profert decipit, ego erudio: ille vitia ſeminat, ego calco: ille virtutes obterit, ego ſuſcito: ille obcæcat homines, ego illumino: ille obturat aures, ego refero: ille linguam detinet, ego ſoluo: ille diſpergit oues, ego colligo: ille vulnera infert, ego ſano: ille venit vt mactet & perdat, ego vt vitam habeant, & abundantius habeant. Aſpicite ergo, intueamini, conferte acta, & videte ſi quid mihi cum illo commune eſt; ſicque cognoſcite crimen, arguite, iudicate. Qui enim non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit. O ſummam Filij Dei humanitatem, ò immenſam Redemptoris noſtri benignitatem! Cognita itaque huius virtutis excellentia, & perſpecta, quomodo ſeruari poſſit diutius nobiſcum, & augeſcere (dicam enim paucis) videamus. Minatur nouiſſima Iudæorum longe deteriora quàm prima futura eſse, ſi rediens immundus ſpiritus domum vacantem, ſcopiſque mundatam, & ornatam, hoc eſt eos inerti ocio deditos, nudiſque cæremonijs addictos inueniret. Optabat enim vt his minis perceptis, illi reſipiſcerent; nos verò cognoſceremus non ocioſa fide, ſed operoſa charitate diu nobiſcum ſeruari Dei benignitatem, atque in diem ex die capere incrementum. Fides enim

quæ

quæ principium est nostræ salutis,per dilectionē, vt ait Apostolus, operatur, cuius calor erumpit in opus, cum nesciat otiosus esse, sicut dicitur: Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo,& vestimenta illius non ardeant?Ociū ergo, cuius non minus quàm negotij ratio nobis reddenda est, veluti pestes & animorum perniciem expellamus, exterminemus,eijciamus! Nullus est enim tam aptus,tamq. perfectus animus, qui non hebescat, & languescat in otio; virtutemque omnem longa exercitatione acquisitam non amittat. In ignauum quippe dicitur, Habenti dabitur, & non habenti, etiam quod habet auferetur ab eo. Vigilemus itaque & excubemus,quia nefarius prædo, qui humani generis felicitatē, claris oculis intueri non potest, nostram hæreditatē diripere, vel nè eā assequamur impedire procurat,seminat intra bonū semen dormientibus agricolis infelix loliū;& nautis somno sopitis tempestates exsuscitat, vt insurgentibus vndis, & fluctibus ascendentibus,quod numquā fieri poterit, quassata iamdiu Petri nauicula demergatur. Circumspicite quæso, quot,heu,procellæ impendant, nisi vos prouideritis. Excubate P.A. quantum potestis, & vigilate pro hac vobis credita, & commendata Repub. Vobis enim idcirco est credita,vt qui si nullam haberemus Rerūpublicarum,optimi architecti ad eam ædificandam essetis, ædificatam custodiatis & conseruetis. Nusquam animis discedatis, nec ab ea deijciatis oculos; sed stetis,& maneatis in vigilia, cum plurimæ sint insidiæ, maximaque pericula sese offerant,quilibet nemo satis bene occurret, nisi vos gnari,& prudentes rerum impendentiū vestro consilio prouideritis. Vobis enim vigilantibus & multum in posterum prouidentibus,multum quoque erit nobis, vobis, Reipub. vestræ consultum; & in multos annos Deo adiuuante prouisum; quem oramus, & obsecramus,vt hoc difficili tēpore, benignitatem non subtrahat, vel diminuat,sed eam potius augeat. Vobisque Rectoribus, & moderatoribus ferat opem, quo facilius id ipsum perficiatis, quod nos optamus,& speramus.

Galat. 5. *Prou. 6.* *Marc. 4.* *Matth. 13.*



ORATIO III.

Erat IESVS eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11.



XIMIA, egregia, & mirabilia existunt (Ampl. Pat.) quæ hoc in angusto, exili, fragilique carnis ergastulo, pro eodem restaurando, ac sublimando, summi Dei, omnipotens Filius egit, tulit, docuit, præstitit. Quorum præcipuum, ac præstantissimum, habendum est, quod in compescenda, labefactanda, ac dissoluenda truculenti, immanissimique dæmonis audacia, rabie, atque tyrannide patrauit, qua Adami sobolē prodiderat, & perdiderat. Non solum animam diuinæ indignationi reddendo obnoxiā, sed humana quoque corpora miserè torquendo, variè exagitando; illud elidendo, ac dilaniando, illud in monumentis, & desertis mutum agendo, illud in aquam, & ignem proijciendo, hoc denique mutum, surdum, cæcum efficiendo. Licet autem digiti sui fortitudinem, in tanto profligando hoste, ita magnificè patefecerit, vt illum satis admirari nequeamus, longè tamen maioris virtutis est munus, eundem ex animarum explodere domicilijs, vbi præuio peccato tutè conquiescebat. Adhuc verò eminentius existit opus, illum eundem è totius orbis terrarum atrio, vbi idololatria duce tamquam Deus colebatur, expulisse, vsurpataque tyrannide expoliasse. Cæterum in primis illustrissimum factum dicamus oportet, hunc diuinitatis suæ perfidum aduersarium, æthereis, beatissimisque regionibus extorrem fecisse, & perpetuis supplicijs obstrinxisse. Itaque de dæmone à Christo quadrifariam eiecto, hoc est, è cælo, è mundo, ab anima, & à corpore, breuissimè vbi disseruero, perorabo. Nitebatur infestissimus tyrannus me tanto corripere, vt mutum redderet: sed diuina vestra auctoritas, quæ hic latissimè præualet,

ualet, & dominatur, illum exterrefacit, & fugat, & ita me reficit, & iuuat, vt præstò sim, quæ animo conceperim, breuissimè recensere. Conquiescebat olim solitarius, ante creaturarum nouitatem, æuique antiquitatem, exuberanti vndique amictus gloria, excelsa circumseptus maiestate, suamet ipsa beatitudine felicissimè perfruens, simplex, vnicus in essentia, & trinus æqualiter distinctus in Personis, summus ille Deus: verùm dominationis, fortitudinis, iustitiæ, clementiæ, innumerabiliumque encomiorum (attributa satis accomodè dicunt Theologi) omnino expers, non quod non esset Dominus, fortis, iustus, & clemens, sed quoniam nullus adhuc extabat, qui talem agnosceret, coleret, & prædicaret. Aeternæ autem prouidentiæ antiquissimum consilium erupit aliquando; hoc admirandum, immensumque orbis amphitheatrum, tot bonorum speciebus magnificè refertum condendo. Quarum omnium illæ, quas intelligentias, & substantias abstractas dixere Philosophi, nos autem Angelos dicimus, præstantissimæ, tum natura, tum officio habentur. Verumtamen non prorsus fælicissimæ, quippe quoniam aliquid concupiuerunt: alienum verò à perfecta beatitudine est quicquam appetere; cum beatitudo sit omnium bonorum plena, & firma possessio. Sed apostatarum spirituum cupido Deitatis, vel Dei æqualitatis non fuit, quamuis similitudinis diuinæ naturæ. Non enim ignorabat Angelus impossibile fore Deum fieri, quemadmodum nolle Angelum esse; quin etiam nequibat Lucifer Dei æqualitatem ambire, qui plenus sapientia, & decore in delicijs Dei constitutus ab Ezechiele describitur. Nitebatur (ni ego fallor) principatum sibi assumere (Deo inuito) in illa Beatorum Ecclesia triumphanti; quod quidem excellentissimum munus non Angelo, sed homini committere diuinum consilium decreuerat, nusquam enim Angelos apprehendere diuinum Verbum, sed semen Abrahæ prædestinauerat. Huius verò apostasiæ, & cupidinis seriem egregius ille vates Isaias appositissimè explicauerat, sic alloquendo Luciferum: Dicebas in corde tuo, In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verùm (Patres Amplissimi) nihil est ita simile Altissimo Deo, sicut natura illa creata, nempè humana, in vnitate diuini suppositi

Ezech. 28. *Hebr. 2.* *Isai. 14.*

Hebr. 5. siti assumpta, quàm homo Christus; qui non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed appellatus est à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedech, & sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tãto melior Angelis effectus, quanto differẽtius præ illis nomen hæreditauit. Hanc assumptionem, & primariam hæreditatem peruersè Lucifer concupiuit, inuidens homini prælato sibi futuro. Quid autem breuissimo temporis interuallo egerit, & qualiter à Christo eiectus fuerit, paucis aperiam. Creauerat in ipso mundi exordio Empyreas, splendidissimasque sedes opulenti gloria, & beatitudine decoras, sapientissimus opifex Deus, sanctisque Angelis mox repleuerat illas, inter quas eminentissimum extat solium, quod neutiquam Lucifero omnium Angelorum eminentissimo fuit oblatum, sed humanitati Filij Dei præsignatum, Psal. 2. homini inquam Christo; qui constitutus fuerat Rex à Deo Heb. 1. super Sion montem Sanctum eius, vt adorarent eum omnes S. Bernar. Angeli Dei. Vidit (inquit sanctus Bernardus) & inuidit Lucifer temerè contendens exaltare solium suum super thronum summi Pontificis Christi, qui erat eijciens dæmonium, quinimo è cælo penitus propulsauit, & rudentibus inferni detractum in tartarum tradidit cruciandum, sicut testatur eius Vicarius Petrus. Quam expulsionem Vates Ezechiel, Ezech. 28. ita vice Christi retulerat: Peccasti, & eieci te de mõte sancto Luca 10. Dei, & perdidi te, ò Cherub; & ipsemet Christus: Videbam sathanam sicut fulgur de cælo cadentem. Et illud erat mutum, quia insurrexerat in Verbum. Et illud erat mutum, nolens offensam in Deum, & erratum fateri. Et illud erat mutum, quia ausu temerario tentauit ad regias nuptias ascendere, non habens vestem nuptialem, & correptum obmutuit. Et illud erat mutum, nullam suæ malitiæ adinueniendo excusatiunculam. Eiectus igitur, cecidit de cælo lu-Isai. 14. cifer, qui mane oriebatur, & corruit in tenebras, vsurpando Ephes. 6. sibi principatum tenebrarum harum, traxit secum tertiam Apoc. 12. partem stellarum cæli, idest maximam Angelorum multitudinem: & si cum principe Lucifero alij complures eiecti sunt, numquid hi omnes principatum Empyreum concupiuerunt? schisma magnum profectò inter eos insurrexisset. Si autem Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum ipsius? Principem verò, & Hierarcham fieri, vnus Lucifer appetijt; cæteri verò asseclæ, vel eiusdem vanitatem comprobauere,

bauere, vel reprobauere (inuidia acti) quod homines euehendi forent ad astra, nonnulli super Angelorum, alij super Archangelorum & Thronorum choros, quin etiam aliqui ad supremam vsque Hierarchiam, quod execrandum facinus illis videbatur, vt inferioris conditionis creatura, sibi in cælis præficeretur. Bellum cient, rebellionem excitant, secessionem faciunt, terribile committitur prælium, quod sicut improbè, & improuidè obortum, ita citissimè fuit diffinitum. Erat enim Iesus eijciens dæmonium, quinimò penitus è cælo propulsatis, & eiectis seditiosis, pax, & perennis tranquillitas est constituta; & quamuis cælum, lucem, gratiam, & gloriam amiserit, simulque omnem spem recuperandi, numquam tamen dimisit audaciam æmulandi diuinitatem. Nititur in primis homines auocare ab obedientia, cultu, & cognitione veri Dei, tantamque caliginem illorum mentibus affundere, vt aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, aut lunam, rectores orbis terrarum Deos putarent, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & *Rom. 1.* serpentium, & quadrupedum; quia ad tantam insaniam adduxerat homines, vt non solum immolarent agnos, hircos, *Deut. 32.* & vitulos dæmonijs, & non Deo, dijs, quos ignorabant: *Psal. 105.* verùm etiam immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, & impleta erat terra idolis; atque ita fortis armatus custodiebat hoc atrium suum, & in pace erat possessio eius; sed vbi Christus fortior illo superueniens deuicit, & deuinxit eum, tunc arma, in quibus confidebat, abstulit; Bel de- *Dan. 14.* struxit, draconem interfecit, idola comminuit, & salutiferum Crucis vexillum (dæmoniorum terrorem) erexit, con- *Thess. 1.* uertendo per Apostolos Gentes à simulacris seruire Deo viuenti. Et illud erat mutum; silentibus simulacrorum responsis, & idolorum cultu deserto, & sopito. Vagantur enim, sed tanquam muti ob metum suppliciorum incantatores, magi, & alij occulti idololatrantes; inter quos S. Paulus enumerat auaros, penes quos adiecerim assentatores, & *Ephes. 5.* adulatores quamplurimos, obsequentiores, & summissiores dæmonijs, quàm Deo viuo, & vero. Cæterum non modo idololatriam, verum etiam propriam excellentiam, & hominis perniciem inhiando, nouam in Ecclesiam Catholicam

fraudem diabolus excogitauit, ipsa (ni fallor) idololatria deteriorem, & perniciosiorem, quæ est hæresis. Cum immundus spiritus exierit ab homine; si hunc ab Ecclesia Catholica deuiantem adinuenerit, tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima illius peiora prioribus; innuens in septuplum homine infideli hæreticum dogmatizantem esse nequiorem. Erat Dominus eijciens dæmonium, quod in veritate non stetit, nec veritatem loquitur: & vobis (Amplissimi Patres) dedit potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici: & illud erat mutum, & surdum reddidit, quia nec verbum audire, nec Deum poterat confiteri; & tamquam à gloria exclusum surdum fecit; etenim audientibus verbum Dei gloria manifestatur, sicut Apostolis in vertice montis conspicua fuit, cum vox Patris de cælo intonuit: Ipsum audite. Et ideo diabolus surdum etiam hominem fecit, ne posset Dei verbum illius auribus insonare, sed imperio Christi fugatus, patescunt clausa, vincula soluuntur, sermo redditur, auditus redit; & solus diabolus deflet, se diuturna possessione detrusum; atque ita eiecto dæmone, homo apertione aurium percipit, vt possit Fidei auditum capere, & tandem ad Paradisi gloriam feliciter peruenire, dicente Christo: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Amen.

Luc. 10. *Matth. 17.* *Chrys. ho. 52.*



ORA-

ORATIO IV.

Tunc vadit, & aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Luc. 11.



NEQVISSIMOS hoſce ſpiritus ab immundo ſpiritu ſecum aſſumptos (B.P.) ſeptem eſſe præcipua, eaque mortifera crimina, homines præſertim fideles aſſiduè perturbantia, apud omnes ſacros in confeſſo eſt auctores. Horum primus eſt ſuperbia, peruerſus celſitudinis appetitus, quo Lucifer, Angelorum omnium natura alioqui ſplendidiſſimus, olim inflatus, prorupit in hæc: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium. Ei abſimilis non extitit Rex ille, qui in domo ſua quietus, & florens arroganter aiebat: Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Quis eſt (aſſerebat alius) ex omnibus Dijs terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam de manu mea? Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi. Aſpicite quæſo (Ampliſſimi Patres) quàm altum hi de ſemetipſis ſapiant, de Diuinitate vero quàm humile ſentiant, eidem, vt ſibi diuinos rapiant honores, effrænatè detrahentes, omnem ſibi ſufficientiam arrogantes, ſe nullius opera, etiam diuina, egere iniquè credentes, imo ſe eſſe Deos, Deumque alium, præter ipſos reperiri, impudentiſſimè diffitentur. O deteſtandum ſuper omne facinus tumoris crimen! ob quod & Angelos à ſedibus cæleſtibus demiſſos, & parentes primos è paradiſo eiectos, ſanctiſſimas quoque diremptas ſocietates, multa inter mortales excitata bella, innumeras domos, & vrbes quàmplurimas euerſas fuiſſe, & eſſe veluti peſtiferum quoddam humanarum rerum calamitatum ſemen, ſatis eſt exploratum. Cætera vitia illas dumtaxat, quibus aduerſantur, virtutes impetunt, ſola ſuperbia contra præclaras

Iſai. 14. *Dan. 4.* *Ezech. 28.*

animi dotes sese erigit, & quasi communis, isque perniciosus morbos vniuersas, ac singulas vitiat, corrumpit, & destruit. Nullum sanè malum superbiæ par, quippe quæ ex homine dæmonem, conuitiatorem, maledicum, periurum, liuidum, mortis cupidum, perpetuò mærentem, perpetuò indignantem, ad iram præcipitem, ad odia pertinacem, linguæ, & gulæ indulgentem efficit. Hinc sterilitas animæ, deuotionis inopia, ad omne opus bonum segnities, ad vigilias somnolentia, nullus spiritus feruor, nulla mentis serenitas, pax nulla, neque gaudium in Spiritu sancto. Deflendum porro est eiusmodi superborum genium, luculentissimè à Ioanne scriptore sacro in Laodicensem Episcopum ita descriptũ:
Apoc.3. Dicis, quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Quænam (obsecro) miseria maior, iactura pestilentior, paupertas vehementior, cæcitas tenebrosior, nuditas infælicior, quàm homo, puluis, & cinis? Quid ergo superbis? neque enim creata est hominibus superbia, Rex hodie est, & cras morietur, & hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes, monebat Sapiens. Nam si natalia fragilis homo accuratè expendat, eadem immunda, si vitæ progressum, illum continuis detrimentis repletum, si futurum vitæ periodum, horribilem ita conspiciet, vt inde propriæ salutis pharmaca, quibus sibi medeatur, facile in semetipso desumet, atque ita seipsum deijciet, superciliaque sponte deponet, ne inuitus quandoque illa demittere (denarrante Propheta) miserrimè compellatur. Superbia verò cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? At quid ibi subdatur attendat superbus: Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Est quidem inanis huius spiritus petrarum scissuras, inaccessa, arida, & inaquosa habitare loca, dum fallaci terrestrium suauitate allectus, atque deceptus, omnia sua tutissima ducit, minora spernit, æqualibus indignatur, sublimioribus inhiat, necnon seipsum adeo semper magnificat, vt sidereas iam se obtinere sedes, tumidus existimet. Casum rebellium Angelorum oblitus, quorum tamen repudiatio, nostra esse debeat emendatio, illorumque malum nobis cooperari in bonum. Quòd si tam acriter

Eccli.10.

Isai.49.

criter actum est cum Angelo, si tam durè cum potente illo animaduersum est, quod eleuatum est cor eius, quid de me exigendum (aduertit Bernardus) misero, & infima terra? *Bernar.* ille in cælo intumuit, ego in sterquilinio: aut non discernet inter glebas, qui discreuit inter stellas? Verumenimuerò ad tàm infestum propulsandum, eliminandumque scelus, nihil est viuacius, quàm seipsum cognoscere. Etenim hominis veram sapientiam affectantis, illud est potissimum, quid ipse sit in primis, quid intra se, quid extra, quid supra, quid infra, quid contra, quid ante, quid postea, iugiter contemplari. Meditatio hæc extollentiam tollit oculorum, sui parit vilitatem, proximi charitatem, mundi contemptum, Dei amorem, & gratiam reconciliat. Verissima hac sui cognitione sibi quisque vilescit, dum animam peccatis onustam, mole caduci corporis grauatam, carnis fece infectam, erroribus diuersis implicitam, varijs timoribus trepidam, curis terrenis detentam, mille expositam periculis, difficultatibus vndique anxiam, suspicionibus obnoxiam, necessitatibus subiectam, procliuem ad vitia, hebetem, & inualidam ad virtutes se perceperit? Cumque se ita vndique abiectam, sordidam, & corruptam perspexerit, supplex, & humilis ad Christum Dominum, tanquam inuictissimum ducem clamabit: Sana animam meam, quia peccaui tibi, qui saluos facies filios pauperum, & humiliabis calumniatorem; quamlibet *Psal. 40. 71.* fortem, & armatum, vt ita videat inuidus ille, & Rex super *& 112.* omnes filios superbiæ, suscitari de puluere inopes, & de stercore erigi pauperes, qui sedeant cum principibus, & solium gloriæ teneant, doleatque adimpleri præcipuè illud: Pauper *Psal. 71.* & inops laudabunt nomen tuum. O saluberrimam omnium antidotum humilitatis medicinam, mœstos, oppressosque consolantem, tumentia corda comprimentem, tabescentia reficientem, superflua resecãtem, deprauata quæcunque corrigentem, solidissimum spiritalis ædificij fundamentum, cuius præterea latitudo in charitate disponitur, altitudo in bonorum operum parietibus erigitur, in patientia perficitur longitudo, tectum denique diuina est protectio. Omni igitur animi procul pulso tumore, humiliemur sub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore visitationis.

ORATIO V.



NTER magna beneficia, quibus hominem donauit Deus, illud esse multo maximum videtur, Pater Beatissime, vt animi conceptus exprimere, imperitos docere, afflictos consolari, Creatorem suũ vnus ex omnium viuentium cœtu diuinis celebrare laudibus possit. Nam si de cæteris sensibus loquamur, non modo ij sunt hominibus cum brutis communes, sed etiam à multis animantium homines in eis vincuntur. Aspectu enim aquila, auditu anser, odoratu canis, viribus leo longe nobis antecellunt. Sola fandi facultas mentem nos habere, ac dominium in bestias gerere docet. Quam singularem hæreditatem, humano generi diuinitus traditam, dæmon non prius vidit, quàm inuidit; possessionemque tanti boni, quantum quidem potuit, primis parentibus, ac toti eorum posteritati surripere est conatus. Inde homo in vero loquendo passus est iacturam, atque honore, quo bestijs præstabat spoliatus, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quid enim interest non dico inter mutum & iumentum, sed inter hodierni Euangelij mutum & saxum, aut truncum? nam iumenta ideo dicuntur, quòd nos iuuent: à muto, qui surdus idem sit, & cæcus, & quem præterea dæmonium obsideat, quid existere vtilitatis potest? cuius damni profecto Satan opifex fuit. Nam mox vt scelere suo de cælo præceps est deiectus, dolore amens, ira ebrius homines quoscunque insectari, vexare, vndique dolis circumscribere suis institit, atque ictu vno, vt multa simul vulnera homini inferret, sermonem statim illi adimere, & ad saxa & ligna traducere est conatus; nimirum vt quem Deus, imperandi dignitate nobilitatum, cunctis animantibus præposuerat, eundem ipse, auribus, oculis, lingua captum, ligneis quoque, & lapideis idolis subijceret. O miserandam hominis conditionem, ò mortiferam

Psal. 48.

generis

generis humani plagam! Sed Christo nostro ingentes,& immortales gratias, qui tyrannum immanissimum, longe illo fortior, superueniens vicit, alligauit, vniuersa arma eius abstulit, spolia distribuit, atque hominem, captiuum ab eo factum, in libertatem vindicauit. Nam cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, fugato enim & profligato per Christum diabolo, desiere idola loqui, cœpere muti proloqui: saxis aures excisæ, surdis patefactæ: simulachris oculi effossi, cæcis aspectus restitutus. Quod vero calumniantur Iudæi, Christum in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia, vel ex eo falsitatis arguitur, quòd neminem vmquam reperias, quem dæmon ex cæco videntem, ex surdo audientem, ex muto loquentem fecerit. Hostis enim cruenti est maleficijs pasci, non beneficijs delectari. Solus Christus cæcis aspectum, surdis auditum, mutis eloquium, ægrotis sanitatem, mortuis vitam, perditis salutem restituit. Iam vero cur putemus, Christum voluisse ab homine muto dæmonium eijcere, nisi vt ipse in eum per dona sua ingrederetur? & quem à mendacij patre elinguatum inuenerit, ipse veritatis auctor eloquentem, ac disertum efficeret? Quid igitur mirantur hodie turbæ, cum mutum loqui audiunt? mirantur ne fortasse, hominem ætate prouectum fari? at naturale est istud adulto; an vero, qui satanica obsidione sit exēptus, mirabile arbitrantur, cum liber verba proferat? quid miraculi fuerit, si quem vinculis exsolueris, is progredi incipiat? mirandum verò maximè fuerit, si qui surdus antea semper extiterit, ac propterea sermonem discere nequiuerit, qualis fuisse mutus iste dicitur, soluta illico lingua sermocinetur, rectamque Christi fidem, & suam in eum seruitutem profiteatur. Meritò igitur admirantur turbæ, quæ licet eiectum à muto diabolum intelligerent, ingressam tamen in eumdem fuisse Christi virtutem, qua statim edoctus fuit, adhuc ignorabant. Nobis vero, quibus arcana Dei diuino munere sunt reuelata, quid mirum videri possit, si eum, in quem Verbum Dei intrauerit, & rectè sensisse, & recta fuisse locutum intelligamus?

Neque vero beneficium, quod muto Christus hodie præstitit, nobis vel denegauit, vel parce dispertijt: vniuersis etenim potestatem cognoscendi veri, & eloquendi abundè in Baptismo elargitus est, quotidieque, propulso longe satana,

ad nos ipse per Sacramenta accedit, mentem nostram sedem sibi & domicilium locat, sordes omnes nostras abstergit, animam virtutibus exornat, fidem in nos, spem, & charitatem, funiculum illum triplicem, qui difficile rumpitur, infundit, labia nobis aperit, & linguas in eloquium soluit, vt laudes Dei prædicemus, nomen efferamus, beneficia commemoremus, nobiscum loqui, cum proximo loqui, cum Deo, & de Deo dies, noctesque loqui nunquam desistamus. Quid autem nobis ipsis potissimum nos oporteat loqui in promptu est.

Recogitare cum animo nostro etiam atque etiam debemus, quas in Deum, quas in fratrem, quas in nos ipsos culpas admiserimus, quæcunque à nobis mala commissa, quæcunque omissa bona fuerint, dolore immenso dolere, erratorum veniam, lachrymis ex imo corde euocatis, implorare, atque igne charitatis inflammati vetus cor exurere, nouumque Deo virtutibus imbuendum cælestibus exhibere. Fratribus vero, nobis Christi sanguine proximis, non eadem ab omnibus dicenda sunt quæ cunctis loqui liceat, sunt quæ ad Pastores Ecclesiæ præcipuè attineant: vniuersis conuenit miseros consolari, abiectos erigere, aberrantes in vijs interitus, ad salutis semitam reuocare, dormientes in peccatis ad pœnitentiam excitare, auersos à cælo, vt ad sese redeant, & ad Deum conuertantur, hortari, monere, sollicitare. Pastorũ autem & Principum Ecclesiæ proprię sunt partes, illud insuper in fratres, & sibi subiectos curare, vt imperitos doceãt, & frigentes in amore Dei cohortationibus, obsecrationibus, increpationibus accendant: & hoc quidẽ vt voluntatẽ expoliant, illud verò vt intellectũ erudiant. Quarum duarum viriũ cura Fidei Sacerdotũ aptissimè cõmissa est, vt quorum celsissima est in Ecclesia sedes, ad eos altissimis rebus, hoc est hominum, animabus consulere, ac prospicere pertineat. Clamare enim ex throno, neque vnquam cessare debent, & voce, quasi tubæ, elata, populo Christiano scelera eorum annunciare, vlcera aperire, vulnera alligare, medicamenta subministrare. Vbi vero errata singuli nostra tacita cogitatione percurrerimus, & nouæ vitæ commutatione cum dolore vero correxerimus, ac pro suo quisque officio laboranti fratri consilio, opeque succurrerimus; reliquum, quod nobis superfuerit, temporis, sicut hodiernum loquentem mutum fecisse

Isai. 58.

ciſſe credendum eſt, in gratijs Deo agendis, beneficijs eius recolendis, adoranda maieſtate, myſterijs admirandis, auxilio rebus ætatis noſtræ afflictis inuocando, lumine hæreticis & infidelibus expetendo, charitate Catholicis omnibus obſecranda, totum conſumemus.

Id quod & nobis maximè ſalutare, & proximo valde conducibile, & Deo noſtro gratiſſimum fuerit, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.



DOMI-

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE.



ORATIO PRIMA.



VAE diuina Sapientia in cæleſtis ciuitatis arce, bonorũ omnium copia affluentiſſimũ conuiuium præparauit, atque ancillas ſuas, Apoſtolos ſcilicet, in omnes mundi plateas, vias, & ſepes ad homines conuocandos miſit, eadẽ
Sap. 8. B. P. attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponẽs omnia ſuauiter, id ipſum Euangelicis lectionibus per anni circulum recurrentibus aſſiduè præſtare non deſinit; & vt de hodierna nos interim loquamur, qua ratione aptius poterat nobis via præmonſtrari, qua perducimur ad cęleſtem Hieruſalem, vbi æterna Sapientia ſuauiſſimo ſui intuitus cibo, beatorum mentes ita reficit, vt nihil vlli deficiat, vna, eademque ſufficiat omnibus, imò ſuperet ſemper quod nullus attingat, quàm turbarum exemplum nobis ob oculos proponendo? Hæ namque Chriſtum ſecutæ, mare Galilææ tranſuectæ, in deſertum ingreſſæ, montem ſubeuntes, eò tandem, Chriſto duce, deuenerunt, vbi exiguo quidem, vt videbatur pane, at non modo non deficiente, ſed etiam copiosè ſuperante, illarum famem ad ſatietatem expleuit. Iſtas ſanè nobis hodie proponit imitandas, vt & nos è proceloſo iniquitatum noſtrarum pelago enatantes, poſthabitis planis, ac floridis terrenarũ deliciarũ cãpis, pœnitentię deſertũ ingreſ-

ſi, ac

ſi, ac in ſublimem æternorum bonorum contemplationem rapti ad cæleſtis conuiuij menſam aſpiremus. In his tribus veram Sapientiam poſitam eſſe B. Bernardus aſſerit: in odio præteritorum peccatorum, in contemptu commodorum præſentium; & in futurorum præmiorum deſiderio. Nam cum à ſapore ſapientia ſit dicta, is demum ſapiens eſt appellandus, cui quæque ſapiunt vt ſunt, ac proinde qui perfecta bona totis affectanda deſiderijs, quæcumque nos inde auertunt, & diſtrahunt, viribus omnibus fugienda: huius verò mundi bona, ſeu bonorum potius imagines, ac ſpectra eatenus amanda, quatenus ad ſolidi, ac veri boni aſſecutionem conducant, ceterùm vt caduca, & tranſitoria contemnenda, intimo quodam animi ſapore diiudicet, atque diſcernat. B.Bernar.

Abierunt itaque turbæ à Chriſto in monte paſcendæ, trans mare Galilææ in deſertum; & populus quondam Iſrael rubrum mare tranſiens per deſertum pariter in terram fluentem lac, & mel deducitur. Neque enim qui varijs peccatorum fluctibus hinc inde iactantur, montem Dei ſanctũ aſcendere poſſunt, niſi primum enatantes in litore pedem figant, nec per florida, & amœna delitiarum patet aditus ad terram viuentium, ſed arcta eſt via, quæ ducit ad cælum. Nauigabamus ab initio ab omni ventorum, & procellarum iniuria ſecuri in munitiſſima originalis iuſtitiæ naui, ſed inſurgente ab Aquilone repentino ſatanicæ tentationis turbine, qui clauum in puppi ſedens tenebat primus humani generis parẽs, ad inobedientiæ ſcopulum proram aduoluit, ad quem illiſa penitus naui, & ſibi, & nobis naufragium fecit miſerrimum. Deſuper data eſt periclitantibus ſua ſingulis ſcapha baptiſmalis gratiæ, ſed & hanc miſeri in ſaxa, & ſcopulos vltro impegimus, & nulla iam iterum naufragis ſupereſſe poteſt ſalutis ſpes, niſi ſalutaris pœnitentiæ tabulam complexi è fluctibus emergentes ad litus viribus omnibus cõtendamus. Exod. 13. & 14.

Hæc P. A. noſtri ſtatus ratio, hæc ſpecies; vt quid ergo tantopere præſentibus commodis inhiamus? quò tandem mundanis affectibus animum premimus? Quid prodeſſe, vel quid non obeſſe potius poterit depreſſis in limo profundi, & vix emergere volentibus rerum terrenarum grauis, & inutilis ſarcina? Si quis caſſato iam nauigio ſpem ponit in tabula, & huius ope ſalutem quærit, non modo non inutilia pondera aſſumit, ſed ne aurum quidem, gemmasve, aut alias quoſ-

cumque pretiosissimas merces, quæ tamen ei possent è fluctibus elapso magno esse præsidio, & naufragij iacturam aliqua ex parte solari: immo tunc secum felicissimè actum putat cum nudus euaserit, vitamque ex tanto periculo incolumem subduxerit, atque tandem ea sunt, quæ tanto studio complectimur, quibus enataturi premimur, & demergimur. Quid tandem habent commodi? quid in se continent boni? an bona quis appellauerit ea, quæ cum anxietate sperantur, cum labore acquiruntur, & acquisita vel non explent desiderium, vel satietatem gignunt, & nauseam? an vera potest esse quies, & felicitas vlla in earum rerum possessione, & vsu, quibus quo tempore vtimur, eodem ipso priuamur? imò quarum acquisitio iactura est, vsus amissio. O vtinam hodiernas turbas imitati, quæ ne dum aliorum, sed etiam cibi ipsius oblitæ, Christum per desertum sequuntur in montem, & nos aliquando spretis mundi vanitatibus per desertum pœnitentiæ in montem contemplationis ascenderemus, ac tum mentis intuitum, tum cordis affectum infigeremus in cælum, in vera illa solida, ac æterna bona. Non enim relinquentibus
Num. 11. Aegypti cepas, & allia deesset in hoc deserto suauissima mãna; sed quos hactenus inani vento non pauit, sed inflauit mundus, collocaret in loco pascuæ Christus, & cibaret suauissimo pane suo, quo vel leuiter degustato, ita nausearet anima nostra super cibis istis leuissimis, vt ijs omnibus spretis, toto pectore anhelaremus ad cælum, & est sanè æque mirum ac miserum, quod homines ita illiciant mundi voluptates, & commoda, vt qui corporis oculos à natura acceperunt ad cælum spectantes, mentis aciem assiduè in terrena defigant. An dubitamus defuturas Christum sequentibus in deserto delitias? an verò piget inania solidis, falsa veris, caduca æternis, terrena cælestibus commutare? Si minimè allicere possunt sua dignitate, atque præstantia spiritualia bona, vt ex peccatorum fluctibus tandem emergamus, vrgeant saltẽ, & impellant quæ nos vndique ambiunt in procelloso mari, & iã ceruicibus nostris imminent calamitates, atque pericula. En quãtas ab Occidente, & Aquilone cient tempestates impiæ hæreticorum seditiones, qui regna totius Christianæ Reip. præstantissima perturbant, vt ferè iam deturbent, ita premunt, vt ferè opprimant; ex Oriente verò & Austro, quis est qui non videat quàm sæui contra nos insurgant tur-
bines

bines bellicorum apparatuum, quos fluctus excitet Ottomanicus furor, qui extremum iam corpus Christianæ ditionis depastus, ipsa iam latera, & pectus aggreditur. Hi terrores, A. P. hæ angustiæ sunt proculdubio Dei Opt. voces, quibus ad nos clamat, vt aliquando resipiscamus à vanitatibus, & iniquitatibus nostris, & si minus leni spiritu vocationum suarum, quibus assiduè ad cor nostrum loquitur, passi sumus nos in portum deduci, eò compellamur tantarum tribulationum vehementi turbine, & tempestate. Nè ergo, obsecro, contra stimulum calcitremus, ne diuinæ gratiæ resistamus, sed eius impulsum secuti abeamus trans mare Galilææ, ingrediamur desertum pœnitentiæ, in montem contemplationis, & amoris spiritualium bonorum subeamus; sic enim ex omnibus periculis eductos, cibabit pane suo suauissimo, & torrente voluptatis suæ potabit nos Dominus in sæcula sæculorum. *Act. 9.*

ORATIO II.



ROPONIT nobis hodierna die Euangelica lectio, Pater Beatissime, Christum Dominum, qui cum subijsset in montem, oculos subleuasset, mox demisisset in subiectas valles, & sequentem se turbam conspexisset, eius miseratus esuriem, quorum animos cælestiũ eloquiorum cibo refecerat, eorundem corpora per Apostolorum ministerium pane, piscibusque per miraculum auctis, recreauit. Quis vel ex hoc vno Christum non agnoscat eundem & Creatorem, & Redemptorem, & naturæ auctorem, & gratiæ. Verum altiora hic latere mysteria aduertit Chrysostomus, intendisseque Dominum nedum turbarum illarum mentes verbo, ventres cibo pascere, sed & omnium fidelium animos sui operis exemplo ad misericordiam, & beneficentiam informare. Quid, rogo, innuit supremum montem conscendere, oculos in cælum attollere, mox demittere in subiectam *Chrysost.*

esurientem turbam, eiusque misereri? Hoc sanè, meo iudicio, debere nos cælum intueri, Solem, Lunam, sidera; altiusque censiderationis nostræ aciem defigere in cælestes illas mentes, Deumque ipsum Optimum Maximum, & inde petere charitatis, & beneficentiæ exemplum; vt quicumque sunt in dignitatis, opum, & potentiæ culmine collocati, quicquid eis desursum à Patre luminum boni obtigit, vnde omne datum optimum, & omne donum perfectum, id sciant ea conditione, & in eum finem sibi concessum esse, vt illud in proximos pauperes, & egenos liberaliter deriuent. Sic piorum Ecclesiam describens Regius Psaltes, Dei dona appellat vnguentum, quod capiti infusum descendit in barbam, barbam Aaron vsque in oram vestimenti eius, & rorem Hermon qui descendit in montem Sion, inde in subiecta delabitur, vt pinguescant speciosa deserti, & exultatione colles accingantur, imæque ipsæ valles abundent frumento. Et quidem de Deo Optimo Maximo, vt hinc exordiamur, gentes, & nationes supernæ illustrationis lumine destitutæ aliæ aliter senserunt, prout à veritatis tramite aberrarunt longius, aut accesserunt propius; vnus tamen omnium fuit concors consensus, & consentiens vna omnium conceptio, vt Deum & animo conciperent, & voce profiterentur rem illam esse, quæcumque esset, à qua in cæteras res, hominesque præcipuè bona omnia, & commoda quibus vtimur, lux qua fruimur, spiritusque quem ducimus deriuantur: cui ideo tanquam bonorum omnium largitori nulla gens fuit, aut natio adeò fera, & barbara, quæ in tributi locum, & grati animi testimonium, cultũ aliquem non rependerit. Potuerunt fortasse aliæ Dei virtutes, & opera latere homines densissimis ignorantiæ, & prauitatis tenebris obsitos: at certè largiri, iuuare, misereri ita Deo frequens est, ita proprium, ita super omnia opera eius extollitur, & conspicuum emicat, vt id ne volentibus quidem licuerit ignorare, sed vel in inuitorum animos clarissima luce peruaserit. Cælos autem, eorumque conuolutiones, sidera, & siderum vices, ac lumina clarius est, quàm vt longiore egeat oratione explicari, in subditorum horum corporum commodum ordinari omnia, eoque vim suam, & actionem totam conferre, vt sibi subiecta elementa, mixta, animalia foueant, atque conseruent. Quod si ad æthereas mentes cælestis aulæ ciues animum, & sermonem conuertamus, quis ignorat,

Iacob. 1.

Psal. 132.

Psal. 64.

ignorat, iuxta Dionyſij doctrinam, ſuperiores in inferioribus purgandis, illuminandis, & perficiendis operam ſuam collocare? Infimæ autem Hierarchiæ Angeli, quòd ſui generis inferiores non habeant, foris quærunt, in quos beneficentiam exerceant, & in hominum cuſtodiam, & commodum ſtudium ſuum conferunt, fiuntque, teſte Apoſtolo, adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Hic verò mirabitur forte aliquis, & indignũ ducet Angelorum nobilitate, atque præſtantia Angelos hominibus miniſtrare, quod æquius multo, & decentius videatur inferiores in ſuperiorum obſequium, & commodum occupari. Sed mirari deſinat, & certiſſimum habeat, quod Veritatis ore prolatum eſt, Beatius eſſe dare, quàm accipere. Audiatque Chryſoſtomum dicentem, tum demum hominem ſupremum nobilitatis gradum conſequi, illiuſque dignitatis, ac nominis, quo Deus maximè gloriatur participem, immo verò (vt alter quidam dixit) hominem homini Deum effici, cum indigentibus miniſtrat, eorumque inopiam ſubleuat. Vt merito Apoſtoli ſummam ſui muneris dignitatem miniſterij nomine appellauerint, & hoc exemplum imitati eorum in hac Apoſtolica Sede ſucceſſores titulo æque humili, ac glorioſo, Seruorum Dei ſe ſeruos nuncupent. Porro pauperum curam gerere, eiſque neceſſaria miniſtrare iniunctum eſt fidelibus omnibus, quotquot Chriſto capiti cupiunt charitatis vinculo viua membra connecti. Eſt enim animæ noſtræ vita Dei gratia; vitalis vero calor, ſine quo non ſtat vita, dilectio; dilectionis operatio & ſignum operis exhibitio. Nã ſicut ea caloris eſt conditio, vt ſi minus operetur intereat, & inde vnumquodque viuere dignoſcimus, ſi operetur, atque moueatur. Ita charitas (ait Auguſtinus) nequit eſſe otioſa, & ſi otioſa eſt, charitas non eſt. Et in hoc ſcimus, inquit Ioannes Apoſtolus, quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres; è contra verò, ſi quis viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Eſt igitur iniuncta fidelibus omnibus pauperum cura, at certè præ alijs, & ex proprij officij munere demandata eſt illis, qui in Eccleſia ſancta Dei Apoſtolorum, & Diſcipulorum vices, & locum obtinent.

Dionyſ. *Hebr. 1.* *Act. 20.* *Chryſoſt.* *Auguſt.* *1. Ioan. 3.*

Aduertiſtis, ſcio, Patres Ampliſſimi, quòd Ioannes præ-

ſcius

ſcius ſuo more refert, Chriſtum ſcilicet diſtribuiſſe panem diſcumbentibus, idem latius fuiſſe & expreſſius ab Euangeliſtis alijs explicatum, ipſum videlicet fregiſſe panem, & in manibus ſuis, ipſaque fractione, (vt ego quidem arbitror) auctum dediſſe diſcipulis, vt ipſi turbis diſtribuerent. Ex quo quis non aduertat eiſdem commiſſum vtriuſque panis miniſterium, eiſdem demandatam, & Verbi prædicationem, & pauperum curam, & animarum, & corporum alimoniam. Id exemplo ſuo docuit Chriſtus Dominus, dum quibus Euangelium annunciaret, & daret monita ſalutis æternæ, illorum etiam ægra corpora curaret, ſatiaret eſuriem, & alia eiuſmodi præſtaret indigentibus officia. Seruatum idipſum ab

Act. 6. Apoſtolis habemus apud Lucam in eorum actis, donec creſcente numero Diſcipulorum, ne ipſi præ aſſiduo nimis menſarum miniſterio derelinquere cogerentur verbum Dei, aſciuerũt ſibi vtriuſque laboris ſocios Diaconos; apud quos hoc

Laur. Mart. munus diu in Eccleſia perduraſſe colligimus ex geſtis D. Laurentij Martyris, quem, quòd theſauros Eccleſiæ in pauperum victum, atque veſtitum impendiſſet, impius æquè, atque auarus tyrannus diris ſupplicijs affecit.

Paulin. Nol. Quid referam Paulinum Nolanæ vrbis Epiſcopum, Epiſcopalis charitatis ſpeculum, & exemplar, qui in Eccleſiæ ſuæ pauperes adeo fuit miſericors, & liberalis; vt cum omnia erogaſſet, nec haberet quid roganti viduæ in pretium redemptionis filij tribueret, præter ſemetipſum, ſemetipſum tribuit in eleemoſynam. O hoſtiam Deo præ cæteris gratiſſimam! Seipſum, inquam, vltro in captiuitatem dedit, vt alterum redimeret, illum imitatus, qui in omnium noſtrum redemptionem, cum Fi-

Hebr. 1. lius Dei eſſet, ſplendor gloriæ, figura ſubſtantiæ eius, formã ſerui non eſt dedignatus accipere. Ecce iam diuina benedictione auctus, & multiplicatus eſt panis; Eccleſiam enim ſuam Dominus impiorum tyrannide eripuit, felici incremento propagauit, ditauit opibus, auxit honoribus. Creſcente verò Diſcipulorum numero, & amplificata Apoſtolicæ Sedis maieſtate, vos Patres Ampliſſimi, in Apoſtolici muneris, laboris, & ſollicitudinis partem aſciti eſtis, in quorum humeros, qui regendæ vrbis, & orbis molem ſuſtinet, eximij oneris partem reclinet; vt quod olim Diaconi Apoſtolis, hoc vos Apoſtolorum Principis ſucceſſori miniſterium, & operam præſtetis, ſicut in grauiſſimis Fidei, alijſque negotijs,

ita

ita in hoc charitatis opere eximio, ad quod prima Apostolicorum ministrorum legitur facta institutio. Agite ergo Ecclesiæ sanctæ Principes, id implete sedulo ad quod vocati estis, imitamini cælestis aulæ principes, qui toti in hominum sibi commissorum commodum incumbunt, sequimini Paulinum, æmulamini Laurentium augustissimi huius Romani Cleri splendorem & decus, pauperum curam, & patrociniũ suscipite. Sed quid dico suscipite, immo verò iam diu susceptum, & ita sedulo, ac studiosè, vt sibi hac de re meritò tota gratulari possit Ecclesia, eodem studio, & charitate prosequimini, sustinete. Hoc enim demum est summum Christianæ nobilitatis fastigium, Deo omnium bonorum largitori similem fieri, hoc demum est munus, & officium Principe omni, & eo magis Ecclesiastico dignissimum, ad quod se à Domino assumptum Dauid rex sanctissimus cecinit: Pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam.

ORATIO III.

De lætitia Ecclesiæ ob peccatorum conuersionem.



QVAE summa vnici dilecti filij aliquo casu in maximo vitæ discrimine constituti, ab eoque euadentis incolumis matrem afficit lætitia; eadem B. P. in hodiernæ diei celebritate, ob significatam peccatoris conuersionem est satis conspicua, & manifesta. Homo siquidem Christi fide matris Ecclesiæ effectus filius, quo ipsam ob peccata, quæ sunt animæ mors, vehementi vrget dolore; eandem ob illorum detestationem immenso prope exhilarat gaudio. Cuius præclara causa quanti sit extimanda, mihi nunc breuiter aperiendum. Sicut enim olim à Domino ipso, dum hanc ageret vitam, in parabolis pastoris centesimã amissam ouem inuenientis, mulieris drachmam deperditam reperientis, & prodigi filij ad cor, ad paternam domum reuer- *Luc. 15.*

uer-

uertentis, exprimitur gaudium esse coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente: ita & nunc hoc sacrosancto Iubilæi tempore cum plurima confluat in hanc sanctam Vrbem peccatorum multitudo, qui sua defleant peccata, ingentem piæ Matri Ecclesiæ afferunt lætitiam. In lege plures licet à Deo in illa populi Israelitici Ecclesia dati fuerint duces, ac saluatores vocati, eisdem tamen recipiendi, & absoluendi peccatores concessa non fuit facultas. Atqui hoc omnis plenitudinis gratiæ, & benignitatis tempore, quo
Ioan. 3. Saluator noster, & liberator, & Propheta magnus non venit, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum, hic
1.Reg. 22. peccatores recipit; ad hunc, quod olim Dauid accidit: accurrunt omnes in angustijs, & difficultate abstinendi à peccato laborantes, omnes veterum peccatorum debitis onerati, omnes de quacunque necessitate tristes, & solliciti, vt remedium capiant salutis, sicque in Domino lætentur omnes, & exultent. Et quidem quo acerbior etiam miseræ animæ Dei amicitia, & gratia per peccatum destitutæ erat dolor, quæ innumeris exposita tentationum fluctibus naufragio fieret proxima; ab hostibus suis dæmone, mundo, carne daretur in prædam diripienda, ab Angeloque ipso custode, & omnibus cælestis curiæ amicis deserta iam diaboli euaderet mancipium: eo maiori ipsomet profunditur gaudio, dum omni peccati labe emundata, Deo redit in gratiam; Angelis, ac omnibus beatis spiritibus fit amica; diabolo, reliquisque sibi inimicis ita resistit, vt fugiant ab ipsa, adeò vt in bonæ conscientiæ portu tuta conquiescat. Quin & ob pec-
Ex D.Aug.in med.cap.4. cati turpitudinem summo affecta mœrore, se illam esse cognoscens, quam extollat superbia, supplantet ambitio, frangat adulatio, attollat fauor, coarctet auaritia, obiurget rapacitas, inficiat luxuria, inflammet concupiscentia, perturbet ira, dissipet discordia, pungat calumnia, laceret detractio, dehonestet gula, confundat ebrietas, consumat inuidia, fallat hypocrisis, opprimat torpor, dissoluat leuitas: dum hæc, & alia huiusmodi odit, & pessundat vitia, summam certè capit lætitiam. Demum verò experta tum peccatis
Hierem.2. est dedita, quàm malum, & amarum sit dereliquisse Domi-
Iob 15. num Deum; ita vt sonitus terroris semper sit in auribus illius, eiusque cor quasi mare ferueat, quòd quiescere non po-
Isai.57. test, & redundent fluctus eius in conculcationem, & lutum;
dubio

dubio procul summopere horrescit. At verò vnigeniti Filij Dei sanguine à sceleribus expurgata, victoriamque de tam immani, & truculento hoste per eum consecuta, & cælestis gratiæ benedictione aucta, & ditata iugiter gaudet in Domino, & exultatione repletur. Hoc ipsum facilè cognouit peccatrix illa mulier, quæ post tot perpetrata crimina ad se reuersa, ad Christumque accedens, licet ob profluentes lacrymas, sanctissima oscula, pedum ablutionem, pudorem vultus, contritionem cordis, ardorem spiritus, & incredibilem amorem fuerit eiusdem ore commendata, & à murmuratione & calumnia Pharisæi defensa, auidè tamen expectans quod Christus Dominus turpi peccatrici, & infami mulieri esset dicturus, si nomen forsan peccatorum primum sibi præponi audiuisset, animo vtique cadere, & terrore confundi cœpisset. Cum autem pijssimum Dominum sibi dicentem intellexit; non quidem peccata tua remittuntur tibi, sed, Dimittuntur tibi peccata tua posteriori loco; plenissima hac peccatorum remissione tanquam spirituali conuiuio refecta, gaudio, & exultatione abundauit. Id profectò designat aurea illa rosa hodie benedicta, quæ balsamo, odoroso vnguento, & auro commixta, vt sui natura præ cæteris floribus colore delectat, odore recreat, & sapore reficit; ita cuilibet peccatori de Babylonica captiuitate reuertenti, gratiam per Christum datam demonstrans, quàm sibi sit iure lætandum manifestat. Hi enim sunt montes illi immensi habentes rosam, & lilium, in quibus dicit Dominus, quod gaudio implebit filios. Ad hoc pariter gaudium nos pia mater inuitat Ecclesia, dum eos lætari vult, qui in tristitia fuerunt; non eos quidem, qui in peccatorum suorum cœno hærent adhuc, sed hos tantum, qui vt conuertantur ad Deum, debita vsi sunt diligentia. Quod etiam Propheta concinebat, dicēs: Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & lætentur in lætitia. Quinimo, vt maiorem nobis præbeat huius lætitiæ causam, admirabile Christi Redemptoris nostri refert conuiuium, quo plurimam refecit, quæ eum sequebatur, hominum multitudinem, tunc scilicet cum huius nostræ caducæ naturæ mare Christus adijt nascendo, calcauit moriendo, transijt resurgendo, & fidelium turbæ eum sunt secutæ credendo, & imitando. Ipse autem Dominus subijt in montem, cum cælum per eum designatum ascendit. Ex quo quin-

Luc. 7.

Esd. lib. 4. c. 2.

Psal. 47.

Ioan. 6.

que panes, & duos pisces vniuersæ illi multitudini distribuit, ipsamque satiauit, dum peccatorem quemlibet ad se reuertentem, ex illo misero educit statu. Pane satians peccatori verè pœnitenti accommodato, contritionis nempè in corde, pudoris in confessione, ieiunij in carne, orationis in mente, & pietatis in opere. Pisce verò altero timoris, scilicet inferni pœnarum, alteroque Paradisi, & æterni gaudij spei. Quæ hæc populo prius in fœno discumbenti distribuit, quia non superbis, sed humilibus dat gratiam. Tunc demum satiatus populus summis laudibus Christum est prosecutus, quia nedum in superna illa Hierusalem gaudium fit maximũ super vno peccatore pœnitentiam agente; sed & in hac nostra ob complures aduersarum nationum populos, ad hanc omnium piam matrem confugientes, se peccatorum sordibus, vt sanctissimi Iubilæi consequantur gratiam emundantes, hodie lætamur omnes, & conuentum facimus, qui diligimus ipsam. Gaudemus etenim in conuersione, & pœnitentia peccatorum salutem hominum sitientes, quia pœnitentium lacrymæ, Bernardo teste, sunt vinum eorum; hoc certè vinum lætificat cor hominis; hoc constat & Angelos bibere cum lætitia. At vino hoc meliora sunt vbera diuinæ misericordiæ, & pietatis lacte plenissima, quæ cum peccatores ad sugendum, & diuina eius dona, & beneficia accipienda confugiunt, summa ipsos lætitia, & voluptate perfundunt. Hæc sint illa spiritualia gaudia, quæ Isaac nato, Agar ancillam cum filio Ismael eijciant, carnis scilicet, & sensus voluptates prorsus expellant. Quem enim docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? nisi ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus inanis huius instabilis lætitiæ. Hæc nobis, vt in Deo collocata sint perpetua, veluti aquæ viuæ putei ab Isaac excauati, à filio nempè Dei nobis dati, qui in vitam salientes æternam nullo clauduntur termino; non autem sit aqua huius momentanei gaudij, quæ Ismaeli cum matre data cito deficit, statimque euanescit. Hæc tandem sit illa interna animæ lætitia, qua Isaac ad imolandum ducto incolumi manente, aries tantum inter spinas apparens moriatur; pœnitentiam quippe agendo peccatorum extinguantur tantum cogitationes immundæ, ac huius sæculi pereuntia gandia; quæ verò in anima & conscientia bona manet spiritualis lætitia, perpetuò viuat in Christo. Omnis igitur ani-

Serm. 30. in Cant. *Gen. 21.* *Isai. 28.* *Gen. 26.* *Gen. 21.* *Gen. 22.*

ma,

ma, inquit Ambrosius, accedat ad Christum, quia omnia Christus est omnibus. Si vulnera curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si mortem times, vita est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cælum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est: si peccatorum mœrore opprimeris, gaudium est. Hac lætitia itaque & gaudio, Ampl. Pat. cor nostrum, & caro nostra exultent in Deum viuum. Quæ Dei dulcia, & suauia; quæ verò mundi, insipida nobis videantur, & amara. Sed heu miseram, & infœlicem nostram omnium conditionem, qui licet mundo nuncium aliquando remiserimus, mundana tamen adhuc oblectamenta quærimus. Ad pugnam namque omnes cum sæuissimis hostibus vocati sumus, & nos sine armis in cæleste regnum ingredi cupimus. Ad vigilias, & nos somno altiore obdormiscimus. Ad mansuetudinem, & humilitetem, & nos superbimus. Ad charitatem, & nos fratrem nostrum odio prosequimur. Ad hæreditatem Regni eius, & nos terrena sapimus. Resipiscamus ergo, & ad cor reuertentes, Deum peccatis nostris propitium reddamus. Proijciamus à nobis malam viuendi consuetudinem, & virtute tanquam vestimenti induamur. Imploremus Dominum, quia exacerbauimus eum. Humiliemur cum ipso, vt nos exaltet. Lugeamus, vt consoletur nos. Ploremus denique, vt lætitia nos afficiat; quo gaudentes, & exultantes clamemus cum hodierna turba: Quia hic est verè Propheta, qui iam venit pro nobis in mundum.

Lib. de Virg.

Psal. 83.





ORATIO IV.



VPER flumina infernæ huius Babylonis, quæ in captiuitatem generat, & seruit cum filijs suis, fontes, torrentesque effundimus lachrymarum B. P. dum ad supernam illam, & liberam Hierusalem, quæ est mater nostra, mente, & cogitatione conscendimus. Fælicissima namque illa Dei ciuitas, Sanctorum patria, Angelorum domicilium, omni laude maior, omni fama melior omnem excedit scientiam, omnem post se relinquit gloriam, vt verum sit, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quo fit, vt demirari desinam, si viri sancti in hac vita degentes, vix dum delibata illius vitæ dulcedine; carceres, enses, cruces, tormenta, & varia horrendæ mortis genera, quæ ad illam capescendam sibi viam sternerent, non abhorruerunt. Intelligebant enim, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelanda erat in eis, quòdque disposuerat sibi Deus Regnum, in quo post huius vitæ labores, & ærumnas fælici ocio fruerentur, sederentque in plenitudine pacis, non amplius super fœnum, sed super ipsius mensam, non pascendi ex quinque panibus, & duobus piscibus, sed alimonia diuina, atque adeo diuinitate ipsa saturandi. O ciuitas cælestis, mansio secura, patria totum continens, quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes, Quam gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Gloriosa sanè, & quæ humanæ mentis captum longè effugiant, ea sunt, quæ de superna Hierusalem narrantur. Eius enim si altitudinem intuemur, non modo cælum vertice attingit, & sublimes illos spiritus sinu complectitur, sed intimos etiam inferorum recessus præsentia, & robore penetrat. Si latitudinem perlustramus, mœnibus defendi, non circumscribi, finibus omnia

1.Cor.2. Isai.64. Rom. 8. Psal. 86.

clau-

claudere, non finiri, continere cuncta, à nullo contineri potest, si denique magnitudinem omnem attendimus, quicquid ei contuleris, exangustum, exiguumque videbitur. Hæc è patrio Regno desiliens omnes orbis regiones, nationesque inaudita, & incomparabili virtute permouit, Imperijsque, & victorijs, ac triumphis clara semper, & inclyta ferocissimas gentes, potentissimos populos, fortissimos Reges, & inuictissimos Cæsares suo imperio subegit. Hanc Ioannes ille cælestium arcanorum conscius sanctam, & nouam, descendentem è cælo, à Deo paratam, sicut sponsam viro suo adornatam se vidisse testatur, quam & Paulus gloriosam, & omnis maculæ, & rugæ expertem descripsit. Ea siquidem supremi Patris nata sinu, cæloque conscripta, cum auiti generis splendore, & cælesti doctrina, ac potestate in terras delapsa est, quæ adeo sancta est, vt prophanari non timeat, noua, vt vetustatis incommoda non sentiat, à Deo parata, vt vilescere nequeat, Christo desponsata, vt errare modo aliquo non possit. Huius gloriam Paulus insinuans, quòd non ad tractabilem montem, ignem, turbinemque, sed ad ciuitatem Dei viuentis regenerari accesserimus, fidentissimè gloriatur. Quæ veterem illam Hierosolymam innocuo Christi, & Prophetarum cruore conspersam quantum excedat, facile explicari non potæst. Illa enim angustissimis clausa finibus vni tantum genti dominabatur; hæc verò per latissimas omnium terrarum regiones diffusa, populis ferè omnibus, & nationibus imperat. Illa sæpenumero sub alienis gentibus, & Regibus intolerabile seruitutis iugum sustinuit. Hæc vbique terrarum, & gentium perpetuæ spiritus libertate gaudet. Illa in captiuitatem redacta, & innumeris calamitatibus contrita succubuit; hæc si quando percussa fluctuauit, omnibus semper, & ipsis inferorum portis præualuit. Illa cum sua religione, & lege interire debuit, hæc nullum habitura finem ad immortalitatem accedit. Hæc, hæc sanè est illa cælestis Hierosolyma ex ignitis, viuisque lapidibus extructa, summo angulari lapidi, veluti vnico fundamento innixa, Angelorum præsidijs tanquam muris circumsepta, Apostolorum quoque, & vestris PP. AA. custodijs, vigilijs, & excubijs credita. Hanc eximius ille cælestium mysteriorum interpres Paulus Apostolus gloriosissimam Ciuitatem, omnium amplissimam, & incomparabili ciuium propaga-

Apoc. 21.

Hebr. 12.

pagationē copiosam esse testatur, quum eam omnium nostrū parentem appellare non dubitet. Peperit enim ab origine mundi parens ipsa fœcundissimas nouas Principi, & sponso suo Christo, ac ferè innumeras creaturas, totque sinu suo fouet, quot Orbis ipse maximus vix capere sufficiat. Fælices vos, ò tantæ matris filij, fæliciores Ciues, quorum numerus modum excedit, quorum splendor omne decus exuperat, qui sic in amplissima Ciuitate degitis, vt nulla sedium angustia præssi, latissimas regiones perlustrare possitis, atque ita in spatiosissima vestræ vnius patriæ latitudine versamini, & in vna semper videamini esse Ciuitate. Quis explicare queat, qua charitate, quibusvè officijs Ciuitatem, quo studio, quovè amore patriam, qua denique pietatem parentem hanc prosequi conueniat, cui Fidem, & Religionem, qua diuinitus imbuti sumus, acceptam referre debemus? Quis insuper leges sanctissimas, æquissima iudicia, sapientissimos magistratus, Regiam libertatem, eximium splendorem, præclara munera, & diuinas propè dignitates pro meritis enarrabit? Sed redeo ad Paulum, qui Isaiæ testimonio desertam olim, & sterilem gentium Ecclesiam copulatam viro, vetere illa synagoga filijs, ciuibusque fæliciorem esse affirmat, quos Christus Princeps æternus cateruatim ad se properantes, in ipsam Ciuitatem, cui nihil præsidij, nihilque rerum ad veram, verèque beatam vitam pertinentium deesset, magna sedulitate collegit. Cuius rei symbolum in Euangelio Ioannis nobis reliquit ipse Dei Filius, quum traiecto Galilææ mari, siue Tyberiadis lacu sequentem se, & inedia afflictam multitudinem, vt prouidum, & munificum Principem decet, ex quinque panibus, & duobus piscibus mirabili, & inaudita liberalitate refecit; idque officium præstitit, quod à vobis, quos in sua Ciuitate Pastores, & Episcopos instituit, omni iure expetit, nempe, vt non modo Euangelicam doctrinam, cuius ministerium vobis delegauit, verumetiam Ecclesiasticas opes, quæ (vt vtar verbis sanctissimi illius Papæ, & Martyris) vota sunt fidelium, & patrimonia pauperum, quarūve dispensatores vos esse voluit, in vestros ciues larga manu distribuatis. Nam propterea vos cum Apostolis interrogat: Vnde ememus panes, vt manducent hi? & iterum alibi iubet: Date vos illis manducare. Vos, vos, inquam, quos Pastores dedi, & Patres populi mei, pascite eum, qui in vo-

bis eſt gregem non ſolum verbo, exemplo, & Sacramentis, verum etiam corporali alimento. Neque vobis timendum eſt, ne decreſcant opes, neve cenſus imminuatur, quando Chriſti benedictione panes augentur, & piſces multiplicantur. Contra verò magna in alterum diem ſeruatum putreſcit, & vermibus ſcatet. Cæterum non minus veſtri muneris eſſe intelligite Patres, vt colligatis fragmenta, ne pereant; fragmenta ſcilicet illa, quæ falſæ doctrinæ vento agitata de menſa Domini, atque adeò de Fide Catholica corruerunt. Hoc ſtudium à vobis, vel in primis exigit Chriſtus, nimirũ, vt ouiculas illas, pro quarum ſalute ipſe ſanguinem ſuum profudit, aſtu ſatanæ diſperſas colligatis, atque è luporum faucibus ereptas, ad eius ouile qua maiore poteſtis diligentia, & celeritate reuocetis. *Exod. 16.*

Sed, vt eò tandem reuertatur oratio, vnde profecta eſt, ad te B. P. conuerter, qui cum in medio lapidum ignitorum ſedens, maximum Ciuitatis Hieroſolymæ pondus ſuſtinens, cumque in ſeruandis, & promouendis Eccleſiæ rebus te exhibeas, vt nihil, quod ad optimum Principem ſpectat, in te deſiderari poſſit, fac, quod omnes certa fiducia abs te expectant, vt qui ſumma ſapientia, & fælicitate creditam tibi à Chriſto Hieroſolymam in tranquillo ſtatu hactenus ſeruaſti, eam ſubortis quibuſcumque malorum procellis ſubleues, diuinæ lucis fulgore perfundas, cæleſti rore fœcundes, collectis lapidibus inſtaures, ſalubri denique alimonia, & ſpiritalis lætitiæ roſa foueas, ac ſemper exhilares, ita vt poſt huius vitæ ærumnas, & incommoda, ex hac ipſa Hieroſolyma, quæ militat aduerſus hoſtes ſuos, ad eam, quæ in ſumma pace verſatur, te Duce, & Nauarcho traijcientes, à ſupernis ciuibus obuijs manibus excipiamur celeuſma canticum illud audituri: Lætare Hieruſalem, & conuentum facite omnes, qui diligitis eam, Gaudete, qui in triſtitia fuiſtis, vt exultetis ab vberibus conſolationis veſtræ.



ORA-

ORATIO V.



OELIX, & sacrum, diuinum, ac planè beatum B. P. nobis hodie proponitur conuiuium, quo diuites non inanes, pauperes non inopes, esurientes repleti bonis, famelicique omnes saturi dimittuntur. Auida mens mea P. A. quæ huic vni inhiat mensæ, & panem in ea propositum Christi manibus benedictum, & multiplicatum, atque per Apostolos distributum, æstuanti incitata appetitu esurit, à vobis enixè postulat, liceat vt illi in Euangelica mensa nihil aliud, quàm panem vitæ, cibum nimirum suum, cibum omne delectamentum in se habentem contueri, & cum ea spiritus hilaritate, quam secum panis ipse, vel visus afferre solet, contemplari, Christus antequam panibus illis infinitam ferè turbarum vim satiaret, Galilææ mare traiecisse nar-
Ioan.6. ratur; transitum illum, quem quasi cuiusdam Galilææ rotam, & circulum perfectum, quo tempore ex hoc mundo, veluti procelloso mari transmigraturus esset ad Patrem, vnde exiuerat, ante Passionis diem inchoauit, præfigurans. Sequebatur transeuntem multitudo magna, & transiturum ad Patrem per Crucis nauiculam totus orbis insectabatur. Subijt tunc in montem Iesus cum discipulis suis, cum proximum esset Pascha Iudæorum, qui cum ijsdem in monte Sion constitutum cœnaculum Paschatis Iudæorum pridie conscendit, vt illi fine imposito, nouum Pascha concelebraret. Vbi subleuatis oculis, immensi populi inopia, fameque commotus, cœpit quasi coacto consilio disquirere, Vnde ememus panes vt manducent hi? Quisnam enim cibus, quis panis, quæ olera, quæ poma; idest, quæ diuitiæ animas nostras saturare vmquam poterant. Nullum fuit inuentum pabulum, nullum vitæ lignum, quod vitalem animæ humorem, peccati calore depereuntem quotidie, reparare, quodve hominis animam in vita spirituali conseruare posset, non eo tantum nomine,

quod

quod ſpirituali animæ appetitui corporea eſca nutrimentum par eſſe nequit, ſed eo planè, quod ſolius Dei anima auida eſt, atque capax. Diuina fuit ergo Philippi reſponſio, atque eò tendebat, vt diſcerent homines terrenos ducentorum denariorum panes, ideſt duplices rerum creatarum perfectiones animæ non ſufficere, non ſolum corpora hæc terrena, aut cæleſtia, ſed neque Angelos ipſos,aut eorum conſpectum alioquin admirandum, & fæliciſſimum. Quamobrem in tanta rerum inopia,diuinum, nobiſque tam iucundum,quam commodum Chriſtus inijt conſilium, vt de cuiuſdam pueri manibus quinque panes, & duos piſces in manus ſuas acceptos benediceret,& per Apoſtolos diſcumbenti turbæ diſpertiret. Puer vnus Hebræorum populus quinque Pentateuchi librorum panes, & duos hiſtoriæ, & typorum,vel figurarum, & ſacrificiorum piſces geſtabat. Sed quid hi erant inter tantos? Imò quid ad animæ depellendam famem valebant? Neque enim hiſtoriæ,aut figuræ,neque ſacrificia illa,aut vmbræ animas ſaturare poterant,ſicuti neque vmbra panis,aut carnis non dico hominem, ſed nec catulum eſurientem explere poterit vmquam. De Iudaici ergo populi manibus panes, & piſces manibus Chriſtus ipſe ſuis excepit, atque re ipſa præſtans, & efficiens quod panes illi & piſces ſub inuolucris, ac in tegumentis figurarum adumbrabant: ex me, inquit, ipſo panes promam, ego ero ipſe panis, & cibus, & panem humanum in meam carnem, in meum ſanguinem, in meipſum planè ſacris verbis tranſubſtantiatum, vobis ſub ſpecie panis ad horrorem vitandum, ad amorem conciliandum, vt omnia panis officia veſtris animabus præſtet, exponam, qui ſumptus non peribit, qui fractus in fragmentis non diuidetur, qui in partes diſtributus non partietur, qui à diuerſis idem, integerque accipietur; qui turbæ diſcumbenti miniſtratus non minuetur, ſed multiplicabitur, non decreſcet, ſed augebitur, non conſumetur, ſed ad duodecim cophinorum ſuperantium menſuram excedet. Verum hos panes Chriſtus fregiſſe dicitur,nobis inde declarans non oportere nos in ea, quæ apparet, ſpecie viſibili immorari, ſed abſcondita quærere, abdita ſentire, intima penetrare, ibi manere, ibi quieſcere, ibi deguſtare quid ſub tali ſpecie latet, & vmbra,quod ibi pabulum ineſt, quæ ſummi, ac totius boni redundantia ſub his ſignis continetur, quæ beatitudo de-

ncarnati Verbi, & nobis in cibum dati veritate intus habetur. Fregit, inquam, & Discipulis tradidit, vt & ipsi manducarent, & turbis apponerent: etenim sic sacrificium istud instituit, cuius officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, vt sumant & dent cæteris. O panis, non panis, sed caro, non panis, sed sanguis, non panis sed anima, non panis, sed Deus, non panis, sed τὸ πᾶν, totumque, & omne bonum. O panis, panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum non mittendus canibus. O panis, vitæ panis, viuens panis, viuificans panis, imò Deificans panis: nam panis noster, quia dignitate, & virtute inferior est virtute, & potentia caloris nostri naturalis in nostram commutatur facilè substantiam, atque naturam. Panis iste, quia Christus est, quia Deus est, ideoque multo quā dici possit potentior naturæ nostræ vi: non ego, ait, mutabor in te, sicut cibus carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Quare si nos in se Deus ipse transmutet, quid aliud erimus quàm Christi, quàm Dij, & diuinæ consortes facti naturæ. Panis hic ille est, de quo canitur: Sumit vnus, sumunt mille. Cur? quia ex eo puer vnus, & quinque mille satiati fuerunt, nec sumptus consumitur, nam si tunc temporis duodecim cophini superauerunt, à quocumque etiam hodie dignè sumatur, duodecim fructus supersunt, qui in duodecim illis ligni Vitæ fructibus figurati experiendo magis, quàm exprimendo dignoscuntur. O verum miraculum, ò mirandum Sacramentum, ò sacrum conuiuium, vbi sub diuersis speciebus, signis tantum & non rebus latent res eximiæ, caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus solus sub vtraque specie. O maximè fælices discumbentes, quorum saluti, & gloriæ res tanta, tot, ac tantis, tamque cælestibus, atque præclaris ex ore Redemptoris clara laudibus est præparata. O panem verè beatum, per quem speciosa deserti pœnitentium corda vsque adeò pinguescunt, & beantur, vt vnum fiant, vnumque sint cum eo quod accipiunt. Quis non hic refici? quis non hic exhilarari? quis non hic inebriari desiderat? cur non properabimus? cur non certatim accurremus ad nuptias filij Regis? vbi non tauri, vbi non altilia, sed noua, atque diuina parata sunt omnia. Probet igitur seipsum vnusquisque PP. A. & sic de pane illo edat, & de calice bibat: nihil enim non regium, nihil non liberum, nihil

Matth. 22. *2. Cor. 11.*

non

non ſanctum in id poteſt ingredi conuiuium, vbi regia ſunt omnia. Regius locus, regium conuiuium, regij flores, reges conuiuæ, Rex Regum auctor conuiuij, regius guſtus, & effectus, ipſius Regis gratia, gratia quidem bona, gratia qua melior nulla, gratia ob ſolam Dei erga nos pietatem, & gratiam gratis nobis data, gratia quę apud Deum ſic eum gratia dignum efficit, qui ex ea dignè accipit, vt non ſolum fiat dignus, qui in Deo maneat, verum in quo ipſe maneat Deus vſque ad conſummationem ſæculi.







DOMINICA IN PASSIONE.



ORATIO PRIMA.



LENDVM, & lachrymandum, maximaque pietate cōtemplandum ſpectaculum, hodierno die, in ſacro eloquio mihi ad dicendum humillimè accedenti, occurrit, tulerunt lapides vt iacerent in eum, Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. *Ioan. 8.* Ex quo B. P. pia Mater Eccleſia, hoc paſſionis tempore mæſto apparatu, flebilique cantu, nos ad dolorem, & luctum, & ad Domini noſtri patientis compaſſionem inuitat. Si enim compatimur, & conglorificabimur, & certa, ac ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, vbi eſt participatio Dominicæ paſſionis. Sicuti olim cum Dauid ille Rex fortiſſimus, filij ſui Abſalonis *2. Reg. 15.* perſecutionem fugeret, ab Hieroſolymis recedens, nudis pedibus montem Oliuarum aſcendens, amarè flens, à Getheis plangentibus, & collachrymantibus comitabatur, necnon ab eorum Duce Ethai, dicente Regi: Viuit Dominus, & viuit dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris, ſiue in vita, ſiue in morte, ibi erit ſeruus tuus. Sic etiam ſacroſancta Mater Eccleſia, hoc eodem tempore, Dominum ſuum Regem, perſecutionem filiorum ſuorum fugientem, conſiderans, vt comitemur in morte, quem comitati ſumus in vita nos exhortatur, vt compatientes ipſi, cordis triſti-

tiam indicantes, plorantes, & collachrymantes tamquam strenui milites Ducem hunc nostrum sequamur.

Ideo præmittit insignia, fulget etenim Crucis mysterium, Vexilla Regis prodeunt, in quibus non vt olim Senatus Populusque Romanus inscribitur, sed Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Ipse autem est noster Dux, qui potens est in prælio, per quem Reges regnant, cui laus debetur, & imperium. Quod si in Duce innocentiam quæritis, eum audite dicentem: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si militiæ stipendia desideratis, is est, qui dicit: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Si militiæ gaudia quæritis, illum audite dicentem: Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est. Si felicitatis perpetuitatem optatis, Dux æternus est, ideo dicit: Antequam Abraham fieret ego sum. His ergo diebus Ducem hunc nostrum quasi Gethei Dauid flentes, ipsique compatientes, comitemur die, ac nocte in acerbissimæ suæ passionis meditatione versantes. Hæc est enim assidua piæ Matris Ecclesiæ sollicitudo, cum hoc tempore acetum, fel, arundinem, sputa, clauos, lanceam, ipsam denique Crucem in memoriam reducit: Vt fiant comæ capitis eius quasi purpura Regis iuncta canalibus, hoc est vt cogitationes omnium fidelium in tantæ passionis meditatione sint purpureæ. *Cant. 7.*

Et ideo nunc de illa illud aureum Sponsæ dici posse videtur: Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Fasciculus mirrhæ est amarissima Christi passio, inter vbera cogitationum, & affectuum nostrorum perpetuo conseruanda. Ex quo vocabat Sponsus Sponsam suam ad hortum suum, vtpotè quia miscuit mirrham cum aromatibus suis. Quasi diceret: mirrham offero contemplationis Passionis meæ, sed mixta cum aromatibus, idest cum fructibus ac bonis illius. Cui Sponsa: Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt mirrham, & digiti mei pleni sunt mirrha probatissima: ac si diceret, non solum in corde recogitabo amaritudinem passionis, & qualem aduersus semetipsum sustinuerit Sponsus contradictionem, non tamen morabitur hæc mirrha inter vbera mea, sed etiam in manibus, ac digitis, idest illa opera faciam, quæ compassionis mirrham sint distillantia. *Cant. 1*

In tanta enim Passione tria præcipuè nobis proponit contem-

templanda, in opere patientiam, in causa charitatem, in modo humilitatem. Patientia quidem fuit singularis, quia cum supra dorsum Sponsi fabricauerunt peccatores, cum sic extenderetur in ligno, vt dinumerarentur omnia ossa eius, eiusque confodissent manus, & pedes, tamquam ouis coram
Isai. 53. tondente obmutuit, nec aperuit os suum. Causa quidem fuit Charitas, propter nimiam enim charitatem qua dilexit nos Deus, vt seruos redimeret, nec Pater Filio, nec Filius
Ioan. 15. sibi pepercit. Ideo maiorem dicebat charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis; ipse autem posuit eam pro nobis inimicis. Cum enim adhuc
Rom. 5. inimici essemus per mortem suam illi reconciliati sumus, & Patri. Ipse etenim in illa eleuatione manuum suarum exaudiendus pro sua reuerentia, clamat, Pater ignosce illis; nimirum equidem, ille clamat Pater ignosce illis, illi vociferant Tolle, tolle crucifige eum; molliti sunt equidem sermones eius super oleum, ipsi verò sunt iaoula. Si tandem mo-
Psal. 54. dum eiusdem sanctissimæ passionis ante oculos proponamus vndique admirabilis apparebit, inexcogitabili humilitate, & mansuetudine inenarrabili, vt non immeritò idem de se-
Matth. 11. ipso dixerit, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. O profunda humilitas! vidimus enim eum, & non erat ei aspectus, non amplius speciosus forma præ filijs hominum, sed tamquam leprosum nouissimum virorum, planè virum dolorum à Deo percussum, & humiliatum; ita, vt nulla ei
Isai. 53. esset species, neque decor. O gloria Angelorum, quis te sublimior, atque excellentior, & tamen quis te humilior? qui pro nobis sputis illitus, opprobrijs vexatus, morte turpissima condemnatus, cum iniquis reputatus, & tandem Cruci affixus es.

Sed en, Illustrissimi Principes, quod desiderabat ille Iob
Iob. 6. patientissimus, cernimus adimpletum, quando dicebat: Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas quam patior in statera. Crux Christi facta est quasi statera, in qua hinc passio Christi, illinc generis humani peccata appensa fuere. Ipse enim innocentissimus, impollutus, segregatus à pecca-
Hebr. 6. toribus, excelsior cælis factus, tam indigna pro nobis pati dignatus est. Cum adhuc autem in Cruce staret vacillare videbatur statera, nec quo cadere deberet, cognoscebatur; sed quando inclinato capite tradidit spiritũ, tunc multo grauior

nior passio apparuit, ex quo canit Ecclesia: Statera facta corporis, prædamque tulit tartari. Sed in ista Passionis Dominicæ contemplatione, contemplamini obsecro, immensam Dei benignitatem, redeuntem Christum ad Patrem, vulneràque portantem interrogat Pater: Filij mi, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Respondit ipse: His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant. Te ne igitur Christe diligebant homines? qui te blasphemabant, dæmoniacum vocabant, lapides tulerunt contra te, concilium fecerunt aduersum te, & vsque ad mortem te sunt prosecuti? Insuper interrogantibus Angelis, quare rubrum est vestimentum tuum, & velut calcantium in torculari? Respondit: Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum, calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui: ac si diceret, tanta indignatione aduersus hominum peccata exarsi, vt ad ipsa delenda, corpus hoc quod de ipsorum natura suscepi, totum perforatum, vulneratum, ac laceratum traderem. Sed, ò nos felices, & beatos per vulnera illa nobis torrentes aureos effudit, ex quo in psalmodia decantabat Dauid: Conscidisti sacculum meum, & circumdedisti me lætitia. Sacculus Christi erat corpus eius, quod sumpserat tamquam sacculum, & marsupium, vt eò humanæ redemptionis prætium reponeret, quod est sanguis eius. In passione autem sacculus iste fuit conscissus, & perforatus, & tunc oblatum, & effusum prætium fuit, tunc circumdedisti me lætitia, idest Ecclesiã meum mysticum corpus pro sui redemptione exultantem fecisti. Huius igitur Dominicæ passionis memoriam Ecclesia recolere quotannis voluit, vt sicut olim cum Vrbem Hai aggrederetur Iosue, clypeum leuauit, vt eo viso, milites qui latebant absconditi, fortius inimicos aggrederentur, ita etiam hoc tempore Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium, vt cum vexilla Christi præire videamus fortiter inimicos, mundum, carnem, & diabolum, aggredientes parta gaudeamus victoria. Quis enim his diebus erit tam inhumanus, vt patienti Christo non compatiatur? Quis tam superbus, vt non humilietur? Quis tam iracundus, vt nón indulgeat? Quis tam delitiosus, vt non abstineat? Quis tam flagitiosus, vt non contineat? Quis tam malitiosus, vt non pœniteat? namque

Zach. 13. *Isai. 63.* *Psal. 29.* *Iosue 8.*

que

que adest passio Domini, de qua mihi innumera essent etiam dicenda; sed vobis contemplanda relinquo, quia verbo diuino abscondito, verba me quoque deficiunt.

ORATIO II.



IMMENSA Saluatoris nostri, eademque indefessa charitas adeò B. P. sese pectoribus nostris ingerit, vt oculos felici imagine integerrimæ, ac innocentissimæ vitæ iugiter repleat, & aures suaui strepitu sanctissimæ, atque ineffabilis veritatis percellat, dum nos vehementer diligit deuia corda nostra ad se conuertere, eademque in obsequium, & gloriam omnipotentis Dei, qua cum iuncta est salus, & vita hominum, ad quam conditi, & fabricati sumus, trahere satagit; vt quemadmodum ex Deo auctore sumus per originem, ita in ipso conseruatore viuamus per obedientiam, vt tandem cum eodem remuneratore per charitatem consummatam æuo sempiterno coniungamur.

Huic ardenti charitati proxima est eius vitæ puritas, & innocentia, de qua hodierna die in Ecclesia magna, & in populo graui breuiter sum verba facturus, quæ quanta ab instanti suæ conceptionis semper extiterit non modo Prophetarum vaticinio, oreque Angelico patet; verum etiam ex ipsiusmet Christi testimonio in hodierna sacri Euangelij lectione probatum esse comperimus, qui cum passionis suæ tempus, & vt transiret de hoc mundo ad Patrem, horam iamiam adesse cerneret, iudicio impiorum, æquè, ac alter Samuel sese subijcere non abhorruit, dicens: Quis ex vobis arguet, & quæ sequuntur, fieri nequaquam poterat, vt Christus, qui à Patre plenus gratia, & veritate genitus, de Spiritu sancto conceptus, & ex Maria Virgine natus; ad totum mundum redimendum venerat; quique vt hostia pura, sancta, & immaculata æterno Patri pro delictis, ac peccatis populi in ara Crucis erat offerendus, aliqua reatus macula teneretur. Qui namque

namque polluta victima placari poterat Deus, cum nec Patres naturæ, nec legis scriptæ Prophetæ (licet iusti) id efficere valuerint.

Numquam fortasse Patriarcha Iacob ex Mesopotamia rediens, infensum fratrem sibi mitem, atque pacatum reddidisset ex duabus primis turmis, nisi in tertia Ioseph filium suum aspectu pulcherrimum, Rachelemque sponsam forma decoram locasset, ita etiam nisi in tertio legis gratiæ statu iste speciosus præ filijs hominum, ac Sanctus Sanctorum venisset, nequaquam Deus nobiscum reconciliatus fuisset. *Gen. 33.*

Sicuti enim Agnum in azymis à Iudæis comedendum sine macula, thus Deo adolendum purum, cæteraque sacrificia munda esse opportebat, quæ quidem puritatem huius Agni immaculati, ac sacrificij sacrificiorum Christi pro nobis in Ara Crucis immolandi, cuius hodie vexilla prodeunt, mysteriumque fulget, præseferebant, ita etiam ipsemet Filius Dei tamquam Agnus à fidelibus comedendus, ab omni prorsus criminum labe purus esse debebat. Talis enim (Diuo Paulo teste) dicebat, Vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, vt immundos sanctificaret, innocentiam lapsis restitueret, maculas tergeret, & Deos faceret homines, factus homo. *Hebr. 7.*

O sanctissima Christi puritas, quam tantopere Sapiens admirans ait: Quæ est ista; quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris? Videmus quandoque magnam struem lignorum, siue palearum submisso igne vehementer fumigantem, ex ipsoque fumo virgulam ignis apparentem, paulatimque crescentem, quæ tandem totum fumum in nihilum redigit, atque dispergit; sic nimirum ex deserta silua generis humani fumus originalis peccati ascendit, de cuius medio ille ignis processit, qui mundum vniuersum accendit, fumumque ipse Christus ignis accensus dispersit, dum fluenta Iordanis sacrauit, atque hominum maculas mirrha omnium dolorum absterſit. Idipsum Propheta vaticinatus est, dicens ex persona Christi: Tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua, tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Cognouisti (Pater æterne) antiquum Adæ peccatum, perditionem generis humani, verum etiam passionem, & mortem meam illius remedium non ignorasti, *Cant. 4.* *Psal. 138.*

& ad hoc perficiendum formaſti me, & vt huiuſmodi ſacrificium tibi acceptabile fieret, poſuiſti ſuper me manum gratiæ tuæ.

Cant.2. Quid mirum ſi Salomon ipſum lilium appellet? Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Omnes namque ex illa infecta Adæ propagine ſpinis onuſti prodiere, omnes in Adam peccauerunt, ipſe verò Chriſtus ſicut lilium candidiſſimum, de medio ſpinarum euaſit illæſus, ideoque ad dexteram Patris ſolus ſedere meruit, iuxta Pauli ad Hebræos
Hebr. 1. teſtimonium: Ad quem autem Angelorum dixit aliquando Deus, ſede à dextris meis? Illi ſoli ad dexteram Patris ſedere competebat, qui per omnia gratia vnionis illi æqualis erat. Quis ergo Chriſtum puriſſimum, ac innocentiſsimum extitiſſe inficiari auſus fuerit. Quod etiam Iob indicare
Iob 1. videtur, dicens: Chaldæi fecerunt tres turmas, omneſque pueros percuſſerunt gladio, & effugi ego ſolus. Omnes ſanè fuerunt gladio originalis peccati percuſſi, nonnulli mortali, plerique veniali. Chriſtus verò effugit ſolus, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, immo nec poterat. Tam enim arcto, ac indiſſolubili vinculo hypoſtaticæ vnionis humanitas cum diuinitate, & diuinitas cum humanitate deuincta erant, vt proculdubio nobis aſſerere liceat, homo eſt Deus, & Deus eſt homo. Quo namque peccato erat accuſandus, qui totum mundum veniret ad iudicandum? Non
Philip. 2. ſuperbia, Quia ſemetipſum exinaniuit formam ſerui acci-
2.Cor.8. piens. Non auaritia, cum pro nobis egenus factus ſit, ſuumque ſanguinem effuderit, vt nos redimeret ab omni iniqui-
Ioan. 7. tate. Non hæreſi, doctrina eius cæleſtis erat, mea doctrina non eſt mea. Non ſchiſmate, ſemper enim obedientiam Eccleſiæ prædicauit, ſi Eccleſiam non audierit. Non rebel-
Matth.22. lione, dari cenſum Cæſari mandauit: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Non homicidio, quia poſuit animam ſuam pro multis. Non ſacrilegio, cum enim eſſet Patri æqualis, homini ſubditum ſe præbuit, qui cum in forma Dei eſſet. Non inobedientia, factus obediens vſque ad mortem Crucis. Non denique quacunque culpa, quia vidimus eum qua-
Ioan.1. ſi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis: immo eò deuenit eius innocentia, vt licet aliquando Iudæi dixiſſent:
Ioan. 9. Hoc ſcimus, quia hic homo peccator eſt, in quo tamen deliquiſſet, exprimere neſcirent. Verùm cum nihil haberent impij,

impij, quod eius sanctitati iure obijcerent, ad blasphemias, ad contumelias, & ad omnia perfidiæ testimonia conuolarunt. O impiam hominum rabiem, accurrunt ad lapides in illum iaciendos, qui ad cor lapideum ab ipsis auferendum venerat: ipse quoque vt Agnus innocens, ac mitis, qui cum malediceretur non maledicebat, de templo exijt, atque ab oculis eorum ad tempus se subtraxit, propediem crucifigendus, sponte reuersurus. Vtinam alieno discamus exemplo, ne cum perfida synagoga, veritatis, ac salutis verba proponentem à nobis criminibus nostris propellamus, sed vt semper nobiscum manere non dedignetur eius innocentiam, ac puritatem imitemur, sæuitiam Scribarum fugiamus, vt quẽadmodum ex Deo nos esse confitemur, ita in eodem reformemur, viuamus, atque tandem in die obitus nostri nullum accusatorem habeamus, sed ipso remuneratore fruamur in cælis, vbi gloriosus à Sanctis adoratur per sæcula.

ORATIO III.



OMINVS noster, & omnipotẽs, & mũdi totius princeps Deus, qui pro immensa bonitatis suæ largitate tanti operis molem confabricatus est, qui cælum, & terram condidit, qui rerum omnium visibilium, & inuisibilium varietatem effecit, atque distinxit, semper quam plurimum dilexit humanum genus B. P. & singulari quadam, atque incredibili beneuolentia, & charitate complexus est, qui pro eius salute comparanda Vnigenitum dedit, ac proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui factus obediens vsque ad mortem, mortem Crucis subiuit, & acerbissimæ passionis extremum supplicium perpessus est: vt quem ab instanti creationis initio, gloria, & honore coronauit, præcipuis ornamentis affecit, & amplissimis muneribus cumulauit, lapsum redimendo æterna morte liberauit, & à durissimam diaboli captiuitate ereptum, ad *Rom.8.*

cæleſtis regni gloriam, & beatitudinem reuocaret. Quamobrem ſtatutis diuinæ prædeſtinationis arbitrio temporibus miſſus eſt de cælo vnigenitus Dei, & coæternus Patri Filius, qui poſtquam iuſtitiam, & rectam viuendi viam docuit, demum in ligno pendens, quæ per lignum quoque amiſſa erãt,
Galat.4. cæleſtis hæreditatis iura repararet, dicente Apoſtolo: At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret. Verumtamen non ſatis proderat natum fuiſſe Saluatorem, niſi redemiſſet humanum genus, & à teterrimo inferorum carcere ad cæleſtis patriæ lucem populum excitaſſet, qui ſedebat in tenebris, & ob peccati labem in mortis vmbra iacebat. Oportuit itaque Chriſtum pati, & ea compleretur, quæ Deus ipſe non abſque mirabili prouidentia, & ineffabili myſterio fieri voluit. Verum antequam mortem iſtam ſubiret, ſe purum, ſanctum, innocentem, & abſque vlla peccati macula fuiſſe, mundo patere voluit. Tanta enim pollet iniquitate peccatum, vt Chriſtus Saluator noſter, qui paupertatem, infirmitates, & perſecutiones vſque ad mortem æquo animo pertulit, adeò peccatum abhorruerit, vt perfidam, inuidamque ſynagogam ad rixam excitarit, dicẽs: Quis ex vobis arguet me de peccato?

Fieri nequaquam poteſt, vt aliqua teneretur peccati macula, cum ratione vnionis hypoſtaticæ, in qua adeò natura humana cum diuina coniuncta erat, vt proculdubio nobis aſſerere liceat, Deus factus eſt homo, & homo factus eſt Deus, & quia ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit comprehenſor,
1.Cor.13. & beatitudine fruebatur ex viſione Dei non per ſpeculum, & ænigmate, ſed facie ad faciem, tum etiam quia repleuit eum Pater tanta gratia, qua maior excogitari non poteſt: meritò igitur immunis euaſit. Immo cum hominis miſerias, calamitateſque aſſumpſerit, nuſquam ignorantiæ, concupi-
Hebr.7. ſcentiæ, ac fomiti ſe ſubijcere voluit, teſtante Apoſtolo: Talis enim decebat vt eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus.

Hinc fatendum eſt maximum eſſe malum peccatum, & vehementer nobis afficere, noſtriſque commodis obſtare, cum nos ſummo bono, qui Deus eſt, priuet, dicente Propheta: Peccata veſtra diuiſerunt inter me, & vos. Nam ſicut nauis
Iſai.59. agitata ventis, rectore ac clauo amiſſo periclitatur in vndis,

ita

ita nimirum anima amissa (auctore peccato) gratia, æternis mergitur flammis, & sic à Sanctis, Angelisque deseritur, sancto referente Basilio, sicut fumus abigit apes, & fœdus odor expellit columbas, ita animæ nostræ custodem Angelum graue olens peccatum: *S. Basil.*

Præmium, mercedemque laborum aufert, vt Propheta testatur: Si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ quas fecit non recordabuntur. Quod etiam Apostolus affirmat, dicens: Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem (quam duce peccato amittitur) non habeam, nihil mihi prodest. *Ezech. 18.* *1. Cor. 13.*

Hinc etiam nouerimus turpitudinem, & ignominiam eius, cum semper, vt ex D. Ioanne habetur, tenebras inquirat, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Peccat primus hbminum parens, & ad vocem Dei in Paradiso ad auram post meridiem ambulantis se abscondit. Rex Dauid postquam Vriæ vxorem turpiter cognouit, peccatum suum quibuscumque modis potuit abdere curauit, quia sicut ait S. Dionysius, bonum hominis est secundum rationem viuere, malum autem præter rationem esse. *Ioan. 3.* *Gen. 3.* *S. Dionys.*

O pestem mortiferam, licet enim homo delectatione, & voluptate delinquat, tristitia tamen, & mœrore deprimitur, vt S. Augustinus profitetur, dicens: Voluisti Domine, vt omnis animus inordinatus sibi ipsi pœna sit, ita vt verè dicere possimus, scito & vide quàm malum, & amarum est, te dereliquisse Dominum Deum tuum. Filij Israel in Aegypto cæpas comedentes lacrymas effundebãt, & dum escæ eorum erant in ore ipsorum ira Dei ascendit super eos. Quidnam lacrymæ illæ præseferebant, nisi vermem mentem peccatoris assiduè vescentem? Immo breuis illa, ac exigua voluptas magis auget dolorem, iuxta Sapientis dictum, extrema gaudij luctus occupat. Accedit etiam, quod infelix ille peccator in seruitutem redigitur, quia qui facit peccatum seruus est peccati. *S. August.* *Prou. 14.*

Quid mirum Illustrissimi Principes, si omnes peccatorem persequuntur, vt sacræ nobis Genesis narrat historia. Cum Caim fratricidium perpetrasset & à Deo fuisset maledictus, dixit ad eum: Ero profugus super terram, & omnis qui inuenerit Caim, occidet eum. Adam & vxor eius tantum *Gen. 4.*

tum

tum tunc viuebant, & tamen dicit, omnis &c. vt cognoscamus omnia peccatorem odisse. Aquas in diluuio; terram in Dathan, & Abiron; ignem in Sodomis, vrsos in pueris, & Angelos, cum vnus ex eis, nocte vna centum octuaginta virorum interfecit, & ad nihilum redegerit, quod idem etiam
Psal.48. præstat peccatum, ad nihilum redactus sum, illumque brutis similem reddit, homo cum in honore esset non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Quapropter sancti Dei homines malitiam eius agnoscentes, tamquam virum mortiferum fugerunt, eiusque nomen vehementer oderunt. Cum Moyses in Aegyptum à Deo
Exod. missus fuit, dixit ad Pharaonem: Dominus Deus qui est, misit me, vt dimittas populum suum, & sacrificet illi in deserto; qui non audiuit eum, immo deterior effectus, dixit, opprimatur operibus, & expleant illa; tacet Moyses, clamat populus, cur ita agis contra seruos tuos? Adhuc cessat ille: iterum conqueritur populus: serui tui flagellati sunt, & es peccatum in populum tuum. At vbi audiuit peccatum, Moyses statim cælum, terram, fretumque perturbat, prodit cum virga, conuertit aquas eorum in sanguinem, occidit primogenita Aegypti ab homine vsque ad pecus, venit locusta, & brucus cuius non erat numerus, & tandem excussit Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro, hæc autem, ne in peccatum laberetur Israel.

Nouerint ergo omnes turpitudinem, & detrimentum, quod secum fert peccatum, & tamquam à facie colubri sibi
Psal. 50. fugiendum proponant, iuxta propheticum dictum: Quoniã iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Dum peccatum, eiusque malitiam non agnoscebam, illud diligebam, eoque oblectabar, & quia nunc iniquitatem meam ego cognosco, illam execror, & æquè ac inimicum detestor, atque abhorreo, ne contra illos Isaias cla-
Isai. 5. met, dicens: Veh vobis qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & tamquam vinculum plaustri peccatum, & sic in pertinaciam ruant; sed sanctitati, innocentiæ, & puritati ita studeamus, vitamque nostram adeo moderemur, vt passionis Dominicæ participes fiamus, & in die reddendæ rationis coram Deo securè inimicis nostris dicere possimus: Quis ex vobis arguet me de peccato? cumque nullum

accusatorem habeamus, gloriam ingredi mereamur æternam.

ORATIO IV.


VOD ego modo magno cum tremore, & non sine maxima admiratione dictutus sum (Beatissime Pater) quodque vos omnes ingenti cum horrore nunc audituri estis, stupent Angeli, pauescunt Virtutes omnes, supernum cælum non capit, Sol non videt, terra non sustinet, ac tota non assequitur creatura. Christus Saluator noster, ipse Dei Filius, sæculis prior. ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ, & immutabilitatis, illa Archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille tandem Patris terminus, à Iudæis hodie qui prophanauerunt templum, sacerdotium inquinauerant, rectum perturbauerunt ordinem, amiserant Regnum, corruperant quidquid erat Religionis, & quod vitæ, quod legis, quod morum, quod Fidei, quod disciplinæ perdiderant, ac dissipauerant, temerario, ac impio ausu lapidibus petitur. O rem cunctis mortalibus admirandam, amarisque flendam lacrymis, lapides lapidem angularem positum in caput anguli, lapidibus corruere nituntur. Hoc est, quod vobis pauebam dicere; hoc est, quod proferre trepidabam, tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in Iesum. Docebat Redemptor noster, quod erat legis, quod iustitiæ, quod salutis, quod erat non odij, sed amoris, quod veritatis, non mendacij. Audite: Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Et ecce qualem ab impijs pro pietate impietatis mercedem est assequutus, Tulerunt enim lapides vt iacerent in eum. Vtinam maius temporis spatium mihi concederetur, vellem ab ipso rerum cunctarum principio omnia impietatis facta nunc in medium afferre, & ostenderem vobis, quod impietatis consilium de supernis il-

lis,

tum tunc viuebant, & tamen dicit, omnis &c. vt cognoscamus omnia peccatorem odisse. Aquas in diluuio; terram in Dathan, & Abiron; ignem in Sodomis, vrsos in pueris, & Angelos, cum vnus ex eis, nocte vna centum octuaginta virorum interfecit, & ad nihilum redegerit, quod idem etiam
Psal. 48. præstat peccatum, ad nihilum redactus sum, illumque brutis similem reddit, homo cum in honore esset non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Quapropter sancti Dei homines malitiam eius agnoscentes, tamquam virum mortiferum fugerunt, eiusque nomen vehementer oderunt. Cum Moyses in Aegyptum à Deo
Exod. missus fuit, dixit ad Pharaonem: Dominus Deus qui est, misit me, vt dimittas populum suum, & sacrificet illi in deserto; qui non audiuit eum, immo deterior effectus, dixit, opprimatur operibus, & expleant illa; tacet Moyses, clamat populus, cur ita agis contra seruos tuos? Adhuc cessat ille; iterum conqueritur populus: serui tui flagellati sunt, & es peccatum in populum tuum. At vbi audiuit peccatum, Moyses statim cælum, terram, fretumque perturbat, prodit cum virga, conuertit aquas eorum in sanguinem, occidit primogenita Aegypti ab homine vsque ad pecus, venit locusta, & brucus cuius non erat numerus, & tandem excussit Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro, hæc autem, ne in peccatum laberetur Israel.

Nouerint ergo omnes turpitudinem, & detrimentum, quod secum fert peccatum, & tamquam à facie colubri sibi
Psal. 50. fugiendum proponant, iuxta propheticum dictum: Quoniã iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Dum peccatum, eiusque malitiam non agnoscebam, illud diligebam, eoque oblectabar, & quia nunc iniquitatem meam ego cognosco, illam execror, & æquè ac inimicum detestor, atque abhorreo, ue contra illos Isaias cla-
Isai. 5. met, dicens: Veh vobis qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & tamquam vinculum plaustri peccatum, & sic in pertinaciam ruant; sed sanctitati, innocentiæ, & puritati ita studeamus, vitamque nostram adeo moderemur, vt passionis Dominicæ participes fiamus, & in die reddendæ rationis coram Deo securè inimicis nostris dicere possimus: Quis ex vobis arguet me de peccato? cumque nullum

acou-

accusatorem habeamus, gloriam ingredi mereamur æternam.

ORATIO IV.


VOD ego modo magno cum tremore, & non sine maxima admiratione dictutus sum (Beatissime Pater) quodque vos omnes ingenti cum horrore nunc audituri estis, stupent Angeli, pauescunt Virtutes omnes, supernum cælum non capit, Sol non videt, terra non sustinet, ac tota non assequitur creatura. Christus Saluator noster, ipse Dei Filius, sæculis prior. ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ, & immutabilitatis, illa Archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille tandem Patris terminus, à Iudæis hodie qui prophanauerunt templum, sacerdotium inquinauerant, rectum perturbauerunt ordinem, amiserant Regnum, corruperant quidquid erat Religionis, & quod vitæ, quod legis, quod morum, quod Fidei, quod disciplinæ perdiderant, ac dissipauerant, temerario, ac impio ausu lapidibus petitur. O rem cunctis mortalibus admirandam, amarisque flendam lacrymis, lapides lapidem angularem positum in caput anguli, lapidibus corruere nituntur. Hoc est, quod vobis pauebam dicere; hoc est, quod proferre trepidabam, tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in Iesum. Docebat Redemptor noster, quod erat legis, quod iustitiæ, quod salutis, quod erat non odij, sed amoris, quod veritatis, non mendacij. Audite: Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Et ecce qualem ab impijs pro pietate impietatis mercedem est assequutus, Tulerunt enim lapides vt iacerent in eum. Vtinam maius temporis spatium mihi concederetur, vellem ab ipso rerum cunctarum principio omnia impietatis facta nunc in medium afferre, & ostenderem vobis, quod impietatis consilium de supernis illis,

lis, micantibusque loris, ad inferna, & opaca Angelum duxit, & nuncium ſecreti cæleſtis in dæmonem commutauit, hominem de regimine vitæ ad mortalis habitaculum tranſmiſit exilium. ac de paradiſi delitijs, erumnoſos ſæculi huius pepulit ad labores. Impietas primum germano ſanguine terram contaminauit, germanoſque compulit venundare germanum; ipſum Moyſem fugauit, & Aaron in fratris excitauit iniuriam. Ipſa eſt prauorum animorum venenum, criminum virus, peccatorum mater; hanc qui non viderit, bona videbit, hanc qui neſcierit, mala neſciet; & hanc qui fugerit, in æternum viuet. Tandem, ne multis vtar exemplis, paucisque perſtringam omnia, quod pauit mens, quod viſus tremit, quod auditus non capit, ſola Iudæorum impietas non horruit, cum tulerint lapides vt iacerent in eum. Verum cur hoc? niſi quia docens in templo clamabat: Quis ex vobis arguet me de peccato, ſi veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? O quales oculos claudit liuor, quantumque iudicium cordis nequitia indicata cõfundit, ò quàm durè amputat oſtinatio rationem, & ſenſus humanus peruerſus audire non poteſt, quod ſemel ſtatuit odiſſe. Hinc eſt quòd homines mendaces cognoſcere nequeunt veritatẽ, iudexque animus inuenire non poteſt internuncia falſitatũ, quod vult, non quod eſt, audit ſemper qui decreuit errare. Iudæi itaque non diſcutiunt audita, ſibi dicta Chriſti interpretari non quærunt, ſed ferunt iniurias, maledicta diffundunt, auctoritatẽque dicentis contumelijs, & lapidibus minuere conantur. Quapropter poſt contumelias, audita veritate, maximo furore perciti, tulerunt lapides, vt iacerent in eum. Multis prius modis, ſermone videlicet, lege, Prophetis, beneficijs, comminationibus, plagis, aquis, incendijs, bellis, victorijs, cladibus, ſignis è cælo, ex aere, ex terra, hominum, vrbium, ac gentium inſperatis mutationibus ad ſui cognitionem Deus mundum allexit: verum multiplicata hominum malitia, maius auxilium requirebat, miſit ergo Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, quẽ tamen verbis, exemplis, doctrina, & miraculis in propria venientem ſui non receperunt. Demum vt inexcuſabiles forent, ſi eum non agnoſcerent, ipſique non crederent, vltimũ ferè de ſeipſo, deqoe eorum ſalute, hodie periculum faciens inquit: Quis ex vobis arguet me de peccato, ſi veritatem

dico vobis, quare non creditis mihi? Publicè veritatem docebat, quia nō amat hæc angulos, non ei diuersoria placent, in medio stat, communi vita, communi disciplina, communibusque studijs delectatur. Beatus vir ille, qui non abijt in consilio impiorum, & qui diligit veritatem, quoniam vnum cum Deo efficitur, Deus enim veritas est, mendaciumque non est in illo: furoris tamen Iudæorum immanitas id ægreferebat, veluti igitur tauri pingues, vituli multi, frementes bestiæ, canes rabidi, tulerunt lapides vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo; sicque eorum impietate nnn ortus lucis, sed occasus contigit illis, non eorum oculis solutus dies prodijt, sed impijs mentibus nox terræ cæcitatis incubuit. Exiens quippe Christus templum, & altaria diruit, leges, & Prophetas ademit, Regnum, & Sacerdotium sustulit, ac tandem in luctum æternum, omnia eorum festa conuertit. Ne igitur à nobis discedat Christus Sol iustitiæ, vitam ex virtute instituamus, diligamus veritate, qnæ verbum Dei est, fugiamusque mendacium, à quo cuncta mala procedunt. Dicite (quæso) vnde malum? culpa vnde? vnde criminum furor? vnde corporum bella? vnde afflictiones animæ, vitæ tempestas, & mortis crudele naufragium ortum habuêre? nisi ex mendacio. Hoc mali auctor, nequitiæ origo, rerum hostis, secundi hominis inimicus, tendit istud laqueos, parat lapsus, fodit foueas, stimulat corpora, animas pungit, malas cogitationes suggerit, imitetur iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, affectus dissipat, conscindit vnitatem, sapit malum satis, bonum nihil, violat diuina, humanaque omnia permiscet, atque confundit. *Psal. 1.*

O quàm velociter quidem (Patres Amplissimi) iste fugiendus est morbus, quia quos tangit sanari non patitur; suorum enim carnifex semper existit, & in quorum inuenitur pectore, siticulosus fons est, ardens vnda, quæ suis magis, ac magis inflammat fluentis, vt bibentis non extinguit sitim, sed auget incendium. Quid plura? Christus, qui venit saluum facere quod perierat, qui non venit vocare iustos, sed peccatores, qui dedit animam suam pro ouibus suis, qui veritatem semper docuit, perdit omnes qui loquuntur mendaciū. Hoc attendens Dauid ille Regius Propheta exclamabat: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieuit in monte sancto tuo? Et ecce quale responsum accepit: Qui *Psal. 14.*

ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Itaque si in tabernaculo illo cælesti, monteque sancto in sæculum sæculi quiescere cupimus, impietatem detestemur, fugiamus mendacium, ipsamque veritatem totis viribus amplectamur.

ORATIO V.



ONVICIIS, & armis P. B. hodie conuenerant in vnum, populi, & principes aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: conuicijs inuehuntur in eum: Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? tu maior es patre nostro Abraham, quia mortuus est, & prophetæ mortui sunt? Nunc cognoscimus quia dæmonium habes. Armis insurgunt, lapides tollentes vt iacerent in eum. Virum qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, cuius fidelis est sermo, & omni acceptione dignus, quem si quis seruauerit mortem non videbit in æternum: verba hostibus pacifica locutus est, & ab impiarum detractione linguarum liberans se ait: Ego dæmonem non habeo, neque gloriam meam quæro, quod dæmonis est, sed honorifico Patrem meum mihi consubstantialem, & Abraham, quem patrem vestrum dicitis, cuius opera non facitis, exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est, & antequam fieret ego sum. Et vt saxorum imbre se eripiat, & det locum iræ, abscondit se ab eis, & exiuit de templo. Harum calumniarum falsitatem, & tormentorum arma Sapiens personam induens impiorum, cælesti spiritu vaticinans in libro prodit Sapientiæ: Contumelia, inquit, & tormentis interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Reuerentia contumeliam vincit, & tormenta patientia superantur. Cuius rei veritas hodierna die probatur à Chri-

Isai. 53. *Sap. 2.*

ſto, in quod diligenter aures, animoſque intendere nos æquũ eſt, vt eius inſtruamur exemplo. Hominem rectum, & ſupernaturali originalis iuſtitiæ dono decoratum fecit Deus, & reliquit eum in manu conſilij ſui, qui diuinam harmoniã diſſoluens gratuitis muneribus ſpoliatur,& in naturæ facultatibus vulneratur,ratione, voluntate,iraſcibili,concupiſcibili; quarum primam prudentia, iuſtitia alteram, fortitudo tertiam, temperantia poſtremam illuſtrabat, ex illo infinitis ipſe ſe immiſcuit quæſtionibus, ignorantia, malitia,infirmitate, ac concupiſcentia in præceps actus, quibus quaſi inflictis vulneribus ſanitas in eo non remanſit vlla. Quare de cælo proſpiciens Deus in terram venit, & ſaucio vt Samaritanus appropinquans curationem adhibuit, & oleo conſolatoriæ prædicationis: Si veritatem dico, quare non creditis mihi? & vino comminatoriæ increpationis: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis, eos non deſtituit. At Ac quoniam facta eſt veritas in obliuionem, hinc impij cogitantes apud ſe non recte dixerunt: Circumueniamus iuſtum, quo circuitu?circuitu malitiæ,& nequitiæ, de quo Pſaltes: Caput circuitus eorum. Superbia caput circuitus eorum, ipſa enim eſt omnis peccati radix, & origo; quam B. Ioannes in ſuis reuelationibus, in imagine beſtiæ cum capitibus ſeptem, de mari huius mundi aſcendentem vidit: hæc dominabatur Hebræis; per hanc enim ſæuiebant in Chriſtũ dicentes: Inutilis eſt nobis, contrarius eſt operibus noſtris; improperat nobis peccata legis, infamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ, promittit ſe ſcientiam Dei habere, Filium Dei ſe nominat, & factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Hoc in circuitu impij ambulant, ſibi lucem tenebras, vitam mortem cogitantes, qui peccatorum nocte excæcati Chriſtum Dominum non cognoſcentes contrarium operibus ſuis aſſerebant, quippe qui enitens caliginem nequitiæ, ab eorum mentibus diſſoluere, cogitationes malas eorum damnabat, dicens: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Eoſque legem Moyſi non cuſtodientes publicè repræhendebat: Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Tali, ac tantæ veritati credere nolentes, ineunt conſilium, & aiunt: Videamus ſi ſermones eius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi; & ſciemus quæ erunt nouiſſima illius, & ſi verus Dei Filius eſt ſuſcipiet

Eccli.15. *Luca 10.* *Sap.2.* *Pſal.139.* *Apoc.13.* *Matth.9.*

illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Vera quidem astruunt, & quod sermones eius sunt veri, & quod Filius Dei est, & quod de manibus contrariorum liberabit illum. Quoniam verò non in recto, sed in circuitu ambulant, veritatem non intelligunt, ideo labor labiorum ipsorũ operiet eos, quòd magis obliquum, aut transuersum, quàm non credere dicenti veritatem, cùm maximè illi credendum fuerit, qui veritatem dicit.

Psal.139.

Sed ne miremini Amplissimi Patres; sunt enim hi de patre diabolo, generationis autem diabolicæ proprium hoc est, vt sit mendax, & commutat veritatem in falsitatem, dicendo bonum malum, & malum bonum, ponendo dulce in amarum, & amarum in dulce; qui enim in longum vadunt, aliunde incipiunt, & alicubi finiunt; qui verò in gyrum eunt, nunquam finiunt, & cadunt: labor in vitijs, requies in virtute est. Labor igitur impiorum operiet eos, piorumque requies omnium bonorum fine claudetur. Heu impij, qui patrum suorum prophetas occidentium implent mensuram, soluere quærentes corporis Christi templum, quem occiderunt suspendentes in ligno, qui si per ignorantiam (Apostolorum Principe teste) occiderunt eum, hoc fecerunt, quia intelligere noluerunt, vt benè agerent: Quamobrem excæcauit eos malitia eorum, quæ valde velox est ad effundendum sanguinem: sanguinem vtique immaculati agni Christi Domini, qui ab eisdem toto vitæ tempore varijs fuit persecutionibus, laboribusque affectus. Propterea per Prophetam de se ipse dixit: Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus; quibus sanè verbis totum suæ vitæ curriculum explicuit, quomodo in paupertate natus, in laboribus conuersatus, in ara Crucis exaltatus, in morte per astantium improperia humiliatus, & in anima præ tristitia conturbatus. Talis autem conturbationis, & anxietatis suæ causam Patri ostendit, dicens: Quoniã propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. O profundam patientis Christi humilitatem, vt Pater eius clarificaretur, & in terris sanctificaretur, opusque ei datum consumaretur, opprobrium, & confusio exprobrantium sibi ceciderunt super eum. Quare dixit Hebræis: Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me opprobrio scilicet & confusione, quali opprobrio, qualique confu-

Sap.5. *Psal.87.* *Psal.68.*

sione?

fione? Opprobrio, quia magum, & dæmoniacum, quia blaſphemum, & voracem, quia vini potatorem, & ſeductorem, & quia hominem non à Deo eum vocauerunt; confuſione, quæ operuit faciem eius, quia comprehenderunt, & ligauerunt eum, quia velauerunt, & percuſſerunt faciem eius, quia expuerunt in eum, & coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & quia præfixis humeris Crucis lignum baiulantem, duos cum eo crucifigentes latrones in Caluariæ locum perduxerunt. Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, quid iniquius, quid crudelius, quid ſceleſtius, quàm pugnare aduerſus innocentem, & ſæuire in iuſtum? Lex quidem eſt, innocentem, & iuſtum non interficies, iniqui tamen aiunt, opprimamus pauperem iuſtum. Iuſtus quippe Chriſtus eſt, iuſtificati gratis multi in ſanguine ipſius, iuſtus eſt, & iniuſtus iudex Pilatus morti eum adiudicans dixit: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. Iuſtus eſt teſte mercatore illo peſſimo, & proditore Iuda auariſſimo in pœnitentia ductus dixit: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. Pauper ergo iuſtus Chriſtus, ideoque humilis & patiens, etenim humiliauit ſemetipſum obediens factus ad turpiſſimam vſque mortem Crucis, ad quam ſicut ouis ad occiſionem ductus non aperuit os ſuum. Cuncta hæc euenire Filio promiſit Pater, vt poſteris eius patientiæ daretur exemplum. Patientia opus perfectum habet, hæc dolorem & triſtitiam mitigat, hæc iram temperat, hæc odium reſtinguit, hæc detrimentum tollit, hæc patientem in iniurijs proprijs hominem facit, hæc iniurias Dei, quas impium eſt diſſimulare non patitur, ad huius virtutem patientiæ Dominus noſter ſuos hortatur, dicens: Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit, & non eſt ſeruus maior domino ſuo, & qua nam ratione efficaciori, quo argumento validiori, vt ad tormentorum tolerantiam animemur, vti potuit? Serui fideles dominum ſuum ſequuntur, per eo perſecutiones patiuntur, odioque habentur; & nos qui Chriſtum induimus, in nomine eius tantum gloriabimur? Recogitemus eum, qui talem ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemur animis noſtris deficientes: nam paſſione eius ad memoriam reuocata nil adeo durum fuerit, quod non æquo animo ſimus toleraturi. Recogitemus quod dixit: Pro eo vt

Matth.27.
Iacob.1.
Ioan.15.
Hebr.12.
Pſal.108.

me

me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. Cui orauit? pro quibus, & quo modo? Patri offenſo per eum, crucifigentibus, & clamore valido, & lacrymis. Grande profectò miraculum. Quis mortalium, inquam, andiuit quempiam in extrema mortis trepidatione clamare? At Dominus noſter in illo ſuæ vitæ ſupremo halitu, voce magna, & clamore valido preces, & ſupplicationes effudit, cōmoſtrans paſſionem per vim illatam animam à corpore non eijcere; ſed à ſemetipſo habere poteſtatem ponendi eam, & iterum ſumendi eam. Quis verò non meretur vocem illam: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. O charitatem immenſam, nemo talem habet charitatem, vt animam ſuam ponat pro amicis; ipſe autem non pro amicis, ſed pro inimicis & crucifixoribus orauit, & dilectam animam ſuam poſuit. Verum cum non liceat Ampliſs. P. ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum, deponamus ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, & induamus nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis: hiſque præſertim diebus Chriſto paſſo in carne, eadem nos cogitatione armemur, & Sponſam ſanctam Dei Eccleſiam, à qua egreſſus eſt omnis decor imitemur, cum ea dicendo: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur, & manus meæ diſtillabunt myrrham, & digiti mei pleni erunt myrrha probatiſſima. Sanè Chriſti paſſio ob nimiam amaritudinem myrrhæ faſciculo comparatur, quippe quæ faſciculus, & non faſcis eſt, non quod leuis ſit paſſionis Chriſti aſperitas, mortiſque amaritudo, ſed leuis dilecto & amanti; amoris enim vis amaritudinem omnem, omnemque moleſtiam ſuperat. Hic inter vbera noſtra, hoc eſt in cordis noſtri memoria per ſæcula commoretur. Nobis itaque faſciculum ipſum colligamus: primum illarum infantilium neceſſitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſſerendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lacrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo. Poſtremo conuiciorum, ſputorum, colaphorum, exprobrationum, clauorum, horumque ſimilium, quæ pro ſalute noſtra nouimus copioſiſſime pertuliſſe, & manus noſtræ diſtillent myrrham amaritudinem iniuriarum, proximo condonando, largitionem eleemoſynarum pauperibus erogando,

Cant. 1.

do,

do, aduersa malorum omnium perferendo. Et vt Christum Dominum, qui ob scelera nostra, & lapidea corda abscondit se à nobis exiens de templo inueniamus, vtque ipse ad templum sanctum suum, quod sumus nos reuocatus, saltem reuertatur. Digiti nostri pleni sint myrrha probatissima, hoc est bonorum operum discretio, cum salubri mentis amaritudine, & modesta, ac lacrymosa peccatorum memoria coniungatur. Dixi.



DOMI-

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.



ORATIO PRIMA.



SI quis antea reperiebatur, qui vitam suam minoris æstimaret, hodie in eo qui precium persoluit, intelligat quantum accepit. Stetit sanguine eius cogitatio, stetit proditione ac vinculis prima aggressio, stetit alapis, verberibus, contumelijs cõtinuatio; stetit denique vulneribus, cruciatu, morte consecutio. Illo Domini timore spes empta seruorum est, illis vinculis in libertate filiorum se expediuere mancipia, ijs plagis conualuit semiuiuus orbis terrarum, ijs denique gradibus peruenere filij mortis ad vitam, quibus vitæ parens properauit ad mortem. Rem ego paucis proponam, vos de rei magnitudine iudicate. Coëgerat Discipulos Magister amantissimus, eos vltimum visurus, & qui vitam ideò acceperat vt donaret, maturo iam tempore se suis super mensam in cibum, potumque, inaudito charitatis ostento tradiderat; cum propius se operi accingens in proximam Gethsemani villam discipulis comitatus à cœna processit. Ibi dum à Patre initium rei suscepturus se dat in preces, insolito repente metu correptus, salutis primum sudore membris, nox etiam sanguinem prodigiose lachrymantibus, intellexit continuo quam cum homine permutationem fecisset, dum sua nobis elargitus, no-

stra

ſtra ipſe ſuſceperat. Ergo hic primus operis gradus fuit, cum ex Domini metu ſpem ipſi hauſimus vicinæ libertatis. Qui ſequitur gradus, ipſam nobis ex eiuſdem captiuitate libertatem tulit. Dum hæc ita aguntur, ecce in hortum ſubita vi irrumpitur, explicatur late acies, villa extemplo occupatur: ad impiam oſculi teſſeram hoſtiliter vndique omnes concurrunt, in vnum barbare collimant, ferarum more impetum faciunt, ſiſtunt, vinciunt, trahunt: ille de ſuo ſecurus, de noſtro ſollicitus, hilari fronte proditorem excipere, porrigere vincientibus manus, inſerere collum in laqueos, vincula cum toto corpore induere. Videbat nimirum eos à noſtris manibus funes expediri, quibus ſuæ nectebantur: ſentiebat quot ipſe nodis conſtringeretur, tot nexus è collo filiæ Sion relaxari: intelligebat vna eademque opera liberum ſe capi, captiuum genus humanum liberari: ſcilicet hoc nobis Iudæorum furor famulatus eſt: hiſce miniſtris vſi ſumus libertatis noſtræ, dum ſæuiere in Dominum funeſtæ militum turbæ, dum viri ſanguinum in innocentem cõterſere aculeos ſuos, dum apes illæ in diuinæ humanitatis fauum certatim exarſere, nobis dum neſciunt, libertatis ſuauitatem elaborarunt. Et tu infelix transfuga, prædonum feralis, proditor amentiſſime, oſculo quod è Domini tui genis, atque ore libaſti, tibi quidem perfidè venena quæ te medium rupere, ſuxiſti, nobis autem illam, quæ de forti egreſſa eſt, dulcedinem comparaſti. Sed hæc parta Domini ſeruitute libertas, gradus illi ad plagas, nobis ad ſanitatem fuit. Ductus ad Annæ conſpectum, inde ad Pontificis tribunal allegatus, ex hoc ante Romanum Præſidem in Prætorio conſtitutus, ita vbique qua ſilentij conſtantia, qua reſponſi modeſtia innocentiæ cauſam egerat, vt niſi planè, aut Sacerdotum oculos excæcaſſet inuidia, aut Præſidis animum intercluſiſſet metus, videri illis innocens, ab hoc etiam pronunciari potuiſſet. Sed inſanis Iudæorum clamoribus meticuloſus plus nimio Præſes, dum ſubtrahere reum ſtudet, inſigni animaduerſionis genere vitam redempturus, virgis cædi innocentem iubet, vt ſaltem parcere vitæ poſſet, cuius ſanguinem hoſtibus pro arbitratu donaret. Nimirum immenſam fuiſſe Iudæorum crudelitatem oportuit, quæ tam crudeliter parcere Romanum coegit. Ergo ſatellites traditum ſibi reum arripiunt continuo in atrium, veſtes extrahunt, manibus ad

saxum ligant, tum vero virgas expediunt, carnificinam adornant, lacertos atque ictum vibrant. Ah sistite, si quis pietatis sensus, si quid humani homines habetis, ne manus vestras tam innocenti sanguine violate. Hic si nescitis Rex vester est, hic vltionum Deus, hic exercituum Dominus; hic si iubeat, non modo vos vilia capita, sed armatum cum Regibus suis orbem, aduocatæ è cælo Angelorum legiones fulminabunt. Væ genti peccatrici, populo cor non habenti, filijs sceleratis, truces illi ac barbari, quasi ciuicam coronam relaturus, qui primus ac valentius feriret; certatim vulnus infligere, teneros artus, repetitis alte vibicibus, aperire, humeros, caput, pectus, vbique fodere, lacerare, proscindere. O facinus, ò spectaculum! Cædebatur illud Virginale corpus, soluebatur templum illud non manufactum, diripiebatur illa regia diuinitatis. Defluebat ad terram multis quasi è fontibus sanguis, deficiebant cum sanguine etiam vires: & tamen ipse, quasi meritus fustuarium fugitiuus, non se virgis subducere, non carnifices ad misericordiam oculis flectere, non fidem cuiusquam implorare. Immo verò quam potissimum corporis partem expeterent, eam subijcere vulneri; dare libenter sanguinem, dare & vitam. Neque ita vt per horam aut diem ea laniena duraret; sed menses si opus sit, atque annos plures, discerperentur humeri, cæderetur in frusta dorsum; modo quicquid supra dorsum fabricauerunt peccatores, ea impressione conciderent; modo curarentur cicatrices nostræ vulneribus suis; modo apertis illis vibicibus tumores nostri rumperentur; modo parata eo sanguinis lauacro medicina, sanitatem hauriremus ipsi in gaudio de fontibus Saluatoris. Verum adhuc Domino supererat quod donaret, nobis quod acciperemus hostra illi opprobria auferenda erant, sed contumelijs suis. Hoc verò à barbaris satellitibus eo tormenti genere effectum est, cuius exemplum nec ipsi in antiquitate imitati sint, nec habuerint in posteritate imitatores. Etenim ferales lanistæ verberando iam defessi, quasi quietem aliquam accepturi, seminecem Dominum carnificinæ subductum, in eodem Prætorio per otium circumsistunt. Audierant affectati regni reum esse, placuit ornare regijs illum insignibus, Regem salutare. Ergo per summam dissimulationem, tanquam actores in fabula, conquisita ad hanc rem histrionica purpura, regem induunt:
pro

pro ſceptro arundinem in manu ſtatuunt; pro corona ſertum è ſpinis horrentibus capiti circumponunt. Mox adornato lictorum ſatellitio, regem ſuum ambiunt, ſupplices in genua procumbunt, timidi venerantur. Tum verò quaſi in ſcenæ cataſtrophe, mutata perſonarum facie, ingenti omniũ plauſu, ridente toto foro, perſonante conuicijs atrio, ambitioſum ſcurram conclamant, exſibilant, explodunt. Sic dignum illud ſideribus caput, manus illæ diuinitatis ſceptro pares, ille Rex gloriæ, ante quem curuantur qui portant orbem, factus infimæ plebis, ac militaris licentiæ ludibrium, dum rex in fabula luditur, ſuis nos contumelijs glorioſe coronat. Et iam Domino, amiſſa libertate, ſanguine, viribus, ipſa pæne hominis ſpecie, vna quam daret vita ſupererat; quam ideò ſolam ſupereſſe Præſes voluit, quo eam facilius ab Iudæorum immanitate impetraret, ſi eo redactum oſtenderet reum, vt ægrè ſpirans cadauer, vix hominis numero haberi, atque internoſci poſſet, niſi ei titulum hominis addidiſſet. Sed hæc tam atrociter humana Præſidis diligentia à truci illo odio Sacerdotum, ab ea tigrium rabie ne tantillum quidem pietatis expreſſit. Tollendum plane de medio contendunt, id ipſum quod reliquum eſt vitæ, poſcunt ad necem. Quid multa? obnoxius iam timori Præſes, pronus in obſequium, homo fanaticus, extorto clamoribus iudicio, feſtinata contra recentem Tiberij legem de reorum cæde in decimum diem proroganda, ſententia; è tribunali pronunciat (hæſitaſſe hic ego crediderim improbitatem, & iniquiſſimæ vocis pæne puduiſſe.) pronunciat videri ſibi in Chriſtum, iuxta Pontificum poſtulata, Crucis ſupplicio animaduertendum. Nihil vmquam iniquius dictum, nihil auidius auditum, nihil celerius factum. Rapitur continuo ad necem, imponitur humeris patibulum, ſiſtitur ad Caluariam, nudus Cruci ſuffigitur. O amor, ò pietas! dum hic triſte parricidium vrgetur, illic inferni regno illuditur, vbique infami letho inſultatur, homo pacis noſtræ tamquam in die lætitiæ ſuæ, diſpenſare militibus veſtes, impetrare interfectoribus veniam, donare latroni cælum: donec deficienti anima, pronis in mortem oculis, labente in pectus capite, quaſi inſpiraturus in hominem ſpiraculum vitæ, effuſo ad ſpectaculum cælo, motis ſede ſua elementis, natura laborante, dum tot inter mundi dolores parimur; Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus expirauit.

ORATIO II.



VIVS rei memoriam hodierno die in augustissimo orbis terræ consessu oratoris, quasi præconis voce iubeas renouari B. P. tametsi omnes sciunt, magnopere tamen verendum est, vt omnes intelligamus. Is, in quo nostra omnia posita erant, tum præsidia, tum ornamenta, sublatus est morte non solum acerbâ, sed etiam indignissima. Magna sane doloris, sed maior pietatis, ac religionis materia. Hanc ego commemorationem dum pro veteri instituto paucissimis exequor, vnde melius ducam luctuosissimæ narrationis initium, quàm ex horto Gethsemani. In quo loco ad Clementissimum Patrem confugiens innocentissimus Filius, non modo non est auditus, sed etiam in hostium manibus derelictus. Video sanè video inexplicabile amoris argumentum nos audimur, quum ille reijcitur, & obstructas ad Filij salutem aures, aperit mancipij respectus. Agnosco Isaacum paternis vinculis obligatum: sed nullam quæ pro soluto filio imolāda sit hostiam video: quippe hic ipse est victima, non vt illa quondam inter vepres inuenta ab Abrahamo, sed in horto peccatorum nostrorum multo acrioribus aculeis, quàm veprium, spinarumque compuncta. Hinc videlicet largissima cruenti sudoris copia, quo primum imbre terræ nostræ sterilitas laxaretur. At socij interea consopiti non expergiscuntur, nisi armorum strepitu, catenarum fragore, satellitum clamoribus. Non tamen totius improbitatis caput Iudas conquiescit, quin conceptam iam fraudem osculo maturet, ac venalem habens Deum omnium, qui post facta vendiderunt, teterrimus auctor existat. Quid hic commemorem in regium Christi collum catenas iniectas, quid ad tergum reuinctas mundi opifices manus? & tamen hoc est collum, vnde paulo ante vox erupit index Diuinitatis, quo veluti fulmine attonita retrocessit

cessit impietas. Eæ sunt manus, quibus in hoc ipso articulo ad nefarij militis vulnus adhibitis ingratus ille sanatus est. Sed vt hæc sit hora & potestas tenebrarum, ne quicquam tamen improbissime Caipha expectas, ceu subita tempestate deprehensus ad indignum aliquid Deo confugiat. Quā silentio, quā responsorum grauitate vinceris ab eo, quem vinctū tenes: & prius sacerdotio, quod ante moribus, quàm distrahendis ac discerpendis vestibus violasti, abdicare te cogeris; quàm ille, cui imperare te putas, quidquam velit de sua maiestate detractum. Quid vero confutato Pontifice, num merces aliqua statuitur illustri victoriæ? vel ob hoc ipsum quod hero simulatio non processit, ab iniqua familia innocentissimus reus omni est contumeliarum genere diuexatus. Quo ille exemplo, quem finem fermè habeant tenuiorum hominū cum potentioribus lites ostendit. Quam hic ego ad inauditam iniuriam horrore perstringor? nefariæ cohorti ludibrio cæditur flos sanctitatis & virtutis. Quid agitis cæli ciues? facies illa diuina, vestræ scena voluptatis, infami velo obnubitur, & sustinetis? pugnis contunditur, & aspicitis? alapis cæditur, & nemo se commouet? sputis inficitur, & pati potestis? ora, manus, pedes, corpus denique totum, in eius iniuriam soluunt perditi homunciones, per quem viuunt: & nullus est ex vestro numero Abisai, qui canes istos morituros deposcat ad necem? Sed nimirum nec stupidi vos, nec ingrati timetis ne si per vos stet, quo minus Dauid hic saturetur opprobrijs, dum parcit inimicis, oderit amicos. Ille enim si sputis in facie susceptis inquinatur, internam animorū nostrorum faciem lauat. Si velo contegitur, quod mentis nostræ oculos cohibet, impietatis velum abrumpit. Si alapis cæditur, pugnisque contunditur, omnes, quas peccato contraximus, ignominias delet, testis Apostolorum Princeps Petrus, qui dum alijs condiscipulis fuga dilapsis, suis confidēs viribus, nihilo segnius ire pergit, nouo turbine prostratus, ab eo in summa calamitate erigitur, quem maximè circumsteterat iniuriæ procella. Sed hæc hactenus in tenebris, & noctis silentio. Quid luce palam, & in oculis omnium? Verum enimuero quæ est hæc tandem peruersitas non iam tenebræ, ac noctis conscientia desiderantur ad fraudem, lux, radij, sol, omnium oculi ad scelus optantur, & quasi parum feliciter importuni latrones in nocte grassati sint, dies expetitur. O
diem

diem infaustum, ò lucem omnibus tenebris obscuriorem, nō tu parricidio, strage, aut insigni aliqua calamitate inaudito post hominum memoriam scelere, Dei inquam cæde notabilis existis. Itur ad Romani Præsidis aulam, vt quia tanti facinoris grauitatem Iudæorum natio sustinere non poterat, cum orbis terræ Principe populo communicatam lenius fieret. Sed vt timidior Romanus Præses vt humanis rationibus omnia æstimans, vt plane non liber à scelere, quia tamen abluens manus vestram non potuit Iudæi abluere crudelitatem si non à se, certe à suo populo noxam depulit vniuersam, totam inuidiæ flammam in vobis reliquit, qua miseri, perditi, abiecti, nullo domicilio, ne hospitio quidem satis tuti, necesse est, vt ad finem vsque deflagretis. Si enim vestræ fuerunt illæ succlamationes, Tolle, tolle crucifige eum, Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris, Sanguis eius super nos, & super filios nostros, Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, Vestra est etiam iustissima pœna celeberrimæ vrbis excidium, filiorum captiuitas, Reipub. dissipatio. Sed quid hoc est quod video? quale spectaculum, quàm acerbū, quàm immane! hominis, & Dei caput, horrendo è spinis contexto serto, nouo feralique inuento, non iam compunctum, sed omnino confixum; sacram & virginalem cutim cælo ipso puriorem, omni ex parte diro verbere consauciatam. Heu caput diuinum, quod adulationi nunquam inflexum est. Corpus quod omnium seruiuit commodis, sanctissimi animi domicilium, salutaris Sapientiæ sacrarium, diuinarum cogitationum comitium. Aspicis è turba mater, nec agnoscis in vna Filij plaga, ea quæ in te quondam diuinus Spiritus admirabili ratione membra distinxit. Quam diuersa ab illis, quæ lacte irrigabas, pannis obligabas, osculis demulcebas. Exaggerat hoc vestrum scelus Iudæi, inter Filij pœnam, & matris lacrymas vos, quasi nullius matris filios, sed silice natos, non modo miseratione non tangi, sed immanius efferari.

Ergo à timidiore Iudice in innocentissimum reum per nefarium populum vi, minis, clamoribus, omni tumultus genere, capitalis sententiæ iam extorta, educunt vt crucifigerent. Et baiulans sibi Crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum. Res sanè admiratione plena: sed (vt Augustini viri sanctissimi verbis vtar) si spectet impietas, grande lu-

de ludibrium; si pietas, grande mysterium: si spectet impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas grande Fidei monumentum; si spectet impietas, Regem ridet pro virga Regni, lignum sui portare supplicij; si pietas, videt Regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum: in eo spernendis oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum. Itane cælestis Pater, hæc est ob insignem victoriam reduci Filio triumphi species apparata? pro curru aureo pedes ingreditur, ipse sui portans instrumenta supplicij; pro victoriæ gloria, vultu oculisque deiectis: ceruice etiam ob ponderis immanitatem ad terram vsque depressa; pro aureo, regioque amiculo, obsoleta purpura, vel ad ludibrium, vel ad pœnam indutus: pro ouantibus amicis, mulierculari lacrymis & luctu comitatus: pro plausu acclamationibusque popularibus, conuicijs ac maledictis oneratus. Verum quam hic ego triumphi speciem requiro, vbi se à Patre in summa ærumna fateri non dubitat derelictum? An non derelictus, cui iam in Crucem sublato quum inter medios cruciatus animam ageret, animarum adhuc nostrarum salutem sitienti, spongia aceto plena obtruditur ab inimicis, accommodatum sanè poculum ad tale mortis pœnarumque conuiuium. Ille vero, quam his & alijs, quas tum sustinebat iniurijs lacessitus, pœnam reponit, iam toto corpore vulneribus lacer, ac dehiscens, iam sanguine manans ac perfluens, flexis ad sui commiserationem elementis, syderibus hebetatis, terra commota, lapidibus discissis, sole atrato, die ne interesse cogeretur, diffugiente, sollicitus adhuc de importunis homicidis, quos ad pœnam tanta rerum confusio requirebat; Patrem pro illis, vt etiam hic suam putaret imminutum iri maiestatem nisi remitteretur, exorauit. Quanto melior futurus si vtique credere voluissent, quàm fuit obstinatis adhuc ad non credendum animis, corporum defensor, & vindex? Sed persistant adhuc illi in immanitate, agitent capita sua, blasphemias iactent, extincti iam pectus illud, quo leges elementorum, & vices syderum disponebantur, cuspide adacta transuerberent, aliaque multa in mortuum edant crudelitatis documenta. Luget si non Iudæorum natio, certè Iudæorum religio Christi necem, & Templi velum, quod edere noluit cæca gens luctus exemplum, à summo

mo se ad terram vsque rescindens, tanto magnificentius edidit, quanto præclarius est hoc funere inclytæ gentis auitam religionem efferri, quanto est acerbum illos in cæcitate, sæuitiaque persistere. Nobis verò, qui sterili & effœta Synagoga repudiata eius vtique matris filij sumus, quam ille sibi hoc die tot cruciatibus, tanto sanguine in Crucis thalamo sanctissimo iure copulauit: videndum est etiam atque etiam ne non modo impietatis arguamur, dum optimi Parentis funus, non eo quo par est sensu doloris ac pietatis prosequimur; sed ne nostræ salutis negligentes simus, dum adhuc eligimus in veterum conscientia hærere culparum; quæ vel solæ Parentem optimum impulerunt, vt acerbissimam mortem sustineret. Quamobrem quæ nostræ sunt partes hodierno die vides, Beatissime Pater, conquestionis, commiserationis, expiationis, quamuis enim tota Domini nostri vitæ ratio in summis laboribus, ærumnisque traductæ, hæc à nobis requirat: ea tamen nescio quo pacto magis exigit mors, quæ vt nihil est indignius ad conquestionem, nihil acerbius ad commiserationem, ita etiam nihil est vberius ad cumulatissimam peccatorum omnium expiationem.





ORA-

ORATIO III.



I quando vnquam, hodierno certè potissimum die est à Deo Optimo Maximo precandum, optandumque, vt non ad breuem, & inanem Christiani nominis ostentationem, sed ad solidam, perfectâque pietatem Crucis, ac mortis suæ imaginem in nobis velit expressam. Hoc est tuum Beatissime Pater, hoc Amplissimi huius Senatus iustissimum votum; cui, vt aliqua ex parte mea etiam famuletur vox, eò vos reuoco, vnde in amplissimi certaminis campum est progressus gigas ille fortissimus, qui hoc maximè die exultauit, vt curreret viam suam. Hic dum exerto diuinæ iustitiæ flagello regius, ac diuinus iuuenis, vt mancipium liberet, corpus obiectat; adeò est eius sibi impendentis vmbra conterritus, vt pænè exanimis concidens, laxatis toto corpore angustissimis illis, quibus sudor erumpere solet, venarū osculis largissimi cruoris riuos effunderet. Quod ego dum mecum ipse reputo, reique nouitatem admiror, diuino planè cōsilio factum existimo, vt omnes intelligeremus illum tantum dolorum, & cruciatuum, quantum postea pertulit, non stupidioris, & hebetioris sensus beneficio, sed constantissima voluntate pertulisse. Abiecta igitur illa timidi; & pauentis persona vltro se offert inimicis. Quid hic ego commemorem tuam scelestissimè Iuda non modo fraudem, & impudentiam, sed eò etiam progressam amentiam, vt potueris in osculi dulcedine abscondere sicam proditionis? Agnosco auaritiæ fœtum, crudelitatem. Sed iam obligata est victima, itur ad Pontifices, & Sacerdotes, an potius sæuissimos lupos? Quorum hoc erant acerbiores dentium impressiones, & profundiora vulnera, quod specie pietatis sæuiebant. Quasi parum esset vitam eripere, nisi etiam probæ vitæ famam auferrent. Sed ecce iam per totam vrbem sparso nuncio, fama vagatur captum esse Iesum Nazarenum pro-

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

ORATIO PRIMA.



I quis antea reperiebatur, qui vitam suam minoris æsti maret, hodie in eo qui precium persoluit, intelligat quantum accepit. Stetit sanguine eius cogitatio, stetit proditione ac vinculis prima aggressio, stetit alapis, verberibus, contumelijs cõtinuatio; stetit denique vulneribus, cruciatu, morte consecutio. Illo Domini timore spes empta seruorum est, illis vinculis in libertate filiorum se expediuere mancipia, ijs plagis conualuit semiuiuus orbis terrarum, ijs denique gradibus peruenere filij mortis ad vitam, quibus vitæ parens properauit ad mortem. Rem ego paucis proponam, vos de rei magnitudine iudicate. Coëgerat Discipulos Magister amantissimus, eos vltimum visurus, & qui vitam ideò acceperat vt donaret, maturo iam tempore se suis super mensam in cibum, potumque, inaudito charitatis ostento tradiderat; cum propius se operi accingens in proximam Gethsemani villam discipulis comitatus à cœna processit. Ibi dum à Patre initium rei suscepturus se dat in preces, insolito repente metu correptus, salutis primum sudore membris, nox etiam sanguinem prodigiose lachrymantibus, intellexit continuo quam cum homine permutationem fecisset, dum sua nobis elargitus, no-

ſtra ipſe ſuſceperat. Ergo hic primus operis gradus fuit, cum ex Domini metu ſpem ipſi hauſimus vicinæ libertatis. Qui ſequitur gradus, ipſam nobis ex eiuſdem captiuitate libertatem tulit. Dum hæc ita aguntur, ecce in hortum ſubita vi irrumpitur, explicatur late acies, villa extemplo occupatur: ad impiam oſculi teſſeram hoſtiliter vndique omnes concurrunt, in vnum barbare collimant, ferarum more impetum faciunt, ſiſtunt, vinciunt, trahunt: ille de ſuo ſecurus, de noſtro ſollicitus, hilari fronte proditorem excipere, porrigere vincientibus manus, inſerere collum in laqueos, vincula cum toto corpore induere. Videbat nimirum eos à noſtris manibus funes expediri, quibus ſuæ nectebantur: ſentiebat quot ipſe nodis conſtringeretur, tot nexus è collo filiæ Sion relaxari: intelligebat vna eademque opera liberum ſe capi, captiuum genus humanum liberari: ſcilicet hoc nobis Iudæorum furor famulatus eſt: hiſce miniſtris vſi ſumus libertatis noſtræ, dum ſæuiere in Dominum funeſtæ militum turbæ, dum viri ſanguinum in innocentem cõterſere aculeos ſuos, dum apes illæ in diuinæ humanitatis fauum certatim exarſere, nobis dum neſciunt, libertatis ſuauitatem elaborarunt. Et tu infelix transfuga, prædonum feralis, proditor amentiſſime, oſculo quod è Domini tui genis, atque ore libaſti, tibi quidem perfidè venena quæ te medium rupere, ſuxiſti, nobis autem illam, quæ de forti egreſſa eſt, dulcedinem comparaſti. Sed hæc parta Domini ſeruitute libertas, gradus illi ad plagas, nobis ad ſanitatem fuit. Ductus ad Annæ conſpectum, inde ad Pontificis tribunal allegatus, ex hoc ante Romanum Præſidem in Prætorio conſtitutus, ita vbique qua ſilentij conſtantia, qua reſponſi modeſtia innocentiæ cauſam egerat, vt niſi planè, aut Sacerdotum oculos excæcaſſet inuidia, aut Præſidis animum intercluſiſſet metus, videri illis innocens, ab hoc etiam pronunciari potuiſſet. Sed inſanis Iudæorum clamoribus meticuloſus plus nimio Præſes, dum ſubtrahere reum ſtudet, inſigni animaduerſionis genere vitam redempturus, virgis cædi innocentem iubet, vt ſaltem parcere vitæ poſſet, cuius ſanguinem hoſtibus pro arbitratu donaret. Nimirum immenſam fuiſſe Iudæorum crudelitatem oportuit, quæ tam crudeliter parcere Romanum coegit. Ergo ſatellites traditum ſibi reum arripiunt continuo in atrium, veſtes extrahunt, manibus ad

saxum ligant, tum vero virgas expediunt, carnificinam adornant, lacertos atque ictum vibrant. Ah sistite, siquis pietatis sensus, si quid humani homines habetis, ne manus vestras tam innocenti sanguine violate. Hic si nescitis Rex vester est, hic vltionum Deus, hic exercituum Dominus; hic si iubeat, non modo vos vilia capita, sed armatum cum Regibus suis orbem, aduocatæ è cælo Angelorum legiones fulminabunt. Væ genti peccatrici, populo cor non habenti, filijs sceleratis, truces illi ac barbari, quasi ciuicam coronam relaturus, qui primus ac valentius feriret; certatim vulnus infligere, teneros artus, repetitis alte vibicibus, aperire, humeros, caput, pectus, vbique fodere, lacerare, proscindere. O facinus, ò spectaculum! Cædebatur illud Virginale corpus, soluebatur templum illud non manufactum, diripiebatur illa regia diuinitatis. Defluebat ad terram multis quasi è fontibus sanguis, deficiebant cum sanguine etiam vires: & tamen ipse, quasi meritus fustuarium fugitiuus, non se virgis subducere, non carnifices ad misericordiam oculis flectere, non fidem cuiusquam implorare. Immo verò quam potissimum corporis partem expeterent, eam subijcere vulneri; dare libenter sanguinem, dare & vitam. Neque ita vt per horam aut diem ea laniena duraret; sed menses si opus sit, atque annos plures, discerperentur humeri, cæderetur in frusta dorsum; modo quicquid supra dorsum fabricauerunt peccatores, ea impressione concideret; modo curarentur cicatrices nostræ vulneribus suis; modo apertis illis vibicibus tumores nostri rumperentur; modo parata eo sanguinis lauacro medicina, sanitatem hauriremus ipsi in gaudio de fontibus Saluatoris. Verum adhuc Domino supererat quod donaret, nobis quod acciperemus nostra illi opprobria auferenda erant, sed contumelijs suis. Hoc verò à barbaris satellitibus eo tormenti genere effectum est, cuius exemplum nec ipsi in antiquitate imitati sint, nec habuerint in posteritate imitatores. Etenim ferales lanistæ verberando iam defessi, quasi quietem aliquam accepturi, semineçem Dominum carnificinæ subductum, in eodem Prætorio per otium circumsistunt. Audierant affectati regni reum esse, placuit ornare regijs illum insignibus, Regem salutare. Ergo per summam dissimulationem, tanquam actores in fabula, conquisita ad hanc rem histrionica purpura, regem induunt:

pro ſceptro arundinem in manu ſtatuunt; pro corona ſertum è ſpinis horrentibus capiti circumponunt. Mox adornato lictorum ſatellitio, regem ſuum ambiunt, ſupplices in genua procumbunt, timidi venerantur. Tum verò quaſi in ſcenæ cataſtrophe, mutata perſonarum facie, ingenti omniũ plauſu, ridente toto foro, perſonante conuicijs atrio, ambitioſum ſcurram conclamant, exſibilant, explodunt. Sic dignum illud ſideribus caput, manus illæ diuinitatis ſceptro pares, ille Rex gloriæ, ante quem curuantur qui portant orbem, factus infimæ plebis, ac militaris licentiæ ludibrium, dum rex in fabula luditur, ſuis nos contumelijs glorioſe coronat. Et iam Domino, amiſſa libertate, ſanguine, viribus, ipſa pæne hominis ſpecie, vna quam daret vita ſupererat; quam ideò ſolam ſupereſſe Præſes voluit, quo eam facilius ab Iudæorum immanitate impetraret, ſi eo redactum oſtenderet reum, vt ægrè ſpirans cadauer, vix hominis numero haberi, atque internoſci poſſet, niſi ei titulum hominis addidiſſet. Sed hæc tam atrociter humana Præſidis diligentia à truci illo odio Sacerdotum, ab ea tigrium rabie ne tantillum quidem pietatis expreſſit. Tollendum plane de medio contendunt, id ipſum quod reliquum eſt vitæ, poſcunt ad necem. Quid multa? obnoxius iam timori Præſes, pronus in obſequium, homo fanaticus, extorto clamoribus judicio, feſtinata contra recentem Tiberij legem de reorum cæde in decimum diem proroganda, ſententia; è tribunali pronunciat (hæſitaſſe hic ego crediderim improbitatem, & iniquiſſimæ vocis pæne puduiſſe.) pronunciat videri ſibi in Chriſtum, iuxta Pontificum poſtulata, Crucis ſupplicio animaduertendum. Nihil vmquam iniquius dictum, nihil auidius auditum, nihil celerius factum. Rapitur continuo ad necem, imponitur humeris patibulum, ſiſtitur ad Caluariam, nudus Cruci ſuffigitur. O amor, ô pietas! dum hic triſte parricidium vrgetur, illic inferni regno illuditur, vbique infami letho inſultatur, homo pacis noſtræ tamquam in die lætitiæ ſuæ, diſpenſare militibus veſtes, impetrare interfectoribus veniam, donare latroni cælum: donec deficienti anima, pronis in mortem oculis, labente in pectus capite, quaſi inſpiraturus in hominem ſpiraculum vitæ, effuſo ad ſpectaculum cælo, motis ſede ſua elementis, natura laborante, dum tot inter mundi dolores parimur; Spiritus p̃ris noſtri Chriſtus Dominus expirauit.

ORATIO II.



VIVS rei memoriam hodierno die in augustissimo orbis terræ consessu oratoris, quasi præconis voce iubeas renouari B. P. tametsi omnes sciunt, magnopere tamen verendum est, vt omnes intelligamus. Is, in quo nostra omnia posita erant, tum præsidia, tum ornamenta, sublatus est morte non solum acerbâ, sed etiam indignissima. Magna sane doloris, sed maior pietatis, ac religionis materia. Hanc ego commemorationem dum pro veteri instituto paucissimis exeqnor, vnde melius ducam luctuosissimæ narrationis initium, quàm ex horto Gethsemani. In quo loco ad Clementissimum Patrem confugiens innocentissimus Filius, non modo non est auditus, sed etiam in hostium manibus derelictus. Video sanè video inexplicabile amoris argumentum nos audimur, quum ille reijcitur, & obstructas ad Filij salutem aures, aperit mancipij respectus. Agnosco Isaacum paternis vinculis obligatum: sed nullam quæ pro soluto filio imolãda sit hostiam video: quippe hic ipse est victima, non vt illa quondam inter vepres inuenta ab Abrahamo, sed in horto peccatorum nostrorum multo acrioribus aculeis, quàm veprium, spinarumque compuncta. Hinc videlicet largissima cruenti sudoris copia, quo primum imbre terræ nostræ sterilitas laxaretur. At socij interea consopiti non expergiscuntur, nisi armorum strepitu, catenarum fragore, satellitum clamoribus. Non tamen totius improbitatis caput Iudas conquiescit, quin conceptam iam fraudem osculo maturet, ac venalem habens Deum omnium, qui post sacra vendiderunt, teterrimus auctor existat. Quid hic commemorem in regium Christi collum catenas iniectas, quid ad tergum reuinctas mundi opifices manus? & tamen hoc est collum, vnde paulo ante vox erupit index Diuinitatis, quo veluti fulmine attonita retro-

cessit

cessit impietas. Eæ sunt manus, quibus in hoc ipso articulo ad nefarij militis vulnus adhibitis ingratus ille sanatus est. Sed vt hæc sit hora & potestas tenebrarum, ne quicquam tamen improbissime Caipha expectas, ceu subita tempestate deprehensus ad indignum aliquid Deo confugiat. Quà silentio, quà responsorum grauitate vinceris ab eo, quem vinctũ tenes: & prius sacerdoiio, quod ante moribus, quàm distrahendis ac discerpendis vestibus violasti, abdicare te cogeris; quàm ille, cui imperare te putas, quidquam velit de sua maiestate detractum. Quid vero confutato Pontifice, num merces aliqua statuitur illustri victoriæ? vel ob hoc ipsum quod hero simulatio non processit, ab iniqua familia innocentissimus reus omni est contumeliarum genere diuexatus. Quo ille exemplo, quem finem fermè habeant tenuiorum hominũ cum potentioribus lites ostendit. Quam hic ego ad inauditam iniuriam horrore perstringor? nefariæ cohorti ludibrio cæditur flos sanctitatis & virtutis. Quid agitis cæli ciues? facies illa diuina, vestræ scena voluptatis, infami velo obnubitur, & sustinetis? pugnis contunditur, & aspicitis? alapis cæditur, & nemo se commouet? sputis inficitur, & pati potestis? ora, manus, pedes, corpus denique totum, in eius iniuriam soluunt perditi homunciones, per quem viuunt: & nullus est ex vestro numero Abisai, qni canes istos morituros deposcat ad necem? Sed nimirum nec stupidi vos, nec ingrati timetis ne si per vos stet, quo minus Dauid hic saturetur opprobrijs, dum parcit inimicis, oderit amicos. Ille enim si sputis in facie susceptis inquinatur, internam animorũ nostrorum faciem lauat. Si velo contegitur, quod mentis nostræ oculos cohibet, impietatis velum abrumpit. Si alapis cæditur, pugnisque contunditur, omnes, quas peccato contraximus, ignominias delet, testis Apostolorum Princeps Petrus, qui dum alijs condiscipulis fuga dilapsis, suis confidẽs viribus, nihilo segnius ire pergit, nouo turbine prostratus, ab eo in summa calamitate erigitur, quem maximè circumsteterat iniuriæ procella. Sed hæc hactenus in tenebris, & noctis silentio. Quid luce palam, & in oculis omnium? Verum enimuero quæ est hæc tandem peruersitas non iam tenebræ, ac noctis conscientia desiderantur ad fraudem, lux, radij, sol, omnium oculi ad scelus optantur, & quasi parum feliciter importuni latrones in nocte grassati sint, dies expetitur. O

diem infaustum, ò lucem omnibus tenebris obscuriorem, nō tu parricidio, strage, aut insigni aliqua calamitate inaudito post hominum memoriam scelere, Dei inquam cæde notabilis exiſtis. Itur ad Romani Præsidis aulam, vt quia tanti facinoris grauitatem Iudæorum natio sustinere non poterat, cum orbis terræ Principe populo communicatam leuius fieret. Sed vt timidior Romanus Præses vt humanis rationibus omnia æstimans, vt plane non liber à scelere, quia tamen abluens manus vestram non potuit Iudæi abluere crudelitatem si non à se, certe à suo populo noxam depulit vniuersam, totam inuidiæ flammam in vobis reliquit, qua miseri, perditi, abiecti, nullo domicilio, ne hospitio quidem satis tuti, necesse est, vt ad finem vsque deflagretis. Si enim vestræ fuerunt illæ succlamationes, Tolle, tolle crucifige eum, Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris, Sanguis eius super nos, & super filios nostros, Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, Vestra est etiam iustissima pœna celeberrimæ vrbis excidium, filiorum captiuitas, Reipub. dissipatio. Sed quid hoc est quod video? quale spectaculum, quàm acerbū, quàm immane! hominis, & Dei caput, horrendo è spinis contexto serto, nouo feralique inuento, non iam compunctum, sed omnino confixum; sacram & virginalem cutim cælo ipso puriorem, omni ex parte diro verbere consauciatam. Heu caput diuinum, quod adulationi nunquam inflexum est. Corpus quod omnium seruiuit commodis, sanctissimi animi domicilium, salutaris Sapientiæ sacrarium, diuinarum cogitationum comitium. Aspicis è turba mater, nec agnoscis in vna Filij plaga, ea quæ in te quondam diuinus Spiritus admirabili ratione membra distinxit. Quam diuersa ab illis, quæ lacte irrigabas, pannis obligabas, osculis demulcebas. Exaggerat hoc vestrum scelus Iudæi, inter Filij pœnam, & matris lacrymas vos, quasi nullius matris filios, sed silice natos, non modo miseratione non tangi, sed immanius efferari.

Ergo à timidiore Iudice in innocentissimum reum per nefarium populum vi, minis, clamoribus, omni tumultus genere, capitalis sententiæ iam extorta, educunt vt crucifigerent. Et baiulans sibi Crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum. Res sanè admiratione plena: sed (vt Augustini viri sanctissimi verbis vtar) si spectet impietas, gran-

de lu-

de ludibrium; si pietas, grande mysterium: si spectet impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas grande Fidei monumentum; si spectet impietas, Regem ridet pro virga Regni, lignum sui portare supplicij; si pietas, videt Regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum: in eo spernendis oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum. Itane cælestis Pater, hæc est ob insignem victoriam reduci Filio triumphi species apparata? pro curru aureo pedes ingreditur, ipse sui portans instrumenta supplicij; pro victoriæ gloria, vultu oculisque deiectis: ceruice etiam ob ponderis immanitatem ad terram vsque depressa; pro aureo, regioque amiculo, obsoleta purpura, vel ad ludibrium, vel ad pœnam indutus: pro ouantibus amicis, mulierculárum lacrymis & luctu comitatus: pro plausu acclamationibusque popularibus, conuicijs ac maledictis oneratus. Verum quam hic ego triumphi speciem requiro, vbi se à Patre in summa ærumna fateri non dubitat derelictum? An non derelictus, cui iam in Crucem sublato quum inter medios cruciatus animam ageret, animarum adhuc nostrarum salutem sitienti, spongia aceto plena obtruditur ab inimicis, accommodatum sanè poculum ad tale mortis pœnarumque conuiuium. Ille vero, quam his & alijs, quas tum sustinebat iniurijs lacessitus, pœnam reponit, iam toto corpore vulneribus lacer, ac dehiscens, iam sanguine manans ac perfluens, flexis ad sui commiserationem elementis, syderibus hebetatis, terra commota, lapidibus discissis, sole atrato, die ne interesse cogeretur, diffugiente, sollicitus adhuc de importunis homicidis, quos ad pœnam tanta rerum confusio requirebat; Patrem pro illis, vt etiam hic suam putaret imminutum iri maiestatem nisi remitteretur, exorauit. Quanto melior futurus si vtique credere voluissent, quàm fuit obstinatis adhuc ad non credendum animis, corporum defensor, & vindex? Sed persistant adhuc illi in immanitate, agitent capita sua, blasphemias iactent, extincti iam pectus illud, quo leges elementorum, & vices syderum disponebantur, cuspide adacta transuerberent, aliaque multa in mortuum edant crudelitatis documenta. Luget si non Iudæorum natio, certè Iudæorum religio Christi necem, & Templi velum, quod edere noluit cæca gens luctus exemplum, à summo

mo se ad terram vsque rescindens, tanto magnificentius edidit, quanto præclarius est hoc funere inclytæ gentis auitam religionem efferri, quanto est acerbum illos in cœcitate, sæuitiaque persistere. Nobis verò, qui sterili & effæta Synagoga repudiata eius vtique matris filij sumus, quam ille sibi hoc die tot cruciatibus, tanto sanguine in Crucis thalamo sanctissimo iure copulauit: videndum est etiam atque etiam ne non modo impietatis arguamur, dum optimi Parentis funus, non eo quo par est sensu doloris ac pietatis prosequimur; sed ne nostræ salutis negligentes simus, dum adhuc eligimus in veterum conscientia hærere culparum; quæ vel solæ Parentem optimum impulerunt, vt acerbissimam mortem sustineret. Quamobrem quæ nostræ sunt partes hodierno die vides, Beatissime Pater, conquestionis, commiserationis, expiationis, quamuis enim tota Domini nostri vitæ ratio in summis laboribus, ærumnisque traductæ, hæc à nobis requirat: ea tamen nescio quo pacto magis exigit mors, quæ vt nihil est indignius ad conquestionem, nihil acerbius ad commiserationem, ita etiam nihil est vberius ad cumulatissimam peccatorum omnium expiationem.



ORA-

ORATIO III.



I quando vnquam, hodierno certè potiſſimum die eſt à Deo Optimo Maximo precandum, optandumque, vt non ad breuem,& inanem Chriſtiani nominis oſtentationem, ſed ad ſolidam, perfectâque pietatem Crucis, ac mortis ſuæ imaginem in nobis velit expreſſam. Hoc eſt tuum Beatiſſime Pater,hoc Ampliſſimi huius Senatus iuſtiſſimum votum; cui, vt aliqua ex parte mea etiam famuletur vox, eò vos reuoco,vnde in ampliſſimi certaminis campum eſt progreſſus gigas ille fortiſſimus, qui hoc maximè die exultauit, vt curreret viam ſuam. Hic dum exerto diuinæ iuſtitiæ flagello regius, ac diuinus iuuenis, vt mancipium liberet, corpus obiectat; adeò eſt eius ſibi impendentis vmbra conterritus, vt pænè exanimis concidens, laxatis toto corpore anguſtiſſimis illis, quibus ſudor erumpere ſolet, venarū oſculis largiſſimi cruoris riuos effunderet. Quod ego dum mecum ipſe reputo, reique nouitatem admiror,diuino planè cōſilio factum exiſtimo, vt omnes intelligeremus illum tantum dolorum, & cruciatuum, quantum poſtea pertulit, non ſtupidioris, & hebetioris ſenſus beneficio,ſed conſtantiſſima voluntate pertuliſſe. Abiecta igitur illa timidi, & pauentis perſona vltro ſe offert inimicis. Quid hic ego commemorem tuam ſceleſtiſſimè Iuda non modo fraudem, & impudentiam, ſed eò etiam progreſſam amentiam, vt potueris in oſculi dulcedine abſcondere ſicam proditionis? Agnoſco auaritiæ fœtum, crudelitatem. Sed iam obligata eſt victima, itur ad Pontifices, & Sacerdotes, an potius ſæuiſſimos lupos? Quorum hoc erant acerbiores dentium impreſſiones, & profundiora vulnera, quod ſpecie pietatis ſæuiebant. Quaſi parum eſſet vitam eripere, niſi etiam probæ vitæ famam auferrent. Sed ecce iam per totam vrbem ſparſo nuncio,fama vagatur captum eſſe Ieſum Nazarenum pro-

phetam magnum. Putares armari plebem, minitari Principibus, exclamare iniuriam, deposcere reum. Vt nihil est mutabilius populi studio? illi ipsi, qui paulo ante regium nomen, ac dignitatem deferebant, repente, quasi Circæo poculo ex hominibus rabidissimi canes effecti, veluti ad illum diem insignis foret indicta venatio, conspirant cum Principibus, non capturi quem iam suis vnguibus comprehensum habebant, sed laceraturi, discerpturi, omnes sæuitiæ modos expressuri. Concurrere itaque ad Prætorium, circumstare frequentes tribunal, adductum reum onerare falsis criminibus, nec procedente fraude, minis, clamoribus, seditione perficere tandem, vt qui pro Romano Imperio prouinciam procurabat, quamquam gnarus id totum agi per scelus, & inuidiam, furori cedendum sit arbitratus. Nec tamen vltra sæuituros ratus, si verberum pœnam sumeret, fustuario subijcit Deum. Quo supplicio maiorem in modum exaggerato, lacero insuper, ac semianimi è dumis (quod spinarum genus est grandioris formæ in locis vliginosis proueniens) contexitur diadema, quo per summum cruciatum in caput adacto, eadem res affectati regni, qnod illi crimen obijcebatur & specimen fuit, & pœna.

Quanto hic opus esset flumine orationis, quanta dicendi copia ad hæc, quæ cursim perstrinxi, ita in animis nostris imprimenda, vt ex eis, quod tantopere cupit Deus in recte facta amoris, aduersos peccati odij, præclarum germen existeret? fallimur, si hæc ad Iudæos, non ad nostram nequitiam, fraudes, scelera, tanquam ad fontes, & capita reuocamus: in nostris animis, in nostro corpore, in nostris sensibus est tanti mali architectus, imo, quod deterius est, & minore excusatione digni sumus, quod non per errorem, & ignorationem, vt illi, sed palam, & in manifesta luce peccamus. Nolo mihi credatur, sed grauissimo, & sanctissimo testi Augustino. Parceret Christo in terra ambulanti (ait) ille, qui con- tradicit in cælo sedenti? spuunt in faciem eius, qui eius præsentiam gratiæ respuunt: tanquam colaphis eum cedunt, qui honores suos ei præferunt. Et iam non est irascendum Iudæis, qui vel morientem deriserunt, non regnantem. Et quis est, qui Christum adhuc irrideat? Vtinam vnus esset, vtinam duo, vtinam numerari possent. Tota palea areæ ipsius irridet eum, & gemit triticum irrideri Dominum. Hæc S.

Lib. 2. contra lit. Petiliani lib. 1. qq. Euangel. præfat. Psal. 21.

Augu-

Augustinus, quibus addi potest, quod antiquissimus pater Origenes dixit: Per malas cogitationes suffocatur quodammodo, & necatur in nobis Dominus Iesus. Et post multa secula S. Bernardus: Horrendum est sacrilegium impedire salutem animarum, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino maiestatis manus sacrilegas iniecerunt.

Homil. 1. in lib. Iud.

Serm. de Conuers. S. Pauli.

Hoc itaque modo acceptus, hoc nouo ritu diadematus ostenditur furenti populo. Sed quotus quisque est ea specie mitigatus? Mansere infensi, ac minitantes, & veluti tauri, (ita enim eos vocat propheta Dauid) conspecto sanguine ferociores. Nondum ergo vanescente ira, nec dum lenitis animis, sed mala cupidine magis, magisque incensis, quid ageret timidior Præses, priuata commoda spectare solitus? Nulla recti, publicique cura, malo consulto, pessimo decreto iustitiæ profert cupiditatem. Cruci addidit causam, scribit Iesus Nazarenus Rex Iudæorum; in hac vna scribenda fortis, cætera timidus. Iam tunc Pilatus, hoc erat Præsidi nomen, cum antea sceleribus, libidinibus internam animi faciem fædasset, sentire cæpit tormenta pectoris sui: quibus vt nouis quotidie furijs auctus, non modo Iudæorum quamplurimos, gladio consumpsit, sed mortem etiam sibi ipse consciuit. Vt rectè ille dixerit: Si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus, & ictus, quando vt corpora verberibus, ita sæuitia libidine, malis consultis animus dilaceratur. Cui ego addiderim, cerni etiam posse crebros Euripos, intercisa æstuaria, flatus, reflatus, vndarum impetus, & irati speciem maris, inter quæ animus, quasi nauis rectore, ac gubernaculo carens, miserrimè conflictetur. Sed quid amplius differo? Longa via, difficili cliuo, luxato, & fatiscenti dorso Crux imponitur ferale onus, sed ferendum. Hunc sibi delegit gloriæ currum triumphator noster, in quo non à præferocibus equis vectus lætitiæ simul, & victoriæ speciem præberet, sed vt in eo clauis trabalibus confixus, vberrimum, & præstantissimum salutis nostræ pretium, conscisso vndique sacculo mortalitatis effunderet. Quod vt nobis fructuosum, ita ei, qui patiebatur sanè acerbum, & ignominiosum fuit.

Tacit. 6. ann.

Nam, vt cætera omittam, non modo nudus, (quæ modestissimo cuique pœna acerbissima esse solet) prætereuntium, & adstantium oculis est obiectus; sed etiam per summam

crudelitatem distractis ad clauorum loca pedum, & brachiorum neruis miserandum in modum ossa patuerunt. Doluit rerum vniuersitas tantam immanitatem, & Sole, Luna, astrisque lugentibus concurrere visa sunt elementa. Solus in hoc mundi concussi motu Iudæe permanes, tui magis obtus, an Dei? non tamen ille dum moritur, obliuiscitur tui. Sed inter contumelias, vulnera, dolorem, cruciatum, mortem, fel, acetum, quod illi sitienti extremum poculum obtulisti, tibi vicissim offert amorem, studium, charitatem. Nos vero, nisi eorum, quos maximè detestamur, imitatores esse

Gell. lib. 5. c. 9. velimus, ruere conuenit in questus, lacrymas, vota. Crœsi olim Regis filius ab infantia mutus, quum hostem ruere in parentem districto gladio cerneret, tanto est dolore commotus, vt nimio nixu, & linguæ nodum ruperit, & in vocem eruperit, qua hostem à cæde deterruit. Et nos dum Deum parentem, ac Regem nostrum in Cruce respicimus, cruento corpore, coronato spinis capite, laceris membris, hiantibus vulneribus, non dolor punget, non amor sollicitabit? Ah nimis ferrei, & inhumani sumus, & Iudæis, imo etiam saxis, quæ pietatem hoc die senserunt duriores. En

Zach. 3. Satan à dextris Iesu Sacerdotis magni, vt aduersetur ei mucronem intentat, vt eum conficiat: & nos patimur, imò, quod peius est, vires addimus? En Imperator noster, thorax est sanguis concretus, manicæ, ocreæque claui, galea spinæ, militum præsidium, solitudo ab amicis, tubarum clangor, silentium, & contumeliæ, & nos, vt ait Sanctus Bernardus, puerorum instar adhuc ludemus in platea? An hac ratione pugnandum fuit cum superbia, scelere, contu-

Psal. 146. macia? Non in fortitudine equi, nec in tibijs viri. Sed, vt

Hom. 26. in Ioan. ait Sanctus Chrysostomus, quemadmodum fortis athleta hostem altè erexit in Cruce, vt prosterneret gloriosius. Ita mundanæ sapientiæ Sophista suis ipse commentis est ca-

Hom. 15. in Psal. 61. ptus, ait Sanctus Basilius, & nos dum innocens Deus opprimitur, nocentes liberamur. Neque putandum est sine causa ita in Cruce corpore constitutum fuisse, vt ab Hierosolymis, & Iudæis auersus, Occidentem & hanc ipsam Vrbem, hanc Sedem, hanc Romanam Ecclesiam spectaret.

Isai. 2. Nam verè tunc leuatum est signum in nationes, & nobis percussus est silex ille fortitudinis, & fluxis vberrimè non aqua ad sitim hominum, & iumentorum extinguendam;

sed

ſed ſanguine non modo ad peccatorum maculas abluendas, ſed ad Sacerdotes creandos, ad veſtras tingendas purpuras, Cardinales Ampliſſimi, ad tuum iſtud Regnum, Beatiſſime Pater, fundandum, excitandumque. Sanguis Chriſti, ait ſanctus Ambroſius, purpura eſt, qua inficit animas Sanctorum non modo colore reſplendens, ſed etiam poteſtate. Quamobrem, amantiſſime Ieſu, ad te Crucem, ſanguinemque tuum manus tendentes ſupplici ſtudio, ac voluntate petimus, vt quando veteri abiecta ſynagoga, hæc tibi hodierno die tantis laboribus, tantis ærumnis eſt conſtituta Reſpublica, eius non modo tutelæ, vt facis, ſed etiam proſperitati velis eſſe conſultum. Non eſt ſapientis pugnare, vt pugnet, ſed vt victoria, ac pace lætetur. Et ſanè quum nobis eiuſmodi Pontificem ante paucos dies conceſſiſti, magnam votorum noſtrorum partem viſus es annuiſſe, à quo vt nobis aduerſus improbos robur & vim leonis; ita aduerſus probos, & ſtudioſos patris liberalitatem, & clementiam pollicemur. Serm. 17. in Pſal. 118. Tertull. de coron. mil.





ORA-

ORATIO IV.



ECONDITVM est, incomprehensum, & omni ex parte diuinum P.B. sacrosanctũ reparationis humanæ mysterium, cui nos hodierna die, ne dicã hodiernis tenebris, persoluimus tributum annuum, commiserationis, & lacrymarum. Idcirco humana mẽs, dum se eius amplitudini parem intelligentiã, vel sensum afferre posse desperat; non affert illum ipsum, quem potest, & in studio grati animi apparet ingrata. Eandem ob causam, si exoritur miseratio ea cognita calamitate hominis miseri calamitatem immerentis, nullum erit argumentum accommodatius ad hanc anniuersariam lamentationem, quam si breui, simplicique percursione facti planum fecero Christum Dominum fuisse, vt Isaias eum appellat, propter excellentiam virum dolorum, quasi dolorum principem, hoc est, inter mortales calamitosissimum, & eos innocentem subijsse corporis, animique cruciatus, quos ab vno homine perferri potuisse, ideo credimus, quod ipse pertulit. Quod enim vt exordiar in hortis Gethsemani erit illud opus, cuius sanguinea est vel idea? Quale tam inauditum tormenti genus, quod eliciat sola cogitatione sanguinem, quod noua quadam ratione, non animum per corpus, sed corpus vulneret per animum, quod cædem membris inferendam prius adumbret, & quasi experiatur in animo, quod antequam admoueatur exanimet, & morte valentius solum, nudumque in Christo præstet id, quod mors efficere numquam potuit sine armis, sine cohorte. Fabrum habet infamem, hospitem Satanæ. Iudas magistro venalem in mortem exposito, negocium proditione instituit, osculo perficit, amoris armis abusus. Quippè qui nouerat gratum amanti cibum, eoque venenum occultat; sed recidit in eius caput, is quem paulo ante pectori pro intincto pane, quasi tormentarium puluerem inclusisset, ei cuniculo facem appli-

applicuit: cum ori suo Christi faciem deosculandam admo-uit: neque ita multo post igne ad intestina perlato, multiplicatis in arcto flammis quærentibus exitum sublatus est in altum, & discerptus in partes: cum nactus carnificem nequissimum, laqueo seipse suspendit, crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Dignus planè, cui non aqua tantum, & igne, sed ipse communi spiritu, ipsa terra interdiceretur: quæ terra, vt dicitur, non amplius recipere viuum serpentem, postquam percussit hominem: ita neque spirantem ferre, neque extinctum attingere voluit, hunc hominis, eiusdemque Dei proditorem. Christus verò nec vulnus, nec speciem insidiosam amoris auersatus, hostes admisit; quos, vt prosternere, sic proterere, sola nominis vmbra potuisset: illustris quod potuerit, illustris quod noluerit. Ab his per varia tribunalia circumducitur, quando vnum capere tantam iniustitiam non poterat, neque inueniebat locum, vbi consisteret summa iniquitas, nisi fortè apud summum Sacerdotem, apud quem iustitiæ debuit esse principatus. Sistitur ante Caipham, ante hostem potius, quam ante iudicem, qui vt scelus artificiosè contexat, vestimenta discindit: per quem reus prius coniectus in vincula, quàm adesset errati suspicio; ante condemnatur, quàm dicat causam: vbi dum accusator pro crimine affert mendacium, reus pro pœna subit iniuriam: vbi tacere periculosum est, respondere criminosum: ex quo ad primam emissam vocem, diuinum vultum, sedem gloriæ, furiali colapho impudentissima dextera ministri percussit: neque aruit. Aruit fortasse, sed ad contactum vitæ reuixit: proœmium, quòd vestigia osculi à proditore impressa deterserit. Vbi denique mortem non iudicium intentant, ideoque calumniam, non accusationem adornant. Sed ipsa nocendi cupiditate profunt: nam testes, dum multos producunt, nullum habent, quia testimonia conuenientia non erant. Perdere per vim apertam nolunt, vt ipsi insanire etiam in iudicio cognoscuntur: & supplicium, non minus Christi membra dilaceret, quam dilaceret existimationem, quod meruisse, & iusta sententia inflictum esse videatur. Si testes nullos habetis, introducite Petrum. Præstolatur in atrio; eo testis locupletior erit, quo amicior est, numerum gratiæ princeps, & Christum iniquius damnat in primis, dum tantum pudere se illius magistri de-

monstrat; vt neget, detestetur, & iureiurando sibi ne cognitum quidem esse confirmet. O Petre hoccine est solum amicum perseuerantem esse? Tu qui paulo ante deuorabas animo carcerem, crucem, mortem, prosecutus es ad negandum, vt quo fueras audacior, eò esses cæteris Apostolis nocentior. Sed Dominus respexit Petrum, & fleuit amarè: ictu Petra adamantinis Christi oculis guttas emittit non scintillas. Conclaciauerat miser; idcirco caloris egens ad ignem illum perperam se calefaciebat is, cui radijs diuinis opus erat, vt liquaret concretum timiditatis gelu cor, funderet ex oculis amarum imbrem, ac timoris vulnera lacrymis, non infidelitate sanant.

Fuit igitur Christus dimittendus ad Pilatum, apud quem legum inanem, ambitionis plenum, magistratus Iudæorum factus de Iudice accusator, de accusatore testis, minore periculo, auctoritate maiore non causæ cognitionem expostcat. Sed crucem, de supplicio prius agat, quam de scelere: reum, & reum tacentem non crimine, sed multitudine, non testimonijs, sed clamoribus opprimat. Quid miraris? quid quæris aliam defensionem Præses ab eo, qui condemnationem habet in voto. Supplicia numerat in beneficijs, qui iniuria eò se indigniorem ostendit, quo illam animo æquiore sustinet: pro quo declamat ipsum silentium, & probat innocentem tibi ipsi, vt Caiphæ vero Herodi probauit. Ergo fuit tribus in foris innocentia Christi cognoscenda, vt tribus sententijs absolutus ferret supplicium? an potius vt sententijs illis iudicum iniquitas condemnaretur, illis supplicijs peruersitas Synagogæ plecteretur? Ipse Pilatus ter verbo Christum pronunciat innocentem, ac triplici facto eripere conatur ab iniuria, vt iustum ex vnguibus ferarum subducat, seditiosum supponit, imbutum sanguine, homicidam, & populo sitienti cruoris, cruorem propinat. Sed ij, vt oppresserunt innocentem, ita scelestum absoluunt, vt omnes iniustitiæ partes expleant. Quia puri sanguinis effusione delectantur, Barabbam liberant; Christo obstrepunt, vt qui par futurus erat in supplicio, sceleratis inferior esset in iudicio. Quare Præses, vt sanet liuorem Iudæorum: vt mittatur ab ijs sanguis inuidiæ, Christo iubet aperiri venas, eiusque mandat hauriri cruorem, vt non hauriatur animas, vt vita seruetur. Loco igitur criminis eluenda sanguine est

inno-

innocentia. O ſcelus execrabile; nudatur Deus, nuda conſpiciuntur membra illa candida atque virginea, rubet ſola pudore facies. Tunc Sol in ſui Conditoris obſequium, ſubducta luce velaſſet illum opinor tenebris, niſi ad nouum ſpectaculum defixus in admirationem tam venerandi atque diuini corporis ſtetiſſet. Quæ vox, quæ lacrymæ, qui ſenſus æquare poterit lictorum ſæuitiam, furorem, rabiem, innocentis rei tolerantiam, æquitatem, animi manſuetudinem, plagarum dolorem, numerum, cruciatumq́? iam nuſquam apparet liuor, nuſquam flagelli veſtigium: vbique ſanguis, vbique vulnera. Nec iam vulnera ipſa dinumeres, quantus, quantus eſt, vulnus vnum eſt. Deficit plagas locus, plagæ non deficiunt, eſt plaga plagæ locus. Deficiunt lora, virgæ, flagella, tortores vires non deficiunt. Iam & vires deficiunt, non deficit rabies, vtque fecit initium tundendi crudelitas, ſic facit finem crudelitas. Suadet enim vt aliquid ſanguinis, atque ſpiritus relinquatur ad mortem atrociorem. Itaque crudeles in verberando, in parcendo crudeliores, non parcunt vt ceſſent, ſed ceſſant vt ad Crucem immanem reſeruent. Si tamen illa ceſſatio dicenda eſt, in qua mutato potius, quàm intermiſſo cruciatu, miſerum contumelijs acerbiſſimis dilacerant: in qua vt cæteris prætermiſſis, palmare vnum attingam. Diuinum illud caput, gymnaſium ſapientiæ, regia honoris, honos gloriæ, omnibus infulis, tiaris, coronis auguſtius, illud, inquam, ad ludibrium dicam, an cruciatum? an ad vtrumque? ſpinea corona præcingitur, atque transfoditur.

Dicebam, Pater Beatiſſime, hunc virum virum dolorum, iam verò, ſi intendimus in eum oculos, non tantum virum verum per excellentiam, principem dolorum; ſed verè dolorum Regem eſſe cernemus. Appellatus eſt à cohorte Prætoria, quam audiuimus dicentem: Aue Rex Iudæorum. Sedet in purpura, in ſceptro, in corona: hæc omnia Regem ſignificant. Sed qualem Regem? Regem dolorum. Ludicra illa, & ſordida purpura, arundineum ſceptrum, ſalutationes, appellationes, irriſioni fuerunt, atque contemptui: corona verò, ſi pro genere materiæ aurea, graminea, laurea principatum quendam opum, virtutis, fortitudinis indicat; per ſpineam certè ſignificabimus Regem, dolorum principem: & Rex dolorum non niſi ſpinea corona præcin-

gendas fuisse iudicabitur. Perspexit Pilatus hoc Regnum calamitatis affabre effictum esse, atque expressum manibus carnificum in Christi corpore; sperauitque fore, vt satisfaceret oculis Iudæorum huiusmodi cælaturæ cupidis, ac peritis, quibus illum in bono lumine, de superiore loco dedit in conspectum, dicens: Ecce Homo. Quasi vereatur ne non agnoscant, ne simulacrum, vel hominem exanimem, aut spirans cadauer existiment. Sed non placuit, nam immanissimis immaniores, ne victi scientia crudelitatis, feritatis artificio videantur, desiderant aliquid, addunt aliquid de suo: Crucifige, crucifige eum. O flagrans, & penitus insitum odium, ad quod inanis erit aqua: quum nihil sit alluuione tanti sanguinis imminutum: restingui nisi diuino Spiritu in illum efflato non poterit. Quid facit in tanto malo religiosus iudex, qui nefas ducit palmis immundis, committere parricidium? manus lauat, & occidit dum iustum fatetur, & condemnat: sciebat quòd per inuidiam tradidissent eum: sed dum actor iudicij timorem incutit, iudex Cæsaris gratiam ambit, circumuenitur Deus in eo iudicio, in quo palam accusat inuidia, testificatur odium, crimen est innocentia, corrumpit timor, condemnat ambitio, plectit crudelitas. Illa, illa statim, vt Pilatus Christum affigendum Cruci, dicam, credidit, an duxit? nihil enim abest à scelere is, cuius tantùmmodo manus abest. Illa, inquam, statim semiuiuo, qui iam sibi ipse pondus erat, imposuit immanem patibuli machinã, vt suam ipse mortem prius ferret, quàm inferretur, & qui Cruce mox erat extollendus, eadem prius opprimeretur.

Hic ego, in hoc extremo actu, & quasi capite actionis, quando præ dignitate pertractari, nisi deficiendo non potest, libenter deficiam, sacros Euangelistas imitatus, qui summã rei tanta breuitate perstrinxerunt, quanta satis esset ad non reticendum, gemino verbo, Crucifixerunt eum. Quare non perpendam Crucis atrocitatem, adiunctorum acerbitatem, renouatos imbres sanguinis, consortium latronum, conspectũ matris, voces plenissimas mysterij, multiplicem crudelitatem militum, qui non tantum in ira, sed in obsequijs hostes, eo loco ac tempore, ad sitim ardentissimam, acetum, atque fel adhibuerunt, vt intelligeremus, quo progrederent in sæuiendo ij, quorum misericordia est summa crudelitas. In tanto agmine dolorum Christus Deus defunctus, Patris

 imperio,

imperio, nostræ salutis cupidus, inclinato capite. ò virum dolorum, qui diu quæsiuit vbi caput suum reclinet, neque inuenit locum molliorem ad quietem, quàm mortem. In eius igitur gremio, inclinato capite tradidit spiritum. O Angeli pacis. moritur Deus? moritur Deus. Non vox, non latera, nullum sententiarum, verborumque genus sustinere huius argumenti dignitatem potest. Opus silentio, mentis contemplatione. excessu. Quid ergo afferam? nihil præterea. Moritur Deus, & moritur propter hominem. Intelligentia vestra perpendite, quàm multa duplici verbo complectar, quum dico mori Deum, & mori propter hominem. Addam aliquid, si ita loqui fas est, admirabilius. Iesus Deus, in cuius nomine habitat salus, qui profuit plus vnus omnibus, quàm omnes vnquam vni, qui nostram non modo causam vt sponsor, non modo personam vt reus, sed vicariā quoque mortem suscepit vt nocens, occiditur propter hominem, & per hominem viuit, auctor parricidij peccatum. O hominem non hominem, sed cordis plumbei, & animi ingratissimi monstrum. Obstupuit mens perstricta magnitudine facti? an aures assidua commemoratione obduruerunt? Tradidit spiritum Deus inclinato capite: vt eo tandem animaret tacentium terrarum orbem emortuum, atque depositum: vt quoniam statuerat nihil sibi reliquum facere, quod pro mortalibus non exponeret, ceruice in latus deflexa, secretum locum indicaret, ex quo ad primum, quasi certum, destinatumque ictum, exiuit sanguis, & aqua, simul ac ferina rabie vnus militum, lancea latus illud aperuit: quum enim tum Christi charitas, tum rabies inimicorum amplior esset, quàm vt vtramque capere posset corporis viuentis imbecillitas, effundenda, vtraque fuit in cadauer. Ex quo hinc Christus exaggeratam quamdam patiendi cupiditatem ostendit, nam suscepit vulnera doloris, etiam quum dolorem vulnerum sentire non posset. Hinc illi rabiem declararunt inauditam, dum effusa sæuitia in eum, in quo neque sæuitiæ locus, neque sensus esset, sine fructu crudelitatis, gustum crudelitatis habuerunt.

Expalluit, contremuit, ac prope defecit natura, ad huius carnificinæ conspectum. Lacerauit superuacaneum iam velum templi, quando templi corpus nudatum, atque diuisum conspiciebat; maius obsequium in cadaueribus inuentura,

quàm in viuentibus, mortuos exciuit è tumulis, vt obuiam Deo morienti procederent, obduxit Soli tenebras, vt parricidis ipso cælo, ipso conspectu lucis interdiceret. Oppressisset coniectione saxorum, iam se sponte frangentium, & agitantium in vindictam, vel obruisset terræ se commouentis, neque hos homicidas ferentis hiatu: nisi vocem illam extremam audiuisset, quam Christus malis hominum grauius affectus, quàm suis, prope testamento cauit, vt ignosceretur. Iam verò, ò vir, ò Rex miserrimè dolorum, de Regno tuo dubitatio nulla relinquitur. Regnas in regia Caluariæ, in throno Crucis, in purpura tui sanguinis, cum sceptro clauorum, cum corona spinea, ipsumque Regni titulum præfers: Rex Iudæorum; idest, Rex ciuium iniustissimorum, idest, Rex hostium immanissimorum, circumfluunt loco assectarum reuiuiscentes vmbræ, loco satellitum latrones, loco cohortis carnifices. Istic, istic, vt in tuo regno, in omni regia pompa, regioque apparatu triumphas, habes pro bellarijs fel, pro odoribus fœtorem, pro festis ignibus, tenebras, pro symphonia blasphemias, pro choreis terræmotum, pro peristromatis sparsisque floribus ossa cadauerum, pro bulla pendente è monili, plagam luculentam pectoris. Tale regnum, talem Regem decebat vir dolorum. Vtinam intelligamus quales nos deceat esse sub tali Rege, in tali Regno.



ORATIO V.



INAVDITVM hoc, & supra, quàm dici possit admirandum spectaculum, quod hodierno die toti Ecclesiæ proponitur Pater Beatissime, pias mentes non minus vehementi admiratione reddit attonitas, quàm commiseratione tantæ atrocitatis exanimat. In eo enim maximum illum Deum cernimus, nostras ob culpas adeò à seipso diuersum, vt deposito gloriæ, atque immortalitatis diademate, facinorosis hominibus sit ludibrium, ab ijsque eos perferat cruciatus, quos nullus ferre posset, nisi qui idem homo esset, ac Deus. Quam eandem ob causam, vt tam pij sensus, hoc ipso die, in animis nostris acrius exardescant, nihil opinor, erit huic argumento accommodatius; quàm si dum præcipua huius facti capita percurro, quasi reducto aulæo, simul indicauero, in quantam calamitatem cæli Rex in hac funestissima omnium scæna, suam verterit fœlicitatem: vt iure cum Isaiæ vaticinio fateri liceat: Vidimus eum, & non erat ei aspectus. Quando eius constantia formidat; Dei libertas, ac maiestas captiua constringitur. Dei Sapientia speciem stultitiæ induit: gloriæ splendor infensis omnium oculis, animisque conspicitur. Denique immortalis, semperque felix vita miserrimè extremum diem claudit. Qualis enim in hortis Gethsemani (vt hinc exordiar) est illius constantissimi animi aspectus, quum ad vnam sui cruciatus cogitationem, inusitato quodam timoris genere exhorrescat? Quum diuinum illud cor fortitudinis domicilium, non alienis armis, sed suis cogitationibus tumultuantibus, quasi intestino prælio concutiatur? Quum sanguis ad cordis arcem, veluti præsidiarius miles, in periculis accurrere assuetus, ex eodem corde tanquã ex arce direpta factis toto corpore hiatibus erumpere cogatur, ac membra cruentare?

Magna profectò, atque inusitata Dei mutatio, quæ tantum à diuinitate videtur abesse; quantum à pietate non abest. At quæ fuit illa Christi facies, quæ deinde consecuta est? Aeterna illa Dei potestas à sceleratis hominibus obsidetur, capitur, funibus vincitur, ad varia iudicum tribunalia, atque adeo ad varios iniquitatis arbitros, per publicas plateas raptatur, vt nihil inter Deum, ac nefandum mancipium censeas interesse. Quis verò Dei maiestatem, quam in primis diuinorum sacrorum antistites venerari debent in terris, agnoscerent in illo, quem in summi Sacerdotis aula, ipsi Sacerdotum principes, vno ore reum, & reum sacrilegum conclamarent, & quo ille idem Pontifex nihil peius odisset? Irritauerat enim horum iras, facemque odij accenderat, illa Christi beneficentissima innocentia, qua vniuersum populum non minus in sui admirationem, quàm in amorem allexerat. Iccirco eius neque silentium, neque vocem innocentiæ illud præclarum argumentum, hanc certissimum testimonium pacato animo ferre potuerunt. O durum, nouumque spectaculum! O nouam Dei faciem. Hic illa veritatis vox concentus omnium laudum, omnisque gloriæ sacrilego Pontificis ore blasphemia pronunciatur. Hic ille vultus, in quem intuentes cæli ciues ac dynastæ, immortalitatis gaudio perfruuntur, impia militis dextera cæditur: eripiturque sputis impurissimorum hominum, quod est in ipso beatissimum, illud decus, illa gloria, quæ ex eo vultu tanquam è propria sede, clarius quàm cæli sydera fulgurabant. Hic illi oculi benigna mortalibus astra, panno vilissimo obnubuntur. Hic tota illa infausta nox, nihil audiuit, nihil aspexit indignum, aut miserum, quod non in diuinæ maiestatis contumeliam verteretur. Horruisset, opinor, nefarios perduelles ipsa rerum natura, nisi tanta Dei mansuetudo illam in sui admirationem rapuisset. Hic denique illi modo Dei sacerdotes, nunc atrocitatis satellites, de eius perdendæ vitæ ratione deliberant, cuius spiritus, & aura mortuos reuocabat ad vitam. Inquirunt in eius vitam omnem: sed quid habere is poterat, in quo esset vel leuis vmbra peccati? Vt tamen aliquid in accusatione sapere viderentur, ad iudicium calumniatores, non testes criminis subornant. Actum erat de Christi capite, si illis liberum fuisset

fuiſſet innocentes occidere. Quam ob rem prima luce ad Pilatum fit concurſus. O malitiam deteſtandam. Immane ſcelus trucibus animis conte&um alio ſcelere cumulant. Sanctitatem prætexunt, vt captent in mendacijs fidem. Verentur in Prætorium ingredi ne contaminentur; quaſi periculum ſit ne eorum pedes in Prætorij limine maculentur, quorum animi iam Dei ſanguinem, vitam, honoremque omnem in funeſta Caluaria deuorauerant.

Siſtitur ergo Chriſtus ante Pilatum. Qualis hæc ſit Dei figura, vobiſcum ipſi reputate. Suprema, atque inconcuſſa maieſtas de maieſtate poſtulatur apud mortalem iudicem omnis legis expertem, quem vel ſola Cæſaris vmbra ad omne facinus poſſet impellere. Hic ſi accuſatorum ſpectes clamores, totius terrarum orbis infeſtiſſimum archipyratam proſequuntur; ſin accuſationes, nihil ne ad criminis quidem ſuſpicionem afferunt. Tanto interuallo à contactu vllius labis diſtat innocentia, vt ad eam nulla vis noxia vires ſuas perferat. Itaque innocens à Præſide pronunciatur. Impius tamen, vel in ipſius innocentiæ propugnatione Præſes, quem innocentem pronunciat, ad Herodem innocentiæ carnificinam mittitur. Ibi tamen ſuos præclara illa virtus fulgores inter ſputa, ſacerdotumque ſacrilegas voces contraxit, & quodam ſilentij veluti obducto velo lucem cohibuit, arbitrata facinus, ſi ab illius inceſtis oculis conſpiceretur.

Mitto hic Patres Ampliſſimi, à teterrimo tyranno iniuriam irrogatam numini, dum illam Sapientiæ regiam, amentiæ inſignibus illuſit. Mitto paulo poſt apud Pilatum iterum renouatos Sacerdotum, auctoſque clamores, quibus innocentis vitam ad necem Crucis expoſcunt, quibus Cæſaris nomen iudici tremendum reddere conantur, quibus eiuſdem iudicis de Chriſto liberando ſententiæ, efferatis animis obſiſtunt. Mitto poſthabitum Deum ſceleſtiſſimo graſſatori, ac totius Hebrææ gentis calamitati. Mitto denique tantæ iniuriæ vltionem ab Hebræis in ſe, ſuiſque liberis vltro ſuſceptam. Illud, illud dicam, quo nihil dici poteſt, fingique crudelius. Ferus ille, vel in ipſa dementia iudex, vt innocentis ſanguinis ſitim in Hebræorum animis æſtuantem, eiuſdem innocentis ſanguinis alluuie reſtingueret, Chriſto mandat è toto lancinato corpore ſanguinem extrahi, ita

hi, ita tamen vt spiritus consistat, ne vita perdatur. Quid hic numerosum flagitium commemorem, satellitum rabiem, fœcundas in odia vires? cæduntur virgis, flagellis, loris, virginales illi artus, qui non dicam Romanum animum, sed Deum ipsum includebant. Lacerantur illa membra, conclaue diuinitatis, quæ supremus rerum opifex Deus suis manibus miro artificio composuerat. Pendent iam è toto lacerato corpore excarnificatæ carnis frusta; atque eius sacri cruoris, cuius precio cæli regna sunt venalia, defluentes in terram riui, impiorum pedibus proculcantur. Vitam eripuissent, nisi ad Crucem destinassent. Neque tamen his feritatis finibus contenti carnifices, excitant animos ad immane ausum, ad inauditam ab omni æternitate barbariem. Audierant ipsum se Dei Filium appellare, Regem felicitatis. Huic tanto Regi hostium rabies parem excogitauit ornatum, qui crudeli ludibrio par doloris, ac dedecoris vulnus infligeret. Cæsaries illa, illa inquam veneranda cæsaries, quam totius vniuersitatis longe, lateque commendat imperium, illud caput, Sapientiæ sedes, cubile honoris, stellis & gloria coronandum, spinis horrentibus redimitur. Manus illæ præpotenti sceptro graues, vnius arundinis ignominiam gestant. Illi humeri immortalitatis paludamento fulgentes, ad augendum ludicræ maiestatis calamitosum aspectum, lacera & fœda purpura obsolescunt. Circumstant Illum cætus lictorum, ac turbæ carnificum, eius miseriæ illudentes, quem immortalibus laudum canticis beatæ mentes extollunt. Defloruerat in eo omnis non solum fœlicitatis, sed humanitatis decor. Heu quantum quantum ab illo cerneres immutatum, qui in cælo & vbique terrarum est rerum voluptas & gloria.

Non tulit æquo animo tantæ calamitatis effigiem Præses; & cuius pectus innocentiæ dignitas vulnerauerat, eiusdem nunc animum expugnat præsentia miserabilis. Tantum igitur infelicitatis Regem, ac miseriarum, tale potius lacerum funus, mortuique spirantis effigiem, in quo nihil diuinum, si illam immensæ innocentiæ gloriam excipias, apparebat, Pilatus ad misericordiam captandam eius hostibus, de loco superiore demonstrat. Veretur ne hominis quidem speciem agnoscant. Profert illud ingens Dei arcanum: EC-

CE HOMO. Spectaculum visum est ferum, immane, horrendum Dei patientis exemplum. Fregisset commiseratione silices, tigres rabiem exuisset, non tamen ita, vt eorum perditorum animos flectat, aut molliat. Quin ad maiora vulnera, ad mortem ipsam Crucis accendit. Aucta est crudelitas crudelitate, nec continuatur solum, sed geminatur. Suffigendum patibulo proclamant eum, qui nihil ad mortem habebat, nisi quod Solymas, & Galilæam non pedibus magis, quam beneficijs peragrauerat: nisi quod eius sanctitatis fama, orbem terræ, ingenti omnium populorum admiratione peruaserat. Concitant plebem, cuius iam infringi animos sentiebant, tantæ commiseratione calamitatis, vt ne prius inde abeat, quàm abstrahat impijssimæ Cruci destinatum.

Summis denique conatibus vociferantur, vt illa ipsa hora, horam dico? illud ipsum momentum sit & damnationis, & Crucis. O scelestissimum iudicem. O generis humani exitiale prodigium! Quem toties declarauerat innocentem, quem inuidia Scribarum sciebat proditum, maximis ærumnis exagitatum, toto corpore afflictum, iamiam pæne animam agentem, Cruci addicit: ipsum tamquam mancipium tradit inimicis, in illum plusquam ferina rabie furentibus, vt pro eorum voluntate in Crucis patibulo pendeat. O funestissimam vocem! Homo impius cæli Regem damnat, ad oblectamentum lanistarum. Huccine illa flagella, illa totius corporis vulnera, seu potius illa totius corporis vna plaga. Ille tantus sanguis in ore, quantus pudor in animo, reciderunt; vt hostium furor impetraret Crucem, vti flagitabatur, eidem offerret crudele illud spectaculum, quod non petebatur. Damnabunt hanc tuam indignissimam vocem cæli, terræque sancta legum iura, inque tuum caput, vltrices flammas excitabunt; vt non vnius Cæsaris, quem tantum exhorruisti, vindictam; sed totius cæli, ac terræ vltionem arbitrere.

Hic deficit oratio, verba nulla succurrunt, horret animus meminisse. Cernitis oppletas vias, angustum tramitem relictum reo, hinc atque hinc alacrem populum, vbique par gaudium, paremque clamorem. Iam de cæli maiestate triumphat audacia, non spolijs prouinciarum, aut

auro,

auro, sed Dei sanguine, eiusdemque miserrimi hominis patibulo, & Cruce conspicua. Victa suprema rerum potestas, trahitur ad supplicium Crucis. Cogitur suis labantibus, ac pæne inter mortuis artubus ferre lignum, non minus ignominia exitiale, quàm pondere: vt quantum oneris magnitudine præmeretur in corpore, tantum dedecoris acerbitate cruciaretur in animo: & cuius humeris totus mundus incumbit, suis ipse viribus destitutus Cruci succumberet. Compellitur Deus conscendere illum extremum miseriæ collem, vt qui sceleratorum fuit supplicium, eiusdem Dei nunc sit carnificina. Vt in eo tamquam in orbis terræ theatro, vniuersus mundus aspiciat, lacerum, ac summè defatigatum Dei Filium, excipi non placidissimo Patris sinu, sed horrenti Crucis ligno. Explicantemque brachia, non ad charæ parentis amplexum, sed ad luctuosissimam mortem. Aspiciat eundem Deum diris clauis affixum è patibulo inter latrones pendentem; ac de rerum summa, hoc est, de suo spiritu cum morte luctantem. Vt ibi denique in eius necem omnium vota conspirent, & ad illius acerbissimos cruciatus tantus hominum concursus applaudat. Quæ quidem & alia id genus innumerabilia reuerentius fuerit cogitationibus integra reseruare, quàm ita carptim, ieiuneque perstringere.

Dicam tamen Pater Beatissime, dicam vno verbo, quod omnium sæculorum litteris, voce, silentio, admiratione, mentis excessu celebrabitur. Deus: Ipse Deus æternitate immortalis, omni fælicitate beatissimus, sempiternæ gloriæ princeps, summique largitor boni, denique seipso non aliunde fælicissimus, in tanta suorum dolorum, atque infamiæ procella, nullum inuenit portum nisi mortis. Mori vel inter sceleratos, instar est felicitatis, terminat calamitates. Mors efficit vt Deo viuere non sit supplicium, cum ingenti ignominiæ nota permixtum. Vita semper felix sua cedit ex arce, atque in immortalitatis propugnaculo mors triumphat, tota rerum contremiscente, ac repugnante natura.

Tantæ atrocitatis spectaculo totius terræ orbis ingemuit, expauere inferi, accurrere mortui, Sol expalluit, saxa ipsa suo fragore tantum portentum comploraueret, mundus ipse to-

ſe totus rerum omnium exitium adeſſe arbitratus, extimuit. Cuius ruinæ iãiam imminenti ipſe rerum omnium Imperator Pater patrocinium ſubtraxiſſet, niſi illas morientis Filij voces, eximiæ clementiæ internuncias, excepiſſet, vt iam toti mundo, tam pio ſanguine conſperſo, tantum facinus cõdemnaret. Hæc ſunt digna noſtris mentibus, noſtris lacrymis ſpectacula, vbi talem oportuit eſſe eum, quem non aliqua ſui peccati labes, ſed noſtra ſcelera tam miſerum reddiderunt.

Secundæ Partis Finis.








TERTIA PARS.

DE CHRISTI DOMINI IN CAELVM ASCENSV



ORATIO PRIMA.



VANTOPERE gauisus sit vniuersus beatarum mentium Chorus, cum Christum orbe deuicto redeuntem in cælum conspexit, P. B. cum mystica sacra hodierno die summa recte sentientium lætitia, & frequentissimo concursu vbique locorum celebrata, tum in primis hæc nobilissima corona non minus præclaris virtutum & dignitatum insignibus, quam multa purpura, auro, gemmisq. ornata declarant. Tantam enim sacri principis maiestatem, tantum splendorem amplissimi ordinis quid aliud referre dixerim, quam supremum illum cœtum Dei, Angelorumq. præsentia mirifice coruscantem, quo Dominus noster triumphali apparatu exceptus est,& ad Patris dextram collocatus? Sunt quippe ista, quæ Deo ad uultum exhibentur in terris,exempla eo-

rum, quæ geruntur in cælo, ac de sacra Ascensus Domini celebritate annua nobis conuersione repetita ex hoc ornatissimo loco dicere, Angeli munus est non mortalis oratoris. Quæ etenim mens, præter illas purissimas, & ab omni concretione separatas Christum celsiora orbium fastigia scandentem prosequi, aut cogitatione complecti queat? Obruitur porrò animus humi stratus contemplatione rerum altissimarum, vt oculus acerrima quantumuis acie præditus hebetatur tandem, ac deficit, si cælum suspiciens diutius tantæ defixus hæreat immensitati. Tu Christe immortalis, qui in solemni hoc anniuersario die, quo Regium Diadema sacro capiti tuo impositum est, largiore copia quasi explicato sinum tua dona in homines effundis, da hominem omnino imparem tantæ moli de tuo ad Patrem reditu ea dicere, quæ grata auribus Vicarij tui, non indigna Cardinalibus Amplissimis primogenitis Ecclesiæ sanctæ, omnibus, qui audiunt vtilia sint, & salutaria futura.

Patrato insigni opere humanæ redemptionis post innumeros exantlatos labores æquum erat Christum Dominum ad eam commeare sedem, in qua finis miserijs, & quies à molestijs promittebatur. Si enim laborem omnem præmium iure ipso consequitur, quis neget maximum Christo præmium debitum, qui maximè omnium laborauit? Tot vigiliæ in alienam vtilitatem susceptæ, tot noctes orando traductæ, tot continuata ieiunia, tanta Iudææ & Palestinæ spatia sanctis pedibus emensa, tot ægritudines animi, tot lassitudines corporis, tantus sudor è defatigatis membris emissus, genus denique mortis maxime cruentum, atque sæuum innocenti irrogatum nonne ad sedes illum beatas, ad felicia regna, ad Patris dextram iure debitam vocabāt, atque trahebant? Quin etiam cum Spiritus sanctus foret in discipulos emittendus, cuius vim quasi flammam erumpentem generosa eorum corda conciperent, ac spreto mortis periculo Euangelium ad vltimos terræ fines audacter deportarent, nec æterno ita disponente decreto tantum illis bonum Christo in terris agente esset attribuendum (quippe Apostoli eius conspectu mirifice delectati nihil maius cogitabant, ac præsente humanitate, quæ cernebatur oculis manibusq. tractabatur in diuinitatis contemplationē minime,

nime, vt par erat, erigebantur) oportuit Christum è medio recedere, ac sui conspectum tantisper subtrahere, ne Diuini Spiritus communicatio, & Euangelij promulgatio, bona quibus neque meliora vnquam neque diuiniora mortalibus contigere, impedirentur. Declarauit hoc Dominus Magdalenæ illi electa sauciæ sagitta, ac nimio magistri sui amore languenti, cum eam accidentem ad genu, & in consueta pedum oscula ruentem prohibuit: Noli me tangere, inquiens, nondum enim ascendi ad Patrem meum. *Ioan.20.* hominem quippe quem vides, & amas, manibus attrectares, nec in diuinitatis cogitatione venires, si corpori quod oculis subijcitur, mente inhæreres: Sed altius quid concipe, & Diuinam suspice naturam, quam tunc maxime intelliges, cum orbis deuicti spolijs onustus reuersus fuero ad Patrem. Neque illud omittendum, quod cum nouo & humanum captum excedente sacramento Christi humanitas à verbo in hypostasis fuerit communionem assumpta, & ad diuinitatis participationem vocata, decebat vt eam quasi propriam, & naturalem sortiretur sedem, in qua Dei maxime potentia & beatitudo relucent: Cælum autem Deo sedes est, cælo eius potissimum maiestas ostenditur, cælo inexhausti infinitæ eius bonitatis thesauri continentur, in cælo denique cum separatis à mortali concretione mentibus beata ille fruitur æternitate. Denique Christus in Mundum à Patre missus fuerat arcanæ voluntatis exequutor, & magni consilij Angelus, peracto igitur ex sententia opere, ad quod venerat æquum erat eum quasi de re bene gesta coram acturum è mundo redire ad Patrem. Quare destructa morte, exturbato dæmone, fractis inferorum portis, lustratis profundis terræ partibus, non quibus cæca nox offusa æterniq. cruciatus inditi; sed queis patres nostri quiescentes in sinu Abrahæ continebantur, ijsque in hanc lucem eductis, iactis firmissimis Ecclesiæ fundamentis, omnibus optime dispositis atque prouisis discipulos quadraginta dierum colloquio confirmatos in Oliueti montem euocauit, vnde septus magnis agminibus Angelorum ne dum eorum quos proxime sedentes in tenebris, & vmbra mortis ad vitam euexerat, cunctis cernentibus atque stupentibus, mirante natura, plaudente vniuerso choro Beatorum in altum sublatus, ac nube lucida quasi Regio vehiculo exce-

ptus, in Cælum ferri cœpit. Quo in itinere, breuissimo momento nullo labore confecto quas ouantium Angelorum acclamationes, quas voces laudantium Dominum, quas gratiarum actiones, quam plenas lætitiæ, & voluptatis fuisse existimamus? Non vidit oculus, nec auris audiuit quæ fortissima illa sanctorum acies in Imperatoris sui triumphantis laudem egit, & decantauit. Vos ô Cælestes animi qui vicissim in ea pompa ducem vestrum effusis viribus collaudastis, vestramq. lætitiam non vno argumento significastis, vos tantæ gloriæ spectatores atque testes dicite nobis quæ ibi gesta sunt, & in grati animi significationem commemorate. Primus, vt opinor, nobilis Choreæ ductor Adam incedebat propagator humani generis, magis de salute posteritatis quam seruatam intuebatur exultabundus, quam olim fuerat de perdita sollicitus. Aderat Eua communis mater tanti causa mali, & infinitam illam hominum multitudinem astris mox inferendam aspiciens, o felices, clamabat, dolores partuum meorum, postea quam ad supera explenda in vtero gestaui, & peperi, ô felicissimas, addebat alter, spinas, ô dulces tribulos e terra mihi germinatos, quos vita ista beatissima, & in omnem æternitatem duratura consequitur. Nos infensati, & exempla nouissima meriti in turpe rueramus peccati seruitium, quo vniuersam traxeramus posteritatem. Sed tu Christe seruasti quos perdidimus, reparasti quos destruximus, extulisti quos depressimus. Longo his interuallo succedebat Abraham vir vehementissimi spiritus, & exploratæ in Deum voluntatis, ac filium Isaac manu tenens, hunc aiebat, quem à te vnicum habui solatium senectutis, spem successionis, libentius tibi obtuli, quam acceperam. Paterni oculi in filij mox patranda nece sicci ingens opus animi, & fidem in te eximiam testati sunt.

Equidē non delectabar parricidijs aut aris humano sanguine Barbara crudelitate respersis. Te te vnicum Dei Filium tota hæc actio repræsentabat, te primam victimā, puram, innoxiam ob aliena scelera immmolandam; Sed tu immortalis existēs à Patre traditus es vt morereris, iste mortalis natus à me oblatus est non moriturus. Magnifica fuit ista vestra nobiscum liberalitatis concertatio: Ecce vberrimos se-

mos ferimus hodie obedientiæ noſtræ fructus, quales, ne ſi vitam ambo juſſi profudiſſemus, deberi nobis eſſet exiſtimandum. Excipiebat Abrahæ orationem Iacob legitima ſoboles tantorum patrum, Ego, inquiens, peruigil paſtor ouium, patientiſſimus laborum, contemptor æſtus, atque frigoris iniurias cæli quatuordecim annos toleraui, vt pulchra tandem Rachele frui liceret; an me leuitates conſectatum amatorias quis arbitretur, nec in Rachele quid altius fuiſſe meditatum? Vita iſta feliciſſima, cuius iam compos tuo beneficio effectus ſum, in formoſa Rachele mihi agnita, ad quam non niſi per Liam vitæ operoſæ imaginem gradum facere licebat. Hos inter Hebræos Iob ille cernebatur grande & ſingulare patientiæ documentum, qui nullius conſcius flagitii vidit quod eſſet in vita calamitatis extremum, clamans, Ego, cum ſcaterem vlceribus, raſi teſta ſaniem corporis, quaſi typus effectus diuinæ diſpenſationis; qua mortalis corporis teſtam ex Virgine induens noſtram immunditiam abſterſiſti. Spoliatus fortunis, orbatus filijs, deſertus à domeſticis, omnibus ludibrio expoſitus, mihi metipſi demum grauis effectus, tandem exui te miſerante ſqualorem, bonis omnibus magis quam antea locupletatus, te te innuens Cæli Regem, qui e ventre materno ſub humili caſa exceptus frigore, & nuditate laboraſti, conſtitutus in maxima egeſtate famem, & ſitim moderatus aliquãdo es nunquam expleuiſti, continuis tuorum maledictis impeditus, proſciſſus conuitijs, vexatus iniurijs, flagris ad percuſſorum defatigationem cæſus, morte turpiſſima multatus, ita demum toto corpore affectus vt nulla in te membra non luxata, deformataq. remanerent, repente reuiuiſcens vi propria ſole clarior victor, triumphatorq. apparuiſti. Lucent cicatrices illæ manuum atque pedum tuorum pyropo fulgentiores, corona iſta ſpinea ò quot capita mox coronabit, aſperitatem vitæ in delitias vertens; ò quanta religione ſacra illius tempora cinget, qui Hieroſolyma pijs Gallorum & Italorum armis immortali gloria à Saracenis recepta, indignum ducet in ea vrbe auream geſtare coronam, in qua tu ſpineam acutiſſimis capiti ſentibus defixis portaſti. ſplendeſcet propediem in diadematis Regum Crux iſta tua, adeo hactenus inuiſa: ipſa Roma orbis Regina ad ſpecioſos diſcipulorum tuorũ

pedes

pedes mox prouoluenda, superbas moles in virtutis ac mu nificentiæ suæ monimentum erectas salutari crucis vexillo subiiciet, lætabunda magis quod ad piscatorum pedes fastum deposuerit, quam quod immania de superato quondam orbe trophæa statuerit. Sed & Moses mitissimus mortalium, hunc verum dicebat exitum de Aegypto atque securum transitum Rubri maris, nec non Iosue diuisor promissarum à Deo sedium hanc veram asserebat promissionis terram, in quam filij Israel essent per spiritum introducendi. Vberiores quippe campos in cœlo. sedes latiores, dulciores fructus, suauiores aquas, iucundiora nemora, auram salubriorem. Hanc auram, hæc nemora, has aquas, immensum illum laborem in fœda Aegyptiorum seruitute excutienda susceptum poposcisse, ad hos fructus, ad has sedes, ad hos campos per maximas difficultates festinasse, nihil prorsus de sęculo appetere, quos diuina bonitas facit sęculo superiores. Iam vero Salomon omnium quotquot vnquam fuere sapientissimus, natus, & educatus in regnatrice domo, castissimarum inter Christum, & Ecclesiam nuptiarum decantator suauissimus, quænam in perfecta illa animæ cum Deo coniunctione recitabat Epithalamia? qualem eo die harmoniam ediderit satis eius cantica docent, quibus non profani amores vlli; verum hæc naturę humanæ supra sydera collocatæ, ac in delitijs à Deo habitæ dignitas, & venustas celebratur. Tu quoque Hieremias lugubris auctor carminis, qui Hierusalem dirutam flebili lamentatione, & amaro animo suspirans atque eiulans deplorasti, deposuisti in eo triumpho mœstitiam omnem atque squalorem, & oblitus vastitatem Templi, ruinas vrbis tuæ hanc nouam Hierusalem in cælo ædificatam suspiciens terrena illa longè meliorem lætabaris maxime atque plaudebas vsurpans illa Dauidis, Posuisti Domine planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, circundedisti me lętitia, vt cantet tibi gloria mea,& non compungar. Aderant & septem fratres Machabæi, quorum vnus post alium velut in fluctuum iactatione ad supplicium raptus est,& mortem tunc superarunt, cum adhuc inuicta perseuerans terribile quiddam atque tremendum spiraret. Hi permisti infantibus illis Christo coetaneis, quos veluti flores nouellos aratro succisos He-

rodiana rabies e medio sustulerat, grates Domino agebāt, quod cum lauissent stolas in sanguine Agni, in eandem cum illo felicitatis partem vocarentur. Par lætitia eademque exultatio cernebatur in sanctis mulieribus quamplurimis quæ vilissimis huius sęculi voluptatibus minimè mancipatę fœminea vitia deposuerant; has inter Susanna pudicitia impenetrabili, & egregia in Deum, & virum fide, nec non Iudith illa virilem in sexu fragili animum sortita, ingensque molli manu Holofernem armatum trucidando, atque adeo inauditum ausa facinus. Et quæ obiecit caput suum communi tempestati vt à Dei populo depulsa in se vnam furens crudelitatis procella redundaret, Esther inquam, singularis animi fortitudinis exemplar maxime illustres apparebant. Supra omnes vero Dauid bellator fortissimus, propheta, vt siquis alius, perspicacissimus, non iam citharam tractabat leuem & exilem, sed in Psalterio Decacordo fidibus maxime tensis celebrabat laudes Imperatoris sui, ac dulciora quam vmquam carmina fundens maiori tripudiabat alacritate, quam cum Arcam Domini reducens Rex clarissimus ad organum spectante populo totis viribus cecinit atque saltauit. Huiusmodi faustis acclamationibus, quantum pie in diuinis meditari fas est. Christo, super astra scandente cęlum resonabat donec in paternos ventum complexus, & communicata cum Angelis lætitia, iteratis plausibus, geminatis gratiarum actionibus Dei dextra illi attributa est, & summa cæli terræq. potestas confirmata. Atque hęc fuit humanæ redemptionis periodus, hic triumphatoris Christi reditus ad Patrem. Roma similem nunquam vidisti triumphum, etsi pompis plus æquo dedita ciues tuos orbis deuicti spolia referentes, effusa per vias & suburbia insigni sæpe honore, & apparatu plusquam regio exceperis. Quicquid in amplitudine tua nouum fuit, & mirabile, vilescit triumpho comparatum hodierno. Parum est quod dico, sed maiora mens concipit qnam exprimere possit oratio. Christe, Christe Maxime, & Potentissime, etsi supra cæli ambitum ascendisti, & pede orbium altissima premis iudicaturus viuos, atque mortuos, non tamen ima despicis, neue nos humo reptantes contemnis, ita enim per os Dauid promisisti: Excelsus Dominus & humilia respicit, & alta, idest, profunda de

longe

longe cognoscit. Dies iste dies est lętitię & exultationis, dies quo cęli atque terrę sceptrum accepisti, dies muneribus diuidundis destinatus, dies quo minime decet quemquam à te non voti compotem recedere. Quę à te fonte perenni bonorum omnium flagitamus hęc sunt: Ecclesiam sanctã repressa Barbarorum feritate ad vltimas terras extende. Beatissimum, Optimumque Pontificem tuas gerentem vices saluum, & incolumen, Cardinales Amplissimos sacri firmamenta Principatus bonis omnibus cumulatos diutissime conserua, omnes demum qui festum hunc diem in Ascensus atque Triumphi tui memoriam lęti agitamus, eiusdem in cęlo gaudij fac esse consortes.

ORATIO II.



NSIGNEM Redemptoris nostri hodie Cęlum Ascēdentis Triumphum, pręclarum de tam magna parta victoria Trophęum Oratorijs numeris adumbrare ęque maximum ac difficillimum est B.P. Quis enim umquam tanti Triumphatoris gloriam vel ipsis beatis mentibus prę stupore ac nouitate clamantibus: Quis est iste, qui ascendit de Edom tinctis vestibus de Bosra? nisi diuina pręditus eloquētia verbis percensere, aut oratione persequi valebit? Regem atque Imperatorē nostrum non vt olim suos Cæsares Roma laurea redimitos ambitiosa Triumphi pompa conspicuos acclamantium vndiq. turbis & inhorrescente armatorum militum acie stipatos pręeunte Senatu in aurato curru albis quadrigis Capitolium inuectos videmus, sed diuinę maiestatis specie augustissimum cęlesti gloria circumfusum purpurata atque immortali trabea ornatum summum Cælum propria vi propriaq. virtute penetrantem humanum corpus, noua quadam atque insueta naturę varietate, polo ac sideribus inferentem ad summum illud Deitatis fastigium, cuius celsitudo, & mortalis oculi aciem hebetat,

hebetat & humanę cogitationis captum superat, super vehentem, atque exaltantem cernimus. Trophæum opimis Tartari spolijs abducta præda hostilibus armis crucis, atque immanissimi Tyranni catenis grauem & gloriosum cospicamur. Quod si in tanto ac tam mirando spectaculo triumphantis Ecclesiæ vocibus ad psallendum, & concinendam Ascensori nostro gloriam inuitamur, Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super Cęlum Cęli ad orientem, liceat & mihi cum militante Ecclesia panegyricum illud ingeminare: Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dona dedit hominibus. Sed vndenam tantæ laudationis ducam exordium? Tanti numinis maiestate perculsus, tanta dicendarum rerum mole ac magnitudine obrutus, nisi diuino afflante spiritu, inde Ascensoris nostri gloriam dicere aggrediar, vnde descensus ipsius humilitas traxit originem. Vna porro, atque eadem causa fecit, discensus & ascensus, summus amor, summa charitas, qua Deus humanum genus est prosequutus: hæc enim vt descenderet Christus causa fuit, Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: quod si hæc causa fuit descensus, hęc eadē quoque erit ascensus: Nemo.n.ascēdit in Cęlū nisi qui descēdit è Cęlo. Ante igitur de singulari ipsius amore in suscipiēdo certamine dicam, quam de laude victorię. Quid tibi erat Christe, cū inferiore natura, cūhumanę cōditoris vicibus, & miseria, toto quippe impetu in pugnā ferebare torrēti similis amni, quē abruptę ra dicitus siluę & conuulsa funditus saxa sequerentur. Illis pugnare fas erat, quibus suo cuiusque malo tantę ruinæ calamitas ingruebat. Tu ex cuius nutu omnia pendent, omnia gubernantur, in tantum discrimen venires, inter tot labores, inter tot angustias versareris, quis à te hoc exigebat, aut cui cogitare fas esset mortis imperio quidquam in Deū licere, deceat Deum vitam largiri, non mortis iacula experiri, sed hęc tanti tibi fuit causa descensus, tam magnæ extitit occasio humilitatis, vt ascendens hodie hominem ad sublimia promoueres, Cæli sedibus irrogares, innumeris & ingentibus beneficijs cumulares. Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, dona dedit hominibus. Ascendit Enoch in altum, sed non propria vi: tulit enim illum Deus, & non apparuit. Ascendit Elias, sed cur-

rus igneus sustulit eum. Ascendit vero Christus propria vi,propriaq. facultate videntibus enim discipulis sublatus est. Quod si nubes suscepit eum ab oculis eorum, hoc minime causa fuit ascensus,sed signum ascendentis: velut enim ignis, & currus igneus Eliæ assumpti symbolum præstitit; ita nubes Christi cælum scandentis indicium demonstrauit: in nube enim tamquam in signo diuinæ potentiæ ascendit, in nube posuit ascensum suum. At vero & assumptus est Christus monstrantibus Angelis, Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, sed ipse qui tanquam homo assumptus est, Hic idem veniet, sic enim veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum: vnus enim est Christus, qui in diuinæ hypostasis vnitate vtramque retinet naturam, diuinam quam innumeris iam ante sæculis habet, & humanam quã in tempore suscepit. Ita vnus est, qui assumitur Christus, & qui ascendit Christus, velut etiam vnus, qui suscitatur Christus, & qui seipsum suscitat Christus. O eximium, ò præclarum spectaculum, quod nulla temporum series abolebit, nulla hominum memoria conticescet! Eam quam paulo ante Diuini numinis maiestatem mortali carne obuelauerat, hodie sublato mortalitatis velo omnibus manifestat. Splendet corpus,& radianti Sole lucidius gloriosum apparet,neque amplius sua mole grauatum, sed omni leuitate leuius, & omni agilitate agilius, sedet supra nubem leuem,& ambulat supra pennas ventorum, trascendit cælum,neque illi orbium soliditas obstat, sed dote subtilitatis præditum corpora ipsa non peruia, atque indissecta permeat. Iam illa manibus,pedibusq. inflicta vulnera, non amplius ad dolorem extant,sed ad gloriam coruscant: omnem namque doloris sensum prorsus abiecit immortale redditũ corpus. Ascendens inquam Christus in altum,neque solus ascendit, sed multorum comitante cœtu, stipat illum frequens Angelorum agmen, qui lętis plausibus potentissimi Regis gloriam prosequuntur. Victori emerito, aulæ cælestis portas reserari conclamant, pugnam prædicant, labores extollunt,victoriam laudibus,& encomijs exornãt, Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portę æternales,& introibit Rex gloriæ. Excipiunt cælites tantæ exultationis voces,& summi Regis potentiam admirati, venerabundi simul, atque stupentes clamant, Quis est iste Rex gloriæ?

gloriæ? ſed illis ſtatim vndique reboante polo reſpondetur, Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Fortis enim hic Dominus ante deſcenderat, vt fortem inimicum, qui vicerat, fortior ipſe vinceret, & ſuperaret: potens qui deiectum hominem extolleret, & iacentem, ac deperditum erigeret, ac ſaluaret. Hic Dominus, qui fortis, & potens deſcenderat, hodie iam fortis & potens in prælio deuicta morte, attrito diabolo, glorioſe triumphans aſcendit. Sed neque agnoſcunt illum, cuius rubra ſunt veſtimenta ex humanorum malorum torculari. Itaque rurſus comites eius vocibus illis interrogatur, Quis eſt iſte Rex gloriç? reſpondetur autem non amplius, Fortis & potens in prælio; ſed, Dominus virtutum, qui omnium principatum obtinuit; data eſt enim illi omnis poteſtas in cęlo & in terra, qui omnia in ſe ipſo collegit, qui priſtinum in ſtatum cuncta reſtituit, ipſe eſt Rex gloriæ. Comitatur multorum turba, quos ipſe ſpoliato inferno, debellato crudeliſſimo hoſte, ſuperata morte, ſecum in triumphum adducit, & teterrimi carceris repagulis confractis, morti atque diabolo ex peccato acquiſitum ius auocans, captiuam ipſam ducit captiuitatem, dona dat hominibus: ſed quæ dona? Diſcipulis ſuis pacem & benedictionem, pacem tranquillitatis, pacem benignitatis, pacem charitatis, atque dilectionis. Benedictionem omnia largientem, affluentiſſime ditantem, quidquid ad beatitudinem opus eſt tribuentem, eos, quos ſecum adduxerat, cæleſti gloria, & in omne æuum duratura fęlicitate muneratur. Humanam vero naturam in tantam dignitatem, in tam magnam ſublimitatem extollit, vt eam ſupra omnes orbes, ſupra omnes Angelos, ſupra creaturam omnem in ipſo Trinitatis ſolio collocarit. O lætitiam memorandam, ò exultationem perpetuis hominum, & cælitum laudibus celebrandam! Geſtiunt elementa, lætantur homines, gaudent Angeli, Deus ipſe in ſua, ac propria iucunditate lætatur, ridet terra tanti Regis calcata plantis, & tanti accepti honoris monumentum diuinis impreſſa pedibus veſtigia retinet, & conſeruat, geſtit aqua, geſtiunt maria, tam magnis illuminata luminibus, ac velut ſpeculum perpolitum oblati triumphi referunt imaginem, geſtit aer tanta ſerenitate præditus, tantis fulgoribus illuſtratus, tot ac talibus melodijs, atque Angelicis concentibus pulſatus,

 & ſan-

& sanctissimi contactu corporis honestatur, gestit ignis longe maiori hodie micans lumine, & qui aliàs ascendentibus Dei ministris præbuit famulatum, nunc Ascendenti Deo, ac Domino collucet & coruscat, exultant homines, quibus si antea Christi resurrectio spem attulit, nunc eiusdem Ascensio gloriam portendit, concinunt Angeli, & lætis choris modulamina fundunt Regem suum videntes triumphato crudelissimo hoste manubias reportantem. Lætatur æternus Pater oblatum donum miratus, quod & tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur nulla macula fœdabat. Oblatum suis manibus suscipit, & in sede suæ dexteræ collocat. O felicem, ò faustum, ò beatum diem, qui Deiparæ semper Virgini, qui Apostolis, qui toto demum humano generi felicissimus illuxit! quantis lætabunda exultat gaudijs, Virgo mater carnem, quam è purissimo suo sanguine Deus ipse susceperat non in adoptionis communionē, sed vtraque salua natura in diuinæ hypostasis vnitatem ad sublimem maiestatis gloriam, ad summum altitudinis apicem sublatam videns. Quantis exultant lætitijs Apostoli Regem suum sessurum in throno ascēdere conspicati, qui olim duodecim illis sedes pollicitus fuerat ad iudicandas duodecim tribus Israel. Quanta replentur iucunditate cælites instauraram sui ordinis ruinam videntes. Quanta gestit humanum genus lætitia, Principem, atque Imperatorem suum defensorem, Patronum, ac Tutelarem ad dexteram Paternæ maiestatis ascendere prospiciens, sublatis manibus, clauorum vulnera pignus nostrę redemptionis ostendere extensis brachijs dehiscens latus omnis salutis promptuarium patefacere ad iustam Patris iram, aduersus nostra scelera excitatam, compescendam ad emerita nostris delictis supplicia auertenda, ad diuinam nobis gratiam conciliandam. Quod si Dominum immutata nostræ naturæ conditione, ex mortali immortalem cælesti gloria circumfusum plaudentibus Angelis triumphata morte, alligato diabolo cælos ascendentem hodie contemplamur, etiam nos interioribus, atque exterioribus gaudijs affici, & repleri par est, si enim ascendit Christus, & nos ascendemus, sed ascendit superato diabolo: deuicta morte exterminato peccato, ita & nos nostrum secuti Ducem superatis diaboli artibus, debellatis carnis illecebris, conculcato mundi fastu, cum Christo

C glorio-

gloriose ascendemus operum innocentia, cogitationum integritate nitentes. Quis enim ascendet in montem Domini? aut qui stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde. Ita Christum eundem comitati, eundem deinde redeuntem in nubibus cæli, in clangore tubarum, in fragore tonitruum minimè pertimescemus, sed cum ipso ad immortalitatem, ad gloriam immutabimur, Aethereas sedes consequemur, & æterna cum ipso beatitudine perfruemur.

ORATIO III.



ON erat cur Dei Filius debellato humani generis hoste, Patris longè, ac latè propagato imperio, diutius in terris moraretur, & partę victoriæ ratio postulabat, vt mortalibus in libertatem vindicatis, euersa mortis iniusta tyrannide, fundata vbique terrarum lætissima pace, triumphans in cælum reuerteretur, vt sudori præmium, labori merces; pugnæ victoria, victoriæ par esset triumphus. Ac mihi quidem, Beatissime Pater, in pompam illam, qua Princeps Regum terræ post diuturnum bellum in patriam reuersus est, intuenti, adeo supra humanum & captum & facultatem eius explicatio videtur, vti supra humanum illius amplitudo fuisse modum videri iure omnibus consueuit. Dicam igitur de multis, pauca de maximo Christianæ religionis mysterio, timidè, vt par est & parcè dicam, ac prius de incredibili huius triumphi maiestate & splendore, tum de ijs quæ Imperator noster suo triumpho nobis peperit. Sed vnde potissimum exordiar à Sanctissimorum Vatum oraculis, an ab Euangelistarum enarratione? ab Apostolorum mœrore & luctu, an à Christi triumpho & gaudio? à Cæli serenitate, an à nubium subito concursu? à vestigijs in lapide impressis, an à desiderio in visceribus relicto & medullis? ab

Ange-

Angelorum vocibus, an ab hominum admiratione & silentio? ab eo quem Deus vnxit oleo lætitiæ, an ab Olineto monte? Ex hoc enim Christus in cælum proficisci voluit, vt inde cæleste Capitolium triumphans subiret, vnde non ita multo ante Hierusalem ouans fuerat ingressus, & qui è monte conscenderat Crucem, è monte quoque in triumphalem suæ virtutis, ac potestatis currum in regnum euehendus patrium, insiliret. Hic itaque tanquam in totius Orbis terrarum Theatro magna discipulorum frequentia, librat se se in aere, liberoque, ac soluto volatu beatis illis spectantibus mentibus, sanctissimis admirantibus feminis, mundoq. ipso obstupescente sanctissimum Christi corpus in sublime fertur, aeris mobilitatem superat, soliditatem penetrat cæli. Quid mihi Enoch sanctissimum Vatem, quid mihi Eliam igneo curru in cælum delatum commemoras? non manu facto vehiculo ait sanctus Cyprianus, non alarum remigio, non Angelorum humeris, sed diuina potestate Christus ad fælicissimas beatorum sedes deducitur.

Rectè Vir sanctissime, ac iure, horum enim ope ne indigeret, vt gloriosus esset, ipse facit, cuius illa ope indigent ne sint omnino nihil; Quid commemorem mortalitatem hanc nostram in immortalitatis sinu collocatam, corpus hoc corruptibile ad sedem incorruptionis euectum, nostram inopiam & mendicitatem æternis diuitijs & gloria ornatam, nostram nuditatem inextincto splendore amictam, qui neque solis euincentibus radijs obruatur, neque ventorum iniurias pertimescat; hominem humi natum, è luto fictum & argilla ad præpotentis Dei dexteram constitutum, humilitatem ad supremum dignitatis gradum euectam, has carnes, quam circumferimus, hunc cinerem, hunc puluerem, hoc lutum, sideribus, cælo, diuinæ sedi maiestatis illatum? Iosephum quidem virum innocentissimum, qui exteris primo hominibus flagitiosissimo mercatu à fratribus addictus, deinde diuturno carcere ab impudica femina per summam iniuriam inclusus fuit, per medias calamitates, per odia, per contumelias, per iniurias ad Ægypti Imperium viam sibi aperuisse sacræ, diuinæque litteræ testantur.

Preclara hæc quidem, ac mira omnibus esse, & quidem rectis-

rectiſſimè videntur, ſed quanto admirabilius Chriſtus non ſolius Ægypti, ſed totius orbis terrarum, non vnius gentis, ſed omnium hominum Saluator ad mundi imperium iter habuit? Proditus enim ab amicis, vinctus ab hoſtibus, inſimulatus à Iudæis, damnatus à Romanis, deluſus à Regibus, ſpretus à Sacerdotibus, à Milite contumelijs, à Lictore verberibus affectus, cruciatibus, opprobrijs, virgis, criminationibus, maledictis, ignominijs, alapis, ſanguine, cruce, morte, ad ſupremum rerum omnium principatum peruenit: vt facile appareat quantumnam illud eſſe regni faſtigium oporteat, quod tanti vel ipſi Domino fuerit acquiſiſſe. Vbi nunc eſt Mors victoria tua? vbi Inferne gloriatio tua? O diem poſt hominum memoriam maximam, ò commutationem inauditam, ò incredibilem huius diei viciſſitudinem!.

Ille, Cardinales Ampliſſimi, qui pauloante reus capitis ad tribunalia trahebatur, viuorum omnium & mortuorum iudex renunciatur, qui morte damnatus eſt, auctor eſt vitæ, qui parebat hominibus, imperat Angelis, qui pauebat in horto, terret è cælo, qui ſudabat ſanguine, ſplendet purpura, qui latronum ferebat ſupplicia, regium geſtat ſceptrum, qui pendebat in Cruce, regali ſedet in ſolio, qui cum latronibus cruciabatur in terris, cum Patre regnat in cælo, qui Barrabæ fuit poſthabitus, cælitibus antefertur, qui non habebat ſpeciem, neque decorem, factus eſt ſpecioſus pre filijs hominum.

Vbi nunc ſunt qui conſilium inibant vt Ieſum morti traderent? videant illum hodie cælo quaſi ſignum quoddam gentibus vniuerſis ad bene ſperandum ſublatum, ne illos quidem ipſos excludens à quibus æquitatem, humanitatemque ille omnem olim ſibi deſperauit. Vbi ſunt qui armabant cohortes? cernant hodie fortiſſimum Deum exercituum innumerabilibus Angelorum legionibus vallatum. Vbi ſunt qui plectebant ſpineam coronam? ſpectent vigintiquatuor ſeniores deponentes coronas ſuas ante ſedem Agni. Vbi ſunt qui clamabant, Non habemus Regem niſi Cæſarem? Legant in Chriſti veſte, Rex Regum, & Dominus dominantium.

Quid multa conſector? vnum omnia complectitur, ſi vnũ rectè exponatur, ſi audiatur attentè, ſi ſuis expendatur momentis

mentis, reliqua sileri, præteriri possunt.

Condiderat hominem Deus, atque ita condiderat, vt si æquissimæ vni pareret legi, viuens in cælum eueheretur, sin secus perpetuo beatorum domicilio excluderetur. Verum cum infelix ac miser contra eam egisset legem, obiecto huius primogeniæ culpæ quasi vallo ita sibi cælũ obstruxerat, ita omnem in cælum obcluserat aditum, vt nemini ad illud aspirare fas esset. Quid hic ageret Deus? cuius natura, vt ait S. Leo, pietas, cuius voluntas misericordia est, ipse quidem nec homines opus habebat, quippe seipso contentus, fælicitatis intra se continens fontem, si quid extrinsecus ad perfectissimam expeteret fœlicitatem, Deus non esset, nec vlla vel ratione, vel lege cogebatur, vt eos qui sponte Beatorum sedibus concesserant, in pristinum reuocaret dignitatis gradum, & nostra flagitia postulabant vt hæreditate, quam nostra culpa amiseramus, nostram ad pœnam perpetuo careremus.

Non tulit tamen clementissimus Pater diù filios paterna domo excludi, non tulit ille qui nostra causa teterrimas sibi, ac voluntarias consciuerat miserias, vt exules diù vagam, & inopem vitam traheremus verius, quàm ageremus. Cogitauit igitur nobis rursus iter ad cælum communire, cogitauit interclusum beatitatis aditum tanto benignius, atque amantius aperire, quanto maius est in ingratos iterare beneficium, quàm conferre, nec vero cogitauit & non potuit, potuit enim qui omnia potest, cuius imperio subijciuntur vniuersa, quis enim tuæ Domine resistere potest voluntati? Disturbatis ergo repagulis, effractis claustris, reuulsis obicibus, humani generis Saluator optimus conscendens cæli fores, quę ab ipsius mundi nascentis exordio ad eam vsque diem mortalibus omnibus claudebantur, non verbo, sed facto, non voce, sed re ipsa tentauit, referauit, aperuit, nobis omnibus patefecit, viamque mortalibus strauit amplissimam. Exules filios Euæ longo postliminio reduxit in patriam, eos qui teterrimo carcere detinebantur ex abditis inferorum cauernis, ad lętissimam Cæli Regionem, ex tenebricoso ergastulo ad Regales Aulas, à tenebris ad lucem, à desperatione ad spem, à morte ad vitam reuocauit. Hodie Pater Beatissime, bonus pastor ouem, quæ longe ab ouili errauerat, suis humeris refert ad cæleste prę-

sepe.

ſępe. Hodie Pontifex Opt. Max. Cæli ianuam tanquam expiationis, & vt nos loquimur Iubilæi portam longa per ſæcula aperuit. Hodie ſummus Sacerdos Melchiſedech ingreditur Sancta ſanctorum æterna redemptione inuenta. Hodie Princeps pacis Cæli portas quaſi Iani fores aduerſo Ethnicæ ſuperſtitioni more ad perpetuum pacis reſerat monumentum, Hodie ſummus Patriarcha Iacob ſuas turmas è Meſopotamia reuehit in patriam, Hodie natura humana ad Cęleſtis Regni poſſeſſionem vocatur. Hodie fœlicitatis ęternę accipimus auctoramentum. Quid hic agimus Cardinales Ampliſſimi, palmarum à Christo accipimus beneficium, quando in æternitatis poſſeſſionem venimus.

Quo ergo animo, qua voluntate, qua religione eum colere, ac venerari debemus, à quo cuncta accepimus, quid non debemus ei cui debemus omnia?

Ille nos abiectiſſimos, atque adeo improbos ſeruos in Regni ſui ſocietatem vocauit. Ille nos ampliſſima rerum omnium poſſeſſione ditauit, eamque cum amiſeramus reſtituit. Ille nobis cęleſte regnum donauit, quod hodie quaſi vſucapiens iterum reddidit. Ille è regalibus dilapſus eſt ſedibus, vt in cęleſte domicilio nos repreſentaret. Ille nos non è mortalitate verius quam à morte extractos ad immortalitatem reuexit: Ille ſe in teterrimas mundi tenebras demerſit, vt nos ad cæleſtem lucem transferremur.

Quid ergo nos illi? quid inquam illi nos? Beatiſſime Pater, hoc eſt Regi, Domino liberatori, reparatori libertatis, ſalutis auctori, vitæ largitori, Redemptori, Deo, ſerui, captiui, mendici, nequam, ingrati, hoſtes, & quod ſemel omnia complectitur, homines. Si noſtra illi obtulerimus, ſi libertatem, ſi vitam, ſi nos ipſos, vel ſua illi obtulerimus, vel nihil, ſed ita ſit ſanè nos ipſos noſtro Regi, ac Domino offeramus, quoniam quę illius eſt humanitas ſua, tum demum ille ſua cedit, ſi ea nos illi vt noſtra offeramus, noſtrumq. illud nihil, tum eſſe, nihil deſinet, cum omnium domini, ac procreatoris theſauris inſeretur.

ORATIO IIII.



ODIERNI triumphi Pater Beatissime, noua, & inaudita species ab Ecclesia Sancta Dei filiorum suorum oculis anniuersaria celebritate mõstratur, & fulgore suo, vel diuinarum mentium aciem praestringit, cum auctor nostrę salutis Christus nouo pugnandi, inusitato vincendi genere, fractis ac debellatis humani generis hostibus, non curru vt Helias, sed propria virtute inter gratulantes cęlestis militiae ordines concinentibus Angelis ad Patris dexteram euectus est. Nõ enim vt caeteri Duces maximo comparato exercitu, adiunctis sibi potentissimorum Regum, & nationum auxilijs, cęsis aut fugatis hostibus, vnã aliquam regionem, aut regnum suo adiecit imperio, neque detracta hosti spolia, aut signa militaria relata speciosiorẽ eius triumphum reddidere. Longe alia fuit huic nostro Imperatori bellandi causa, diuersa pugnandi ratio, diuersissima pompa triumphi. Nam qui huius mundi regnum non appetebat (quid enim appeteret quod suum esset?) ne praesidijs quidem huiusmodi ad res gerendas indigebat. Causę illi suscipiendi cum hostibus nostris belli fuere ardentissimus nostrae libertatis amor, & nos Patri suo reconciliandi desiderium, illiusque gratiae nobis reddendae, à qua per peccatum primi parentis excideramus. Arma illi fuere verba vitae, & spiritus, manus non gladio instructae, sed vinculis astrictae: corpus non lorica aut clypeo tectum, sed nudatũ, non ad defendenda, sed ad excipienda vulnera paratum: vultus non elatus, sed benignus: os non minas in suos interfectores, sed preces pro eis ad Patrem fundens: denique ipse nulli alij, nisi Satanae, & morti terribilis; quorum vni, hoc est morti, morte sua interitum attulit, alterum vero sempiternis vinculis constrictum in perpetuas tenebras

3. Reg. 2.

bras relegauit, & hominum genus vniuersum in pristinam libertatem restituit. Neque hic immensa eius benignitas conquieuit, sed humanam naturam in tantum honorem extulit, vt hodierno die supra choros Angelorũ, supra Principes, & Potestates, supra Archangelorum ordines euectã, aperiente se cælo, & omnium suarum diuitiarum pulchritudinem explicante ad Patris dexteram collocarit; vt quanto humilius diuina natura propter nostræ humanitatis assumptionem fuerat in Christo demissa, tanto sublimius humana natura propter ipsius in cælum ascensum, tantoque gloriosius tolleretur; vt interdum exclamare libeat, fuisse homini optandum, vt caderet, cum maior illi in resurgendo fęlicitas, quàm ex casu ruina contigerit. At nos quantis gaudijs exultare ob tam gloriosum Christi Domini ad Patrem ascensum, quantis affici voluptatibus debeamus, non sanctorum modo Apostolorum docet exemplum, verum ipsa quoque rei vtilitas, & momentũ ostendit: neque enim sicut in discessu carissimorum cõtingere solet, ita illi abeunte Domino tristi aliquo desiderio, aut mærore contabuerunt, sed cum gaudio regressi sunt, non ex eo quidem, quod ab illis abiret, sed quod tanquam gigas exultans ad currendam viam, iter illis ad cælum aperiret, quod paraturus eis sedem, & locum abiret, quod abeundo regni cælestis possessores efficeret. Etenim hic dies primus nobis Dominicæ mortis, resurrectionis, totius denique anteacti laboris fructum vberrimum, ac iucundissimum attulit, hoc est obstructum ad æternam vitam aditum patefecit: quo detracto quid erat, quod destructa morte lætaremur, si nihilominus in hoc exilio mansuri eramus? Nihl (inquit Ecclesia) nasci profuit, nisi redimi profuisset. At vero vnde homo redemptionis suæ plenitudinem accepisset, nisi redemptis paradisi ianua patuisset? quæ cum antea esset præclusa, nec quisquã ascendere posset in cælum, nisi qui descenderat de cælo, Filius hominis, qui est in cælo; necesse fuit ab eo ipso Domino, qui fons vitę est, via, veritas, & vita, per quem itur ad Patrem, qui denique nos ad vitam vocauit, vitæ viam aperiri. Hoc facturus hodie Saluator in Cælum ascendit, & nostram naturam in beatam illam sedem intulit, & locum nobis, vt spopondit, in summa illa fęlicitate constituit, vt vbi ipse est, illic & nos simus. Exultemus igitur, & iure

Psal. 18.

Ioan. 3.

optimo lætemur, quia, vt Gregorius ait, hodie deletum est damnationis nostræ chirographum, mutata sententia nostræ corruptionis, & illa natura, cui dictum est, Terra es, & ibis in terram, ducente Domino iuit ad cælum, & ad Dei conspectum euecta ab eo ipso, qui eam damnauerat vt audiret promeruit: Esto meæ particeps sedis. O rem admirandā & summa omnium prædicatione, & lætitia celebrandam! Ille homo, qui cum in honore esset, minoratus ab Angelis dicebatur, postquam de suo statu culpa sua deiectus, & comparatus iumentis, similis factus est illis, in tantam redeat gratiam, vt non pristino tantum decori restitutus, sed cælestis vocationis, diuinæq. adoptionis particeps effectus longe excellentius Angelis, & nomen, & locum assequatur: cui enim aliquando dictum est Angelorum, Filius meus es tu, aut, Sede à dextris meis? hoc tamen humanæ in Christo naturæ hodierna die concessum est, cuius tantæ fęlicitatis, cum quiuis, modo velit, particeps fieri possit, quis tam supinus, tam stupidus erit, qui sibi illam inuideat, qui non illam sibi toto animo gratuletur? Exultemus igitur & nos lætitia, & cum Domino gaudio triumphemus, quia eleuatus est Sol, & luna stetit in ordine suo: eleuatus est quippe Sol iustitiæ nostrę Christus, & nostra humanitas, quę Lunę instar tanti Solis radijs illustratur, stetit in ordine suo, nimirum pristino candori, & innocentiæ restituta. Exultemus, inquam, & gaudijs omnibus diffluamus, quia ascendens in altum Dominus captiuam duxit captiuitatē, naturam nempe nostram, nec eo modo captiuam, quo in summorum Ducum triumphis nonnunquam vincti, constrictique Reges ante currum duci solebant, sed gloriosam, & illustrem; quę tamen captiua dicta est, quia antea quidem diaboli iugo, & inferni claustris premebatur. Nunc vero per Dominum eruta, & diuturnę seruitutis vinculis erepta, non captiua amplius, sed libera, & triumphans liberatorem suum, ac vindicem comitatur. Sed quid amplius boni in suos Dominus ad cælum ascendens contulit? Dedit dona hominibus. Et quę (Deus immortalis) dona: diuina scilicet, & nullo pretio comparanda: quia quemadmodum terreni Imperatores, vel in recens partis prouincijs, vel de integro acquirendis varios, ac multiplices militiæ ordinēs, ac ministros constituere solent, qui belli munia obeant, eosque


Gen. 3.
Psal. 8.
Heb. 1.
Psal. 67.

que varijs telorum generibus ornant: ita Dominus noster inuasurus Orbem terrarum, eumque Euangelicæ gratię legibus subacturus, non claros bello Duces, non genere, & opibus pollentes, non doctrinæ studijs, aut rerum vsu præditos asciuit; sed infirma huius mundi elegit, & misso de cælo Spiritu sancto, quosdã quidem dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Euangelistas, alios Pastores, & Doctores; rursus alij sermonem sapientiæ, & scientię, alij gratiam sanitatum, alii operationem virtutum, alii discretionem spirituum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum distribuit: quibus veluti armis quibusdam instructi, & præceptis firmati pro verę fidei defensione, non Regum minas, non supplicia, non armatos exercitus timuerunt: sed Euangelici imperij iura per vniuersum terrarum Orbem propagarunt. Illud vero præcipue obseruandum; quod discipulis suis Dominus, vt gratiam huiusmodi consequerentur, præcepit ab Hierosolymis ne discederent: hoc est, ne se ab Ecclesia Dei seiungerent: cui qui non adhęret, Spiritum sanctum non expectet: tantum enim abest, vt ad eos, qui ab hoc sancto cœtu seiuncti sunt, accedat: vt etiam eos, qui aliquando potiti sunt, si se ab Ecclesia separauerint, derelinquat: quam cum perspicuum sit vsque ad consummationem sęculi diuino spiritu continenter afflari, qui ei, qui tibi Beatissime Petri Successor, non crediderit fide formata, operibus cofirmata, iure optimo condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo, inquit Dominus, dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & reliqua in Euangelio descripta: quæ vt olim ad nascentis fidei nutrimentum necessaria quoad adolesceret, & corroboraretur, ab Apostolis, cęterisque sanctis facta esse scimus: ita nunc ab Ecclesia, & eius ministris, hęc eadẽ in spiritu quotidie fieri reipsa sentimus. quanquam & in corporibus miraculorum gratiam, etiam nostris diebus enituisse, tam peruulgatum est, vt ea de re dici fusius non oporteat. Non videtur hoc loco prętereundum, quod certa fide traditum est: vestigia scilicet Domini nostri in eo monte, vnde in cęlum ascendit, ita impressa remansisse, vt quãuis pręter alia plura incommoda Romanus exercitus in Hierosolymę vrbis excidio ibi castra habuerit, ex quo verisimile sit ea loca, vel

1. Cor. 1.
Ephes. 4.
1. Cor. 12.
Act. 1.
Mar. 16.

ca, vel equorum vngulis contrita esse, & innumerabilis piorum hominum multitudo eo deuotionis causa confluentium, aliquid semper inde detraxerit; adhuc tamen incorrupta, & integra perseuerent, non secus ac si recentissime facta essent. Quin etiam cum locus ille mœnibus septus, & ascensui Domini dicatus in templi formam extructus esset, nulla cuiusque arte, aut industria effici potuisse, vt summum illi fastigium imponeretur: adeo Dominus noster solum illud, in quo postremum institit, sui ascensus memoriam sancte, inuiolateque retinere, & cælum, qua permeauit, liberum ac peruium esse voluit. Vtinam idem Saluator noster pro sua infinita bonitate id ipsum in nobis efficiat, vt quæ nobis ante suam migrationem viuendi præcepta; & exempla reliquit; ita in mentibus nostris insculpamus, vt nulla inde obliuione deleri, nulla insultantis mundi contumelia tolli, nullis denique tentationum stimulis
Psal. 123. excuti possint: & anima nostra sicut passer de laqueo venantium erepta in cælum aspiciens, adeo illud patens, & apertum inueniat: vt ascendentis orationis, & diuinæ gratiæ descendentis iter nihil impediat: non dæmonum ars, non peccati murus obsistat: quin potius pro certo habentes Saluatorem nostrum ita venturum, quemadmodum discipuli in cælum euntem viderunt, sic nos per merita virtutum, & bona opera paremus, vt venientem non reformidemus: sed vltro in eius aduentum læti, & alacres properemus, cupientes aliquando inebriari ab vbertate Domus
Psal. 35. eius, præ cuius desiderio æstuantes, dicamus interim cum Beatissimo Euangelista Ioanne: Veni Domine Iesu, veni cito.

ORATIO V.



NIMADVERTE Beatissime Pater nostræ humanitatis naturam in tãtum dignitatis gradum fuisse subleuatam, vt quò nec Cherubim, nec Seraphim, nec vniuersum spiritalium Legionum agmen peruenire vnquam potuit, ibi, multò illis naturę conditione inferior homo, singularis gratię largitate fuerit collocatus. Quę res dum non solum hominum, sed Angelorum etiam mentes ad sui admirationem inuitat, in eam mentis aciem intendere cohortatur, vt sursum vocati animi terrenis non deprimantur, nec liberi cordis oculi ab æternæ altitudinis intuitu, visibilium suggestione, retardentur. Omnis igitur nostra conuersatio hodierno die in cælis futura est, cælum ipsum corde, & animo volutandum. Dicendum est enim de Christi Victoris ad superiora cælorum ascendentis triumpho, de cælestium Spirituum occursu, ac denique de humana natura in potiori cælorum parte constituta; quibus latior aperitur orationis campus, quam mihi temporis spatium concedatur. Sed, vt à Christi triumpho mea proficiscatur oratio, admirabilis prorsus apparuit diuina sapientia, dum tyranno, qui mortis habebat imperium, iustitia primum, deinde potentia superato quos captiuos ipse detinuerat, a seruitute in libertatem Christus asseruit, & à morte ad vitam penitus reuocauit. Nam antiquus humani generis hostis, qui Christum, in quo nihil morte dignum inueniri potuit, iniuste fecit à Iudæis occidi, iuste quidem tunc victus est, quando sibi vincere videbatur; iusteq; eos ob inflictam Saluatori mortem amisit, quos meritò tamquam peccati reos mortis vinculis obligarat. Deinde verò potentia diuinitatis Redemptor noster à mortuis resurgens, & in cælum gloriosus ascendens destruxit mortem, vires tyranni confregit, nobi-

Greg. 14. (margin)

Psal. 67. (margin)

Rom. 13. (margin)

Gal. 6. (margin)

nobilemq. de ipso triumphum reportauit. Solus iste est triumphator semper magnificus, cuius victoria nulla vnquam maior, cuius triumpho nullus sublimior, cuius denique Ascensionis fructus nullus potest esse vberior. Quæ enim maior victoria, quàm hostem superbissimum omnibus antea insultantem ita prosternere, vt semel victus amplius regnare non possit? Quis triumphus nobilior, & excelsior, quàm triumphali pompa supremam ingredi cæli regioné? Quis fructus copiosior, quam æternæ beatitudinis hæreditas, & Spiritus sanctus donorum largitor in filios adoptionis effusus? Multi sane viri illustres, vt veteris testamenti narrat historia, de hostibus triumphum egere: triumphauit enim de quinque regibus Abraham, & captam ab illis

Genes. 14. prædam Regi Sodomorum restituit; triumphauit de Chananæis Iosue Israeliticumq. populum in terram promissionis induxit. Sed ij si cum Christo victore conferantur, ita triumpharunt, vt non tam victoriam, quàm insignia victoriæ fuerint consecuti. In illis enim forma quædam, & figura præcessit, in hoc veritas manifestata est. Illi priuatos quosdam homines sibi inimicos alieno auxilio deuicerunt; hic communem humani generis hostem, hostilemque eius exercitum propria virtute prostrauit. Expolians enim principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triũphans illos in semetipso. O triumphum egregium, quem

Psal. 67. egregie propheta describens, ait: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Non in hoc triumpho inanis captiuorum pompa præcedit; sed triumphatorem ipsum comitatur gloriosa captiuitas. Non Triumphali via procedit in Capitolium Rex noster, sed Salomoni difficili, & nullius antea temerata vestigijs, via scilicet Aquilæ in cæ-

Prou. 23. lum ascendit. At, quid dico in cęlum? immo, quia à summo cęlo egressio eius, victor etiam remeauit ad sublimia cęlorum. Itaque dum eius ascensum intuetur Angelorum cœtus occurrit admirans præ tanti mysterii stupore, reique nouitate perterritus sciscitatur: Quis est iste, qui ve-

Isai. 63. nit de Edom? Quis est iste Rex glorię? Interrogant virtutes cælestes, & discunt Sacramenti absconditi dispensationem à sęculis in Deo latentem: neque ab alio discũt; nisi ab eo, cui datum est omnia nosse. Quamuis enim beati Angeli semper videant faciem Patris, & diuinam sa-

dom pien-

pientiam perpetuo contemplentur: quia tamen infinita hæc eſt, & incomprehenſibilis omnino penetrari non poteſt. Innoteſcat igitur principibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Innoteſcat Chriſti Triumphantis fortitudo, potentia, atque maieſtas. Eleuentur portæ cæleſtes, & introeat Rex gloriæ Chriſtus. Ipſe quippe fortis, qui vicit mundum, ipſe potens, qui ſpoliauit infernum; ipſe rex gloriæ verus, qui reſtituit paradiſum. Quæ cum ita ſint, elucet in Aſcenſionis myſterio Dei virtus, & fortitudo, eiuſque in extollendo homine benignitas commendatur. Nam mortuus homo cum eſſet, Dei virtute reuixit; cum iaceret, erectus eſt: cum eſſet inglorius, adeo ſublimem gloriam comparauit, vt in ſanctę Trinitatis conſortium per Chriſtum ingredi meruerit & nominari, & eſſe filius Dei. Quare ſi dignitatem, in qua nos Chriſtus conſtituit, vere agnoſcimus, & agnitam conſeruare ſtudemus, delenda eſt nobis omnis peccati macula, vel noſtra peruerſitate, vel inimici fraude ſuſcepta: quæ ſi inſederit, & inueterauerit in noſtris animis, vera laude, & gloria priuamur, ac libertate donati per Chriſtum, miſerrimæ dæmonum ſeruituti ſubiicimur, æternæque mortis laqueis iterum innodamur. Quid enim nobis prodeſt Chriſti victoria, quid eius triumphus, quid ſuperata mors, quid draco crudeliſſimus alligatus, quid mundus victus, quid caro depreſſa? ſi reformatam in nobis Dei imaginem, in peccata ruentes deformamus: ſi deuictis, & detriumphatis hoſtibus nos ipſos turpiter in prædam dantes, cæleſtia contemnimus, ſi curis ſęcularibus implicamur, noſtrę dignitatis obliti? Deglutiuit mortem Chriſtus, vt hæredes Dei efficeremur: aſſumptus eſt in cælum, vt ſemper animo ſuperiora verſantes, nihil nos caducum ab eius amore ſepararet: Sedet à dextris Dei, hoc eſt in potioribus Patris bonis, vt ſitum in cælis theſaurum noſtrum intelligentes, ibi corda defixa ſint, vbi eſt omnis altitudo diuitiarum. At vero ſtupens Angelorum chorus ad Chriſti mirabilem conſcenſum, & ſublimitas ipſa, in qua humanæ carnis paruitas collocatur, omne ſuperbum, & elatum à nobis remouet. Non enim diaboli ſuperbia, quæ angelicam gloriam è cælis deiecit, ſed Chriſti Re-

demptoris humilitas, qua semetipsum, vsque ad mortem crucis humiliauit, ad cęlos euexit infirmitatem humanam. Igitur à Christo edocti, Christi documenta sectemur: descendamus per mansuetudinem, & humilitatem cordis, vt his postea efferamur in patriam, vbi Christus in gloria est Dei Patris.



IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES.



ORATIO PRIMA.



I vel recondita quæque mysteria temporis plenitudine consumman da Beatissime Pater; velut præsentia Deus Patriarchæ Iacob ob oculos proponabat, Diuini Incarnationem Verbi, quam ipse moriens testatam reliquit mundo: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Mortem ipsam, Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum; Ad partes inferas descensum; Ad prædam fili mi ascendisti; Eius de morte gloriosum triumphum, ad propriaque recessum, Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? vt & Spiritus Paracleti missionem, quæ cæterorum est consummatio mysteriorum, illi etiam demonstraret, ratio postulabat. Quapropter pronūciasse de ea reor; Nephthali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. Quid enim Nephthali valet, nisi retorsio? Quid Sanctus ipse Spiritus, nisi amoris nexus? Ceruus profecto tarditati inimicus, vtique à Patre, Filioq. emissus, dās Apostolis hodie pulchritudinis eloquia, dans Euangelizantibus verba virtute multa: lætamini ergo pro Nephtali emisso; intuemini cerui huius velocitatem,

Gen. 49.

Psal. 67.

tem,& cursum, attendite pulchritudinis eloquia, quæ breui, vt potero, sermone perstringam.

Qui inter primos est à secretis Dei, Ecclesiam vniuersam, Principem eius communem fidelium cœtum pro tanto hoc die ad lætitiam conuocat, ad contemplandum hortatur, ad stuporem inuitat; quinimo id ipsum, quod actum est, mirabile secum afferre gaudium, omnibus insinuat, & recenset. Fluminis impetus, inquit ipse, lætificat ciuitatem Dei. Quid flumen à Deo procedens, nisi Spiritus Paracletus? Porro quid hæc Ciuitas præter Militantem Ecclesiam, cuius Princeps tu Pater Beatissime, cuius muri vos estis Cardinales amplissimi, cuius incolæ credentes omnes? Sãctificauit Altissimus hodie igniris desuper missis linguis tabernaculum suum, Apostolorum cœtũ in vno Spiritu congregatum, hunc hodie accingit ad fortia, perficit ad ardua, timore exuit, induit acrimonia; etenim Deus in medio eius non commouebitur, Spiritu huiuscemodi assistente; tãcito promissa implere curat, tantum Dei Filius premitur hoc negotio, ne suos relinquat in terra orphanos, vt decẽ tantum post ascensum in cælũ expectatis diebus, quod Spiritum mittat Paracletum, qui suæ assistat Ecclesiæ, Patrem rogat: parum enim habet, quod adiuuet, nisi & adiuuet eam Deus mane diluculo. Et quis non tantam admireretur pro nascenti Ecclesia prouidentiam, atque curam? tali induuntur hodie virtute ex alto, quod deponunt illico timorem Apostoli, noua prædicare mysteria non verentur, ignota pandere, à sensibus remota ostendere conantur intrepide, nec animum vllo pacto despondent, si nouitate mysteriorũ conturbatæ sunt gentes; Quinimo instant oportune, importune, arguunt, obsecrant, increpant, quandoquidem credetur eis, vincent in finem omnia. Inclinata sunt eis regna, deditq. vocem suam nascens, & adhuc è cunabulis lactens Ecclesia Synagogam expellens, se nouam Sponsam ornatam viro suo, se Esther dato Vasthi libello repudij manifestans, & mota est terra tanta negotij grauitate, tanta mysterij magnitudine, Attamen cur gaudium? cur lætitia? ad quid exultet Ecclesia? dicat ipse, qui cœpit Dauid; Quia Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob, in specie ignis. Attendite ergo, contemplamini singula, venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.

Psal. 45. *Daniel. 7.* *Ioan. 14.* *2. Tim. 4.* *Apoc. 21.* *Esther 1.*

terram, sonitum, impetum, ignem. Quid Domine, pro tanto munere tibi rependat Ecclesia cum possit nil vltra ab ea appeti, quod non à tuo Spiritu sit allatum? Etenim ne singulis insudem, vno omnia breui complectar verbo: dato hodie Spiritu dantur cum illo pariter omnia bona. Et hoc insuper argumento quantum debet pro hodierno munere Sponso, agnoscat Ecclesia: quod si hunc Spiritum Dominus non misisset, quæ egerat, quæ passus fuerat, quid ad salutem nobis fuissent vtilia? Quid enim sanguis, crux, passio, mors, resurrectio, ipse insuper in cælum ascensus subleuassent, si non in Deum homines credidissent, cum sine fide impossibile sit placere Deo? Porro qui credidissent sine prædicante? Quis autem tam admiranda, & à sensu remota mysteria prædicasset, nisi a Deo doctus interius? Quis vero instruxisset de his, quæ supra naturam sunt, nisi Spiritus Dei, qui solus nouit profunda eius? id quod completur hodie facto repente de cælo sono, tanquam aduenientis Spiritus vehementis. Sed cur Spiritu vehementi? cur in commotione, & clangore? cur datur in Spiritu forti? si Spiritus est suauis, atque benignus suauiter disponens omnia, cur non se potius tradit in auræ tenuis Spiritu, prout olim in deserto se Deus ostendit Eliæ? Vere nouum hodie facit; nunc vere in igne Dominus, quomodo videri noluit ab Elia; sed iure factum est ita, vt disparem Apostolorum, & Eliæ esse rationem hoc modo demonstraret; quam sortis diuersitatem ex temporis ratione diuersa facile agnosci posse pro comperto est mihi. Vidit Elias Dominum in deserto, in sibilo tenuis auræ vidit, quia ante passionem vidit: tunc enim vel grauia quæque parcè demonstrabat Deus. Quid etenim grauius Diuini Verbi Incarnatione? & in hoc ipso demonstrando negotio dulci, ac leni vtitur figura. Descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Ante mortem nondum gloriæ suæ diuitias effuderat Deus, nondum coagitauerat, nondum gratiarum mensuram coaceruerat, nondum supereffluentem dederat. Impetu vero post passionem, vehementi Spiritu se communicat, sonitu se patefacit. Quandoquidem Isaia testante: Consummatio abreuiata inundabit iustitiam. Hoc impetu ducti Apostoli, hac intus charitate vrgente, hoc Spiritu inflammati quid non audent? quid non peragunt? Durum non timent, difficile

Sap. 7.
Heb. 11.
Rom. 10.
1. Cor. 2.
Act. 2.
Sap. 7.
3. Reg. 16.
Psal. 71.
Rom. 9.
Isai. 10.
2. Cor. 5.

ficile non illos retardat, ardua agrediuntur alacriter, quis ardor? quæ vis? quæ Spiritus acrimonia non apparebat in eis? impauide præsentibus equuleis, præparatis tormentis, igne, rogo, pyra succensis loquebantur de testimonijs Dei
Psal. 118. in conspectu Regum, & non confundebantur, Reges ipsi, &
Psal. 63. Præsides, imo, Dauide sic testante, conturbati sunt omnes, qui videbant eos ferreo pectore prædicantes: timuit omnis homo, & ipsi annuntiauerunt opera Dei. Cæterum quis non admiretur mortalium, ne dicam Angelicorum etiam spirituum, quã disertè, & eruditè se gerat piscator Petrus, qui timuerat Petrus, qui fugerat Petrus, qui negauerat Petrus, nunc Spiritu Sancto repletus? Apologetice primo, di-
Act. 2. dactice secundo discurrit, non ebrii, inquit, sumus, sicut vos existimatis, cum sit hora diei tertia; non morbo correpti hæc loquimur, non allucinati mente, non fascinati sensibus; vinolentus qui est, ignorat subtilia, alta nõ penetrat, argumentari nescit, defendere non valet, quæ tàm facili negotio explicari videntur à nobis. Quæ verò in didactica dixerit Petrus, quis penetrare valebit? probat omnia Dei Filio non fortuitò euenisse, sed iamdiu à Prophetis fuisse pronunciata, ac ne Iesum casu occisum se tueantur, definito consilio interemptum clare demonstrat; & ne quemlibet communem fuisse virum pro eorum alleuiatione deducant, approbatum à Deo testatur eis, ac ne prædicta eos omnino latuisse audeant vllo modo asserere, virtutibus, signis, atque prodigiis per ipsum in medio eorum factis claruisse audientibus intimat in promptu. Indicitur eis silentium, ne loquantur in nomine eius, crimen velare putant; Christi sanguinem in plateis Ierusalem inique effusum operire forsitan credunt, sed tota aberrant via; clamat ipse de se, nec
Act. 4. valent Apostoli conceptum continere sermonem; non pos-
Act. 4. sumus inquiunt, quæ vidimus, & audiuimus non loqui. En
Iob 32. venter eorum, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit, & quis tacere valebit? Si minantur contra, quid minæ? An proscriptionem bonorum minentur his, qui reliquerant omnia, & sequuti erant Christum? An contra famam his, qui per infamiam, & bonam famam suos ducebant annos? An contra vitam ipsam his, quorum viuere Christus erat, & mori lucrum? Nec tormentorum varietate vllo modo tacebunt. Quod enim tormenti ge-

nus

nus aduersus istos? si ignem, Quid ignis contra ignitos? Quid fauilla contra carbones à Deo succensos? Quid enim terrenus, & corruptibilis ignis contra Diuinum, atque cælestem, nisi vinci ab eo? An laqueos his, qui per prius abnegauarant semetipsos? An denique crucem ipsam, quam vltro Christum sequentes baiulabunt? Dixi, quod resistere non valent in finem. Etenim in Spiritu vehementi conterebant Apostoli naues Tharsis, inimicos crucis Christi deterrebant, in faciem resistebant, plantauerunt Ecclesiam Dei, proficiebant magis in dies: liceat hoc dicto silere. Mirabar antea, Beatissime Pater, Eliam Regi Achab dicenti, tu conturbas Israel, in faciem respondisse, Nō ego turbaui, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Dei, & sequuti estis Baalim, sed experimento facto, Sacerdotibus occisis, minante Iezabele, Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis: timuit Elias, fugit in desertum, petiuit animæ suæ, vt moreretur, proiecit se sub iunipero: longe igitur maiore digni sunt admiratione Apostoli, qui terga vertere nolunt; crimina ob oculos ponunt, vera libere annunciant, in faciem resistunt ad sanguinem vsque. Magnum per prius ducebam, quod Regi Dauidi dicenti filium mortis esse, qui fecerat propositum malum, humilis Nathan, Tu es ille vir, dicere ausus esset. Attamen si mitissimo Regi hæc dixisse, si sub parabola, ac vmbra insinuasse, Christi vero Apostolos palam, omni parabola seclusa, omni figura remota manifeste opera Dei annunciasse iudicemus, hoc erit admirationi, non sic illud. Accedite ergo ad ignitas istas linguas desuper hodie emissas; quæ dicant, audite, non enim sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces; præstolamini promissum & vobis Spiritum, præparate corda, venite in occursum. Quid ni dabit & vobis? si Petro dedit, En potestate Petrum, verum Christi Vicarium, Supremum omnium moderatorem Beatissimū Patrem. Apostolis dedit alijs? En alij qui succedunt. Paratus est ipse dare. Vbi enim est Deus Eliæ? etiam nunc. Vbi Deus Apostolorum? etiam nunc. Requieuit spiritus Eliæ super Eliseum; dicebant filij Prophetarum. Requiescat Spiritus Apostolorum super sacrum istum consessum, precatur orbis terrarum, ipsum tenete, videte, ne contriste-

Luc. 9.
Psal. 47.
3. Reg. 18.
3. Reg. 12.
Psal. 18.
4. Reg. 2.

Ephes. 4. tristemini, quæ Dei tantum sunt quærite. Persequimini, anhelate, ei tandem ex toto viuite, qui viuit in sæcula.

ORATIO II.



ENERANDA huius diei solemnitas, quam Spiritus sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecrauit, vberrimam desideraret orationem, Pater sanctissime: continet enim & veterum, & recentiorum Sacramentorum magna mysteria, quibus manifestissime declaratur, & gratiam prænunciatam fuisse per legem, & legem impletam esse per gratiam. Verum quoniam nec huic augustissimo loco, assignati temporis breue curriculum, nec virium mearum imbecillitas id patitur, his omnibus prætermissis, quæ de Spiritu sancto copiosissime disputari possent, de temporali illius missione, deque ineffabili virtute, quàm breuissimum sermonem instituam. Quare quod ipse dicendo exornare non potero, audientium benignitate compensetur.

Humanæ redemptionis peracto insigni opere, post multos exantlatos labores, nascentis Ecclesiæ iactis fundamentis, diuinæ voluntatis exequutor, magnique consilij Angelus Christus Dominus, ad eam ascensurus sedem, in qua finis miserijs, & quies à molestijs promittebatur, discipulis suis, quos Ecclesiastici ædificii cooperarios elegerat, quosque ad intelligenda diuinæ sublimitatis arcana minus capaces, ad humanæ imbecillitatis toleranda incommoda, minus fortes nouerat, Spiritum sanctum Paraclitum, spiritum veritatis se missurum spoponderat, vt immensam illius vim, quasi erumpentem flammã corde concipientes, Euangelicam doctrinam, ad vltimos orbis terrarum fines audacter deportarent, tantique ædificii terminos longè, latèque protenderent. Cum ascendero, inquit, rogabo Patrem meum,

meum,qui mittet vobis alium Paraclitum,qui vobiscum sit in æternum spiritum veritatis. Quamobrem hodierno die, qui decimus tantum à promisso munere nobis illuxit, fluctuantibus Apostolis magno curarum æstu propter metum Iudæorum, totaque mente, atque animo in eum erectis, quem proximè mirante natura, stupentibus cunctis, quos ipse ex vmbra mortis ad vitam euexerat, plaudente vniuerso beatorum Spirituum choro, nube lucida, quasi regio vehiculo exceptum, in cælum ascendentem fuerant admirati, promissa implens, gloriæ suæ diuitias Deus effundit, vehementi spiritu se communicat, sonitu se patefacit, Spiritum sanctum mittit, qui repleuit totam domum, & in ea residentes Apostolos agitauit,ac commutauit, non leniter strinxit,sed potenti quodam flamine concussit, ac penetrauit, eorum ora diuersarum linguarum vbertate ditauit, mentem virtutibus instruxit, pectora animi magnitudine compleuit,vt omnium gentium linguis apud omnes audacter exponerent,quod taciti dudum,periculo territi, apud suos mussitabant. O sanctam agitationem, o felicem domum,cui non rectè gemmis,auroque superbas Augustorum aulas contuleris; verè terribilis locus erat ille & domus Dei, & porta cæli.

Et quis non tantam admiretur pro nascenti Ecclesia prouidentiam,atque curam? Quid enim tot vigiliæ in alienam vtilitatem susceptæ, tot noctes orando traductæ, tot continuata ieiunia,tot animi ægritudines, tot corporis lassitudines,tantus è defatigatis membris sudor emissus, quid genus mortis maximè cruentum, quid vastati inferi, quid subacta demum mors,ac triumphalis in cælum ascensus,ad salutem nobis profuissent,nisi Spiritum sanctum misisset Dominus? Quid subleuassent si non in Deum homines credidissent,cū sine fide impossibile sit placere Deo? Porrò quis credidisset sine prædicante? Quis verò tàm admiranda, & à sensu remota mysteria prædicasset,nisi à Deo instructus? Quis verò de his, quæ supra naturam sunt, humanumque excedunt fastigium instruxisset, nisi Spiritus Dei, qui solus nouit profunda eius? Cuius solius testimonio, & eorum, quos sua ipse virtute repleuerit, opera Christi confirmari poterant. Spiritus enim est,qui testimonium Spiritui perhibet: Non enim, inquit, vos estis qui loquimini; sed spi-

ritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Peccatori autem dixit: Quare testimonium meum accipis per os tuum? Hanc Dei domum, Spiritu sancti aduentu illustratam, eam ipsam Ecclesiam referre intelligendum est, cuius humani generis Saluator proprio sanguine fundamenta iecerat, de qua Petro dixerat: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, cuius tu tunc Princeps existis, Pater sanctissime, cuius columnæ vos estis Cardinales Amplissimi, cuius incolæ credentes omnes, cuius auctoritas quanta sit, vel ex hoc apparet, quod huic soli Spiritus sanctus mittitur, sola Spiritu sancto regitur, & in qua solus Spiritus sanctus gratia operatur, ex quo fit, vt si quid ea, vel faciendum, vel omittendum præscribat, Deo ipsi auctori acceptum referri debeat, de qua nihil vt prorsus dubitaremus, ita qui Ecclesiæ præest, fatus est. Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Vbi sanè illorum apparet execranda impietas, qui nihil admittendum putant, quod non sit expresse in diuinis litteris, vel iussum, vel vetitum, & generalium Conciliorum. Pontificumque decreta contemnunt, nec vident huiusmodi contemptum in Deũ ipsum redundare. Numquid Christus fallit Ecclesiam suam, cum qua se futurũ promisit omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, cui etiam Spiritum sanctum, Spiritum veritatis hodierno die mittit, vt cum ea sit in æternum? Nunquid Spiritus ille qui olim per Prophetas, qui & per sapientes sua mysteria huic mundo protulit in nouo testamento, ab Apostolorum temporibus, ad hæc vsque tempora obmutuit? Nunquid Ecclesiam suam cui propriè est promissus hactenus dereliquit, nequaquam, sed Prophetas, Doctores, Rectores, iuxta atque Apostolos, & Euangelistas Ecclesiæ semper præfecisse testatur Apostolus ipse. Facessant ergo, qui se ita de genuino scripturæ sensu ostentant, quasi Spiritus sanctus hactenus Endymionis somnum dormierit, facessant inquam; non enim Spiritum sanctum, Spiritum pacis, & concordiæ desertores filij mirum in modũ, inter se dissentientes, pugnantia docentes, à mystico Christi corpore separati, in varias opiniones deducti, quibus mirabiliter illudunt spiritus tenebrarum, & in horrenda eos errorum præcipitia abducunt habere possunt, qui tantum in illos venit, qui in hac Ecclesiæ Catholicæ domo vnani-

mes,

mes,& concordes viuunt,quorum vnus est sensus, eadem sententia,qui vno ore Deum laudant, & magnificant.

Hoc Spiritu inflammati Apostoli, hoc impetu ducti, hac intus vrgente charitate, ibant gaudentes à conspectu concilij,quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati : opportunè instabant,importunè arguebant,obsecrabant,increpabant,durum non timebant,difficile non illos remorabatur,ardua alacriter ; & intrepidè aggrediebantur,noua prędicare mysteria, ignota pandere non verebantur . Lucebat ante oculos succensa pyra , oculorum aciem intenti gladij præstringebant, instabat furens Tyrannus,tamē præsenti animo,timoris expertes, de testimonijs Dei loquebantur in conspectu Regum, & non confundebantur . Qui tunc animus,qui sensus hostium adstantium erat, qui videbant eos ferreo pectore prædicantes? timuit omnis homo annunciantibus ipsis opera Dei . Gaudet Petrus in verberibus , qui antea in verbis timebat, & qui prius vna mulierculæ voce compellatus timuit , Spiritu sancto repletus,collatas in suam perniciem Principum vires confregit, nam in dicto Apostolis à senioribus, & magistratibus silentio, ne in nomine Iesu loquantur,respondet Petrus, nec valent cæteri conceptum sermonem continere non possumus inquiunt , quæ vidimus , & audiuimus non loqui, non ebrij inquit sumus sicut vos existimatis,cum sit hora diei tertia, non morbo correpti hæc loquimur, non allucinati mente , non fascinati sensibus,vinolentus qui est,ignorat subtilia, alta non penetrat, argumentari nescit , defendere non valet , quæ tam facili negotio videntur à nobis explicari , etenim verbo Domini firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum .

In Spiritu vehementi conterebant naues Tharsis, inimicos crucis deterrebant,in faciem resistebant, nullo tormentorum genere tacebant . Quid enim tormenti genus aduersus illos,quorum viuere Christus erat , mori lucrum ? Quid ignis contra ignitos ? Quid fauilla contra carbones à Deo succensos ? Videte opera Domini,qui posuit prodigia super terram sonitum,impetum , ignem . Liceat hoc dicto silere , eorum complures , qui fama miraculorum Christi , Resurrectionis,& Ascensionis,ad sanctæ Ciuitatis festiuam celebritatem confluxerant,cum Galilæos viros, qui uix na-

tiuam sermonis facultatem callebant, nec tamen ea ipsa quam nouerant apertè Christum loqui audebant, omnium repente linguis loqui audierint, non vanas Philosophorum opiniones, quos illi quasi cum mutis piscibus, certamen esset facile superabant, sed sublimia, & admiranda, vtpotè quæ à Spiritu sancto dicenda suggerebantur, viderintque loquente Petro, tàm magnum, atque diuinum testimonium perhiberi de Christo, vt qui ab eis peremptus, inter mortuos deputabatur, resurrexisse iam, & viuere probaretur, tàm insigne miraculum admirati compuncti corde conuersi sunt, & quem sanguinem, tàm impie, atque immaniter fuderant, illius indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quem vendiderunt. Multi præterea ab ipsa tàm insignis miraculi admiratione, grauissimum se admisisse piaculum insontis Saluatoris tradendo sanguinē cognouerunt, & ad tria millia hoc ipso die baptizati sunt. Horum causa Spiritus sanctus visibili signo, & sonitu in credentes venit, qui alioqui tacito illapsu poterat, suorum pectora implere, & copiosissimis suis charismatis ea perfundere, & illustrare: verum ea res non tantam admirationem habuisset, nec tam illustre Christo rediuiuo, & in cælis regnanti testimonium attulisset. Quis hanc capiat diuinæ misericordiæ immensitatem, qui illos etiam ad sui cognitionem voluit adducere, qui Christi sanguinem fuderant? O verè ferreum hominum cor, quod tanta non valet ad sui amorem excitare benignitas. Agnoscat nunc Ecclesia quantum Deo pro hodierno munere debeat, lætetur, gaudeat, exultet, videatque quod illi rependat, cùm nihil potuerit ab ea optari, quod à spiritu Dei non sit allatum. Gaudeat inquam quia sanctificauit Altissimus hodie ignitis desuper missis linguis tabernaculum suum, Dominus virtutum nobiscum susceptor noster Deus Iacob.

Quod reliquum est, faxit Deus, vt adorandus ille Spiritus, cui cum Patre, & Filio par est potestas, quique repentino sonitu hodierno die, foris igneis linguis apparentibus, carnalium mentes in sui amorem permutauit, sui nos capaces efficiat, cordis duritiem omnē emolliat, diuini amoris ignem in nobis accendat, cælestibus donis corda impleat, atque adeo ad seruiendum Deo ardentes faciat.

ORA-

ORATIO III.



ANDEM aliquando Beatissime Pater, diuina pollicitatione promissus, ac diu exoptatus illuxit dies, quo, & humanæ reparationi suprema imponeretur manus, & nascentis Ecclesiæ non secus, ac primi parētis corpus ab ipso Deo formatum vitali, diuinoq. spiritu redundans sese attolleret cum maxima Synagogæ iam iam cadentis labe, atque fœdissimo immanissimi serpentis interitu. Adest igitur in præcipuis sacris venerāda celebritas sacrosanctis insignita mysterijs, siue donorum nunquam alias tam effusam vbertatem, siue eius quod datur admirabilem, incomprehensam, atque omni ex parte diuinam excellentiam, siue tempus quo datur cogitemus. Nam quod tempus magis aptum reperiri potuit, quam id quo confluentibus vndique terrarum populis celeberrima ceremoniarum pompa quinquagesimus post immolationem agni, summo rerū omnium parenti consecrabatur dies ob legem lapideis inscriptam tabulis ab ipso in monte Syna donatam: vt omnibus innotesceret initia veteris Testamenti Euangelicis ministrasse principijs, & gratiam denunciatam esse per legem, & legem impletam esse per gratiā. Neque potuit ad hoc munus obeundum aptior mitti persona. Erat mysticum hoc Ecclesiæ corpus suo capiti coniungendum, anima vna, cor vnum, vna omnium credentium efficienda voluntas. Cum autem nihil creatum sit vnum in diuersis corporibus, oportuit, vt hæc tam admirabilis vnitas, atque omnibus ex partibus absoluta consensio fieret ab amore increato, qui solus perfectam vim habet vniendi, & sicut anima diuersarum corporis partium, ita ipse omnium animorum est vita communis. Hæc ei proprietas, & Ezechielis vaticinio tributa est, Dabo inquit vobis spiritum, & viuetis, & vetustissima Ecclesiæ voce decantata, cum eum in symbolo fidei quoti-

dic viuificantem appellat. Quinimo, vt sacrosancta Tridentina synodus diuinitus ad veritatem instructa declarat, anima hoc vinculo cum Deo coniuncta magis viuit, quam corpus animæ coniunctione alitur, & sustinetur. Quatuor enim potissimum rebus excellens humani structura corporis continetur, vnitate, calore, motu, decore. Ea quippe est animæ vis, atque natura, vt ipsa sortita corporis dominatum, & in summo capite præcipuè collocata tanquam in cælo Deus membrorum hanc multiplicem varietatem in admirabilem seriem, & ordinem congerat; congestam autem; & colligatam distinctis veluti riuis, & vitalibus succis à pereni cordis fonte ductis irriget, irrigatam minimo nutu vbique præsens, vbique diffusa formet, regat moderetur, ac temperet, Ac denique quod iucundius ceteris omnibus visu est lineamentis exornat, condecoratq. pulcherrimis. Quod si in hac mortali, & caduca mole ex terrestri materia compacta propter insitum animum nescio quid elucet diuinitatis; qualem putamus animorum nostrorum esse venustatem, ex quorum vniuersitate, & connexione misticũ Ecclesiæ corpus, vitaque perficitur, cum habeamus veluti communem spiritum, quo vegetante viuimus, mouemur, ac sumus. Nihil ergo abiectum, & humile cogitandum, nihil fluxum, & caducum, ac penitus humanum nihil? Excitandi, & extollendi sunt animi, vt aliquid magnificentius de tàm amplo Dei opificio sentiamus. Age iam quam breuissimo orationis cursu videamus, qua ratione admirabilis nexus vbique terrarum sparsa membra coniunxerit, & in hanc redegerit fœlicissimam, & inseparabilem consentionẽ. Aperuit hoc nobis diuinorum consiliorum interpres Paulus, cum indissolubilem nodum ex cohærentia Christi, ex habitatione vnius, & eiusdem spiritus, ac denique ex nostri cordis charitate, hoc est ex amplissimo ipsius diuini spiritus munere procedentem sępè demonstrat. Rogauerat summus ille humani generis reparator patrem suum antequam hortum ingressus persequentibus se tanquam victimam immolandam traderet, vt eos, quos sibi custodiendos commiserat iam custoditos protegeret, & quoad fieri posset ad similitudinem illius incomprehensibilis diuinæq. naturæ vnum, & idem efficeret (Pater sancte inquit serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut, & nos,

& pau-

& paulo post non pro eis rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint; (quid autem toties ingeminatæ preces agebant, quid postulabant nisi, vt Ecclesiæ corpus formaretur atque eo contineretur nexu, qui est summi parentis, filijque coniunctio? Annuit parens filij votis. Diuiserat enim sibi hoc opus misericordiæ Trinitatis, vt Pater propiciaretur, Filius propiciaret, Spiritus sanctus igniret; Christum ergo dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, vt nos omnes vnum essemus in Christo, & ipse indiuisus nobiscum esset vsque ad consummationem sæculi. Verum quia oportebat, vt qui tanti capitis membra futuri essent eius intelligerent dignitatem exoptarent copulationem obsequerentur imperio: Ecce continuus ignis ab eo procedens, veluti riuus diffusus à fonte manat, qui lumen mentibus affert, desiderium excitat, vires infundit, illustrat, vt videamus, prouocat, vt velimus, roborat, vt bona, quæ volumus sine formidine præstare possimus. Hoc hodie Apostolorum princeps eiusdem sancti Spiritus vna cum socijs repletus afflatu, & ardore inflammatus non solum verbis ostendit, sed etiam comprobauit exemplo. Postquam enim multa de Christo nunquam alias viso animi robore, & audita sapientia disseruit ad extremum orationis inquit: Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Sancti Spiritus accepta à Patre effudit hunc quem vos videtis, & auditis: Non enim ipsi loquebantur Apostoli, sed Spiritus Dei per ipsos non ipsorum erant tam admirabiles res gestæ, quorum membra iam erant ipsius sancti Spiritus domicilium, ac sedes; non denique musto erant pleni, sed diuino poculo ebrij, qui ante oculos posita contemnebant, & ad ea, quæ sunt ab hac rerum vniuersitate semota, & abscondita incredibili mentis ardore rapiebantur. Quo enim pacto potuissent ante conspectum infinitæ propemodum multitudinis ex omnium gentium colluuione mistæ eius prædicare gloriam, quem paulo ante à Iudæis captum præ timore comitari ausi non fuerant? En Petrus Synagogæ totius frementis aspernatur sæuitiam, qui in Caiphæ domo timuerat sacerdotis ancillam. Non alius profecto est tam excelsi operis auctor quam diuina sapientia, quæ vbi magistra est quam citissimè

discitur quod ipsa nos docet, & nunquam ociosus esse potest sermo docentis. His igitur iactis fidei fundamentis, ne membrorum hæc inutilis esset conglutinatio, corpusq. viribus distinctum veluti mortuum iaceret, spe hæreditatis nostrę confirmata, datum est amplissimum donum charitatis, quæ diffusa in cordibus nostris vicē sanguinis sustinens, & ipsius sancti Spiritus iucundissimum esset pabulum, & quaslibet corporis partes ad bona peragenda roboraret. Sicut enim feruido sanguinis humore deficiente anima recedit à corpore, oleo consumpto lumen extinguitur, excisa radice arbor arescit: ita deferuefacto in cordibus nostris ardore charitatis viuificator ille Spiritus suo carēs alimētō discedit. Ipse vitalis dicitur succus, oleum preciosissimum, inuisibilis vnctio. Ex ipsa omnis virtutum germen emittitur, omnis cœlestium donorum copia tanquam rami arboris ex vna radice procedit, omnis prodit nostrorum affectuum lachrymarumq. fœcunditas. Per ipsam denique militans Ecclesiæ corpus triumphat in cladibus, persecutionibus augetur, sanguine martyrum semper irrigatur, tristitia magis erigitur, dilatatur angustijs, fletibus pascitur, ieiunijs reficitur, & inde potius crescit vnde deficit mundus. Neque hic immensa illa, diuinaq. largitas terminata est. Quanquam enim ea, quæ hactenus dicendo percurrimus satis esse videantur ad salutem animarum, huiusq. corporis firmitatem; maximè tamen ad eius incrementum, & dignitatem intersunt innumerabilia illa honestamenta decoris, quæ si desint, nulla potest esse plenitudo charitatis: Cum eius propria natura sit non sibi solum frugiferam esse, sed, & alijs fructuosam. Ex hoc fonte manant splendidissimus omnium humanarum vocum concentus, potentissima virtus miraculorum, prudentissima rerum prędictio futurarū, quibus ita exornata fulget Ecclesia, vt nihil ad extorquendos hominum animos admirabilius nihil ad eorum allicien das voluntates iucundius, nihil ad latentis tanquam in speculo diuini splendoris demonstrandam vim possit esse pręstantius. De hac inquam vbertate munerum, aliorumque munificentia donorum vberius, etiam esset agendum: verum quia magnopere, vereor ne latius prouehar quā huiusmodi patiatur humanitas, orationis meæ vela contraham. Gaudeat igitur vniuersa terra, quia hodie facta est cælum;

quisque

quiſque huius gratulationis eſt particeps, quia iam ſpiritus Dei iuxta eius promiſſionem ſuper omnem carnem effunditur. Lætetur omnium fidelium cœtus, quia iam habet è cælo pignus hæreditatis ſuæ, atque illum militiæ ducem, cuius ope, & conſilio facillimum ſit de immaniſſimis hoſtibus triumphare. Exultet Roma, quæ prius erat carnificina ciuium, bellicoſorum hominum receptaculum: prę da Tyrannorum, ſilua denique frementium beſtiarum; nunc effecta eſt placidiſsimæ quietis conſeruatrix, ſapientum virorum alumna, bonorum omnium commune perfugium.

ORATIO IIII.



GLORIOSISSIMVS Chriſti Domini in cęlum aſcenſus, Pater Beatiſsime, cuius feſtum diem quadrageſima poſt Reſurrectionem luce ſolemni ritu, ac cærimonia celebrauimus; non paruam Chriſtianæ Reipublicæ doloris, & luctus materiam ſuppeditauit: nec enim aliqua ratione acerbus eſſe nō poteſt ille dies, qui nos Chriſti moderatoris aſpectu viſibili, iucundiſsimaque præſentia eius, qui animos conſolatur in omni tribulatione, ſpoliauit. Verum hodierna celebritas, qua impleti ſunt dies Pētecoſtes, ac Domini Spiritus, qui Paracletus dicitur, immenſa ſuæ largitatis abundantia repleuit orbem terrarum vniuerſum, omnes non modo ſollicitudinis, ac mœroris aculeos penitus exemit; ſed nos, qui vetus fermentum iam expurgauimus, in ſummo lætitiæ gradu conſtitutos eodem principali Spiritu, qui, cum ſit conſolator optimus, dat perenne gaudium, honorificentiſsime confirmauit. Quare ne ex admirabili noſtri Liberatoris aſcenſu ad æterni Patris dexteram, qui abundantiſſimus fons eſt omnis dulcedinis, vnde fluminis impetus emanat, qui Dei ciuitatem lætificat, quæ noſter animus eſt,


2.Cor.5. *Act.2.* *Sap.1.* *Ambroſ. in hym.* *1.Cor.5.* *Pſal.50.*

innocentiæ clamydem indutus, amaritudinis liquores hauriamus; omnino memoria teneamus necesse est, Christum,
Psal.67. nisi ascendisset in altum, pretiosissima Spiritus sancti dona, nequaquam hominibus tributurum fuisse. O cælestis Hierusalem beatissimi ciues! pace vestra loquar, qui estis Angeli pacis, vobis præferuntur mortales hodierna die, & mira quadam ratione præferuntur. Etenim idcirco ascendit Christus, & in altum ascendit, vt diuitiarum suarum dona affluentissime largiatur: quibus autem tam diuina dona
Psal.103. na largitur? Largitur vniuerso terrarum orbi, cuius facies emisso Spiritu renouata est: sanctis viris largitur, qui pro-
Psal.33. pter singularium virtutum eminentiam cælorum appellatione nuncupantur, quorum virtus omnis Spiritu oris eius est confirmata: cęteris denique largitur hominibus, qui so-
Ioan.7. li inuitantur eodem clamante Domino his verbis: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, quæ ab illo discipulo, qui præter ceteros dilectus fuit, quique supra Magistri pectus recubuit in vltima cœna, vnde abstrusissima salutis nostræ mysteria degustauit, nobisq. imposterum patefecit, intellecta sunt de Spiritu, quem accepturi erant credentes: largitur inquam hominibus, quorum ab eiusdem sancti Spiritus interprete, ac teste fideli facta est tantummodo mentio, cum
Psal.67. apertissimè pronunciauit, Christum in altum ascendentem sua dona prolixe in homines effudisse. Nimirum non ma-
Ioan.3. nens nobiscum largitus est, sed ascendens in altum, vt non ad mensuram, sed largius & vtraque, vt aiunt, manu effun-
Ioel.2. deret super omnem carnem sacratissimum septenarium. Porro virtutes omnes ex eo tempore insinuauit nobis Sal-
Act.1. uator noster miro exemplo, singulari doctrina, quo cœpit facere, ac docere vsque in diem suæ reuersionis in cælum;
Isai.9. Isai.2. sed, nisi effudisset Spiritum de excelso, Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritū scientiæ, & fortitudinis, infirmæ omnino, ac nullius fere roboris resedissent in nobis, adeo quidem, vt lucis eius tantummodo radijs illustrati arma sumamus audacter contra teterrimum Principem tenebra-
Ioan.13. rum. Docuit quidem cęlestis ille Magister eos discipulos, quos in finem vsque dilexit, pręter cęteras egregię fortitudinis virtutem; neque id verbo solum, vt diximus, verum etiam innumerabilibus vitæ totius documentis: & tamen
Matth.26. percusso pastore dissipatæ sunt oues, quæ instar leonum vali-

validiſſimorum ingentem fortitudinis ardorem præſeferebant, atque ita præſeferebant, vt morī etiam, ſi neceſſitas incubuiſſet, non recuſarent: & tamen amiſſo duce ne prodire quidem propter metum Iudæorum audebant. Poſtquam vero repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, ibant gaudentes à conſpectu concilij, atque inter ipſas minas, inter medios tortores, in ipſis cruciatibus, in ipſa morte fortiter loquebantur magnalia Dei. Nec mirum Spiritus ille fortitudinis, qui deſcenderat ſuper eos linguis igneis, timoris vniuerſum, ac formidinis torporem profligauerat, atque depulerat. Vidimus, quemadmodum ſanctiſſimi Proceres afflati ſunt igne ſpiritali de excelſo, reliquum nunc eſt, vt videamus, quomodo eum recipere, ac receptum in nobis conſeruare poſſimus, quo explicato finis dicendi faciendus eſt: etenim per dilectionem Dei, & præceptorum eius induere debemus nouum hominem, vt per expurgationem praui operis Deo Optimo Maximo, qui & Spiritus eſt, mentis noſtræ domicilium præparemus, vt ipſe libentiſſime veniat, & in cordibus noſtris perpetuam faciat manſionem, inde nullo vnquam tempore receſſurus; dummodo nos illud nullis peccatorum ſordibus commaculemus. O viuificans ignis, o largitor clementiſſime munerum, o iucundiſſime hoſpes animorum, ingere te tãdem pectoribus noſtris, vt mens noſtra te ſolum concipiat, os, & lingua loquatur, ſenſus expetat, corpus totum exæſtuet igne flagrantiſſimo charitatis tuæ, vt inde digni amoris fructus in noſtram, aliorumq. confirmationem pertinere poſsint. Tu verò, qui in altum aſcendens captiuam duxiſti captiuitatem, ſolue obſecro, ſi qua eſt, captiuitatem noſtrã, vt dignius quantum fert humana fragilitas, ſeptiformia tui Spiritus dona in viſceribus noſtris innouentur, vt bono Spiritu corroborati in viam rectam ambulemus mandatorum tuorum. Te inquam obſecro, ne illum vllo vnquam tempore auferas à nobis, ne eo deſtituti in Spiritu vehementi, indignationis tuæ, qui ardoris eſt, & iudicij conteramur, ſed per Spiritum adoptionis filiorum Dei ad ęternam illam immortalium bonorum poſſeſsionem capeſſendam admittamur.

Matth. 26. *Act. 2.* *Greg. in hy.* *Greg. hom. 10.* *Ephes. 4.* *Ioan. 4.* *2. Cor. 3.* *Ioan. 14.* *2. Cor. 3.* *Amb. in hy.* *Psal. 67.* *Amb. in hy.* *Psal. 50.* *Psal. 143.* *Psal. 50.* *Psal. 47.* *Ephes. 1.*

ORATIO V.



OSTQVAM Salomon Rex ſapientiſsimus, Pater Beatiſsime, templũ illud ſumptuoſum, ac magnificentiſſimum tam inſigni ſtructurę arte & perfectione fabricatum tot gemmis, atque margaritis clariſsimis, aureis poculis preciosis vaſis, & ornamentis locupletatum, illuſtratũque cõſtruxerat, quo pulchrius, ſeu præſtantius aliud excogitari non poterat. Quippe qui omne ſuæ ſapientiæ ſtudium regniq; potentiam in inſigni illius ædificii fabrica collocauerat, vtrumque enim cum maximum eſſet quorum alterum altero magis Reginam Saba in admirationem traduxerit, nõ facile diſcerni poteſt. Cum itaque hæc diuina domus pro regio debito, & humana parte perfecta, præſentia ſolum maieſtatis Dei diuinitus expectaret abſolui ſacerdotibus, & leuitis byſsinis veſtibus, & ornamentis indutis, cum dulciſsimo muſicorum cantu, vocum ac fidium concentu, cum reliqua populi multitudine coram Rege, ad fundendas ad Deum preces & vota, ſimul omnibus congregatis, ecce repente impleta eſt Domus Dei nube; ita vt ſacerdotes ſtare, & miniſtrare non poſſent, impleuerat enim gloria Domini domum Dei: tunc omnis populus, & turba ſilens, & tacens ſtetit intenta, ac ſapientiſsimus Rex animum ad præteritorum memoriam reuocans, illumq. apparendi modum gratiſsimum Domino frequentiſsimumq. extitiſſe, ac propterea ſub nube, & caligine ſe ſuper oraculum oſtenſurum promiſiſse, reminiſcens plenus gaudio hilari vultu, ingentiq. perfuſus lætitia cum populum à ſe benedictum: tum etiam ſacras ædes, diuino cooperto numini copioſiſsima oratione protegendum obtulit, atque illius diei ſolemnitatem hymnis orationibus canticis innumeriſque muſicæ inſtrumentis, ac victimarum gircibus per ſeptem continuos

dies singulis quoque annis cum magna lætitia celebrādam instituit. Non aliter profecto verus ille Salomon, immo plusquam Salomon ille filius Dauid, filius Abraham postquā viuæ construendę Ecclesiæ sacram inuiolabilis petræ firmitatem æternum iecerat fundamentum, super quod Ecclesiastici ędificij altitudo consurgeret, postquam discipulos suos in præstātissimas columnas erexerat, quibus diuina domus suffulta immobilis vndique permaneret: postquam amborū parietum, quos forsan duo illa sanctissimæ crucis ligna repræsentabant, se angularem lapidem, quem reprobauerunt ædificantes tāquam totius ædificij clauem expansis hinc inde manibus in caput anguli constituerat: postquam pretiosissima sacramēta velut vasa gratiæ aurea, tam ad Agni immaculati hostiam, quam ad peccatorum expiationem necessaria excellentiæ suæ auctoritate condiderat, postquam Pontificem summum creauerat, sacerdotesque instituerat; postquam sacrosanctum Dei tabernaculum, in quo non legis tabulæ, sed ipse legislator omnipotens continebatur, corpus suum, & sanguinem mirabiliter ibi collocauerat, ac tandem mundans eā lauacro aquæ in verbo vitæ gloriosam sibi Ecclesiam non habentem rugam, neque maculā gloriosis meritis, ac cruore sanctissimo illustrauerat. Cum essent Apostoli pariter in eodem loco, ecce repente de cęlo sonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

O ineffabilem sancti Spiritus aduentum, o fidelium immensam felicitatem! O mirabilem legis Euangelicæ excellentiam, ac præstantiam! tunc siquidem tanquam in lege timoris iustitiæ, & vindictę in præuento quodam aduentu nullo prius cognito initio, aut signo sub tenebrosa caligine latens, & occultus apparuit. Nunc autem in lege amoris, charitatis, & gratiæ, quia non accepimus Spiritum seruitutis iterum in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater, in clarissima gratissimaq. luce venientem iucundissimus præuenit sonus, tunc quantum noctu deambulantibus nocturno habitu, & vestitu incedendum est; quia lex illa nox, vmbra, āc figura futurorum erat,


nube,& caligine, quasi nocturnis vestibus venit fulgenti, & lucida voluit apparere. Tunc quasi in sterili, atque infœcunda hieme, quando glacie,& frigore omnia rigent, omniaq. marcescūt,quando nebula,ac nubibus radijs solis frequentissime oppositis, vt omnia illius legis sacramenta egena esse vacua,& infirma elementa aperte ostenderet, sub nube,& caligine venit. Nunc, aut tanquam in fertilissimo vere quando iam hiems transijt,imber abijt,& recessit,floresque apparuerunt in terra nostra, ac vinea protulit grossos suos. Nunc (inquam) quoniam omnia sacramenta vberrimos gratię fructus in se continent,ac digne accedentibus copiosissime conferunt, quasi in lucidissimis,ac fœcundissimis solis radijs,omnia claritate illustrantibus,suaq. suauitate complentibus in linguis igneis cælestia super discipulos diffundens munera visus est.

Tunc tandem tanquam in lege obscura,in qua olim Deus patribus in Prophetis,in somnijs per figuras, seu in visione per parabolas velut in enigmatibus loquebatur, quasi consulto vellet, vt latenter, & tacite sub verborum obscuritate compressa mysteria seruarentur,vt videntes non viderent, & intelligentes non intelligerent,latenter, & tacite descendente Domino,omnis etiam populus, & turba silens, & tacens stetit intenta. Nunc autem quando loquutus est nobis in Filio,in lege clara, expressa,ac toto orbe notissima reuelanda paruulis, & à pauperibus publicanda, in linguis igneis descendente Domino omnis sacra discipulorum turma loquebatur varijs linguis. Verum enimuero legem illā soli populo Hebræo latam sola materna lingua doceri opus erat. Hæc autem, quia per vniuersum mundum omni creaturæ ab vnius gentis,& nationis magistris prædicanda venerat, eos omni scientia, omnique linguarum facultate imbui postulabat: & si gentibus, quæ superbia elatæ turrim contra Deum ædificare conatæ sunt, vna materna lingua confusa est,his qui profunda humilitate fundati vniuersalem gentium, atque exterarum nationum Ecclesiam ædificare volunt, omnia genera linguarum diuinitus elargiantur: & si illis ad idolatriam declinantibus diuersitas linguarum instrumento fuit, eisdem ad vnius Dei cultum reuocandis earundem linguarum donum subsidium fore necesse est.

Si er-

Si ergo, Pater Beatiſſime, ex illo typico Domini aduentu tanta populi lætitia oborta eſt, tantum gaudium, tantaque alacritas redũdauit, vt prę animi gratitudine nulli muſicorum inſtrumento pepercerint, nullumq. exultationis ſignum reliquerint, ita vt boum viginti duo millia; arietum autem centum viginti millia ad ſacrificium, & victimas vix ſuppeterent: nos in hoc pręſtantiſsimo, ac facillimo ſancti Spiritus aduentu, quo Eccleſiam ſanctam tot, tantiſq. cumulauit muneribus, quo gaudio, qua lętitia, quave animi gratitudine exultabimus? Pręterea etiam ſi hæc eſt ſacroſanctæ matris Eccleſiæ laudabilis inſtitutio, hoc verę pietatis obſequium glorioſa Sanctorum merita perpetuis pręconijs, & laudibus in eorum natalitijs extollere, toto corde gaudere, atque honorifice celebrare, quanto magis hodiernę feſtiuitatis myſterijs fortius mens noſtra ad hãc deuotionem illecta, & inflammata rapiatur neceſſe eſt? quibus ſancti Spiritus, diuinę bonitatis, & miſericordię opera proteſtantur; à quo Sancti omnes tanquam ex perenni bonorũ omnium fonte virtutes hauſerunt, & merita. Vnde enim conſtantiam Martyres? vnde Virgines continentiam? vnde Confeſſores perſeuerantiam? niſi ab hoc diuini Spiritus gratuito quodam dono, & munere receperunt? nam ſi diuiſiones gratiarum ſunt, idem autẽ Spiritus, diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: diuiſiones operationũ ſunt, idem vero Deus, qui operantur omnia in omnibus, idẽ (inquam) Spiritus quem propterea, & Dominum, & verum Deum Apoſtoli teſtimonio confitemur, quem licet à Patre, & Filio perſona diſtinguit: immenſa tamen bonitas, & eſſentia nullatenus ſeparat, quia ij tres vnum ſunt, ipſe dator munerum, beneficiorum largitor, donorumque eſt optimus diſtributor. Quapropter de Sanctorum triumphis monumentis, & gloria ſimul & lętari, & huic diuino largitori gratulari debemus. Ergo ſi perſpicuum eſt in collatis beneficijs quãta ſit laus cum in acceptis tanta ſit gloria, dum ſanctos viros, quos iam ſuper omnes cęlos accepta virtutum beneficia extulerunt, nos iterum illos, vſque noſtris laudibus efferre nitimur: ſanctificantem ipſos Spiritum, qui eis, & meritorum munera, & præmiorum gloriam in beatitudinis felicitate donauit quo digno laudum genere celebrabimus? (ſi dum illorum feſtos dies anniuerſarios agimus, qua animi ala-

mi alacritate possumus velut eorum gaudemus gaudium, quamuis tunc temporalem vitam cum ęterna vereq. beata commutantes gratissimo nos suo consortio, ac societate priuarint in Spiritus Paracliti egregio, magnoq. Paschate, cuius suauissimus, optatissimusq. aduentus, maxima & preciosa nobis promissa donauit; per hęc nos efficiens diuinę consortes naturę: qua lętitia perfrui, quibus gaudijs, seu grati animi monumentis exultare oportebit? Omnis quippe humana facultas, Illustrissimi Principes, ac tantam habendam gratiam quanta debetur inops est, nedum referendam: erumpant ergo, erumpant prę lętitia lachrymę, erumpant simul, & vota, quibus ab eodem diuino Spiritu condignum gaudium, debitamq. gratiarum actionem imploremus: etenim si, vt vera Dei templa simus, quod Spiritus habitet in nobis sat est: vt idem ipse Spiritus fons gaudij, ac plenum lętitię Dei donum cordibus nostris per charitatem infusus, magna nos sui specialis aduentus alacritate perfundat, pro tot musicorum generibus, & instrumētis vnum decem chordarum psalterium, diuinis auribus iucundius pulsemus, quoniam delectatur, & gaudet DOMINUS in illo decalogi decem fidium instrumento consona chordis concordia resonante, melior enim, & suauior actionum quam vocum concentus, etiam ac bonorum operum dulcior, quā sonorum armonia, ac pro tot millibus boum, atque arietum victimis: vnum sacrificium laudis melius, alterum cordis contriti, & humiliati pręstantius; reliquum vero Agni immaculati omnium præstantissimum offeramus, beneficientiæ, & communionis memores; talibus enim hostijs DEUS propitiatur.





IN FESTO SANCTISSIMAE TRINITATIS.



ORATIO PRIMA.



VM verus Dei, atque hominis filius, Beatiſſime Pater, Hebræorum regiones doctrinæ ſuæ ſplendoribus illuſtraſſet, & hominum tabefactæ naturæ ſalutarem vigorem ſuæ virtute paſſionis intuliſſet, ac peracto Reſurrectionis triumpho, ſupremæ poteſtatis accepiſſet amplitudinem, diſcipulos ſuos, in quibus omnes Euangelij miniſtros inſtruebat, in lucem pariter & ſalutem populis deſtinauit vniuerſis, dicens: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quo nouiſſimi ſermonis eloquio rediturus in cælum Dominus Eccleſiæ ſuæ poſteritati veluti pater futuri ſæculi proſpexit, dum ſempiternæ Trinitatis aperuit ineffabile myſterium, ſimulque potentiſſimum regenerationis inſtituit Sacramentum. Vt ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, promiſſionis filij vocarentur, quos non externa ſolum corporis ablutio, ſed interna etiam mentis illuſtratio renouaret, & amiſſæ reſtitueret dignitati. Nam ſicut baptizato in Iordane Domino eadem ſe Trinitas apertis declarauit indicijs, cum ſuper ipſius incarnati Verbi per-

Matth.28. *Iſai. 9.* *Luc.3.*

bi per-

bi personam Spiritus sanctus in columbæ specie descendit, & mansit, audita de cælo Patris voce, dicentis: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: non secus in renouationis lauacro, salua cooperatione inseparabilis Deitatis, se Pater, se Filius, se propriè Spiritus sanctus ostendit. Filius enim originem, quam sumpsit ex vtero Virginis, ponit in fonte baptismatis; & Spiritus Altissimi virtus, & obumbratio, quæ fecit vt Virgo gigneret Saluatorem, eadem facit, vt regeneret vnda credentem: quem Pater æternus in primogeniti sui temporali natiuitate congenitum, adoptat in Filium. Vnde quamuis nulla mens ad cogitandum de Deo, nulla ad loquendum lingua sufficiat: diuinis tamen sermonibus eruditi fideles, illam de incomprehensibili summæ naturæ sacramento fidem mentibus amplectimur illuminatis, & ardenti prædicamus affectu, quam nobis Pater cælestis reuelauit, quam stabiliuit Vnigenitus, quam Spiritus sanctus infudit. Scimus enim, & toto corde confitemur vnam Patris, & Filij, & Spiritus sancti Deitatem, & consubstantialem sempiternæ Trinitatis essentiam in nullo à se diuisam, in nullo esse diuersam, nullo exordio temporalem, nulla varietate mutabilem. Quia tota simul Trinitas vna virtus est, vna maiestas, vna substantia: par in omnipotentia, æqualis in gloria, concors in voluntate: indiscreta opera, inseparabilis dilectione: simul implens omnia, simul continens vniuersa. In qua ideo Scriptura sacra singulis aliquid personis per proprietatem vocis, aut operis assignat, vt nobis eiusdem Trinitatis insinuet veritatem, non tamen vt diuidat intellectus, quos distinguit auditus. Nam cum vera vnitas, ac vera Trinitas possit quidem aliquatenus mente sentiri, sed non possit simul ore proferri: numquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur. Quare cum Dominus ante passionis suæ diem Discipulis suis Spiritus sancti polliceretur aduentum: Hæc, inquit, locutus sum vobis apud vos manens, Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Et iterum: Verba, quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, Pater autem in me manens ipse facit opera. Quæ igitur illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus: & cum alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis; simul

Ioan. 14.

Ibidem.

nobis

nobis & vnitas manifestatur, & Trinitas. Vt essentia non recipiens solitudinem sic in tribus intelligatur esse personis, vt omnibus æqualitatis & existentiæ gradibus exclusis, nulla iib persona sit maior, nulla minor; nulla sit anterior, nulla posterior. Non enim est pietas Vnigenito præferre Genitorem, nec omnipotens Pater, nec incommutabilis æstimatur, si aut minorem se genuit, aut quem non habuit, habendo profecit. Quapropter dicente Domino: Qui videt me, videt & Patrem, tanta excæcauit hæreticos dementia, vt qui Filij maiestatem non viderunt, Patris gloriam non viderent. Cum idem Dominus per potentiam verbi se profiteatur æqualem, qui propter carnis veritatem se Patre dicit esse minorem: & vna Catholica Fides vtrumque suscipiat, vtrumque defendat, quæ secundum confessionem beati Apostoli Petri vnum Christum Dei viuentis Filium & hominem credit, & Verbum. Quibus diuinæ Sapientiæ documentis ita noster acquiescit assensus, vt quantumcumque de incomprehensibili Patris, & Filij substantia radio supernæ lucis attingit, hoc ipsum de Spiritu sancto simul & indiscretè concipiat, & quidquid Deo dignum reperit, nulli hoc audeat negare personæ. Cuiusuis enim nefandæ opinionis dogma blasphemum disciplina cælestis execratur, & damnat, quæ sic Trinitatis adserit vnitatem, vt Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum sine confusione indiuisos, sine tempore sempiteruos, sine differentia credat æquales. Christianæ siquidem Fidei fortitudo, quæ portas mortis super hanc inexpugnabilem petram ædificata non metuit, impugnatores mysteriorum Dei sub imperio diaboli militantes dextera Domini pugnante confringit, & errorum tenebras coruscante lumine veritatis expellit. Quia vero, vt Apostoli verbis vtar, Neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed Fides, quæ per dilectionem operatur, quotquot per aquam, & Spiritum sanctum renati sumus, solerti studio vigilemus, vt cui intelligentiæ concessione subijcimur, eidem pietatis imitatione iungamur. Quippe cum Dominus Apostolis suis regenerandi filios hominum, & in filios Dei adoptandi tradidit potestatem, vitæ quoque rationem præscribens, ait: Docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis. Et ne quisquam se per occasionem infirmitatis excuset, cum sine quo facere nihil possumus, omnia per ipsum valeamus imple-

Ioan. 14. *Ioan. 10.* *Ioan. 14.* *Ioan. 16.* *Ibidem.* *ad Gal. 5.* *Matt. 28.* *Ioan. 15.* *Philip. 4.*

implere, ſpondet nobis Dominus præſentiam ſuam, dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi. Sic etenim qui per Iſaiam vocatur Emmanuel, ideſt, nobiſcum Deus, ſui nominis proprietati reſpondet: atque adeò qui aſcendit in cælos, non deſerit adoptatos: qui ſedet ad dexteram Patris, totius habitator eſt corporis: quia ineffabili modo cæpit eſſe diuinitate præſentior, qui factus eſt humanitate longinquior. Immo etiam in vtriuſque veritate naturæ voluit nobiſcum permanere idem Verbum caro factum, ſiquidem in illa myſtica perennis menſa conuiuij ſic impartitur, & ſumitur, vt accipientes virturem cæleſtis alimoniæ in carnem ipſius, qui caro noſtra eſt, tranſeamus, dicente Domino: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Cum ergo tanta ſit miſericordia Dei, vt nos ſub veteris quondam ignorantiæ profunda nocte pereuntes in Patriarcharum ſocietatem, & ſortem electi generis adoptarit, ſic nobis potiſſimi reuelatione myſterij fides illuminet intellectum, vt etiam diuinorum cuſtodia mandatorum accendat charitas voluntatem, ſpes quoque cæleſtis auxilij promiſsione, memoriam ad æternæ gaudia felicitatis attollat.

Matt. 28. *Iſai. 7.* *Ioan. 6.*



ORA-

ORATIO II.



TATA solemnique cærimonia veteri, communique religione mysterium celebramus B. Pater, ita sublime, reconditum, diuinum, vt præ illius excellentia cætera Christianæ veritatis arcana, quæ quidem & præstantissima sunt & augustissima, vel arcana dicenda minimè sint, vel hoc vnum, à quo suam illa amplitudinem petunt, ac diuinitatem mysterium mysteriorum appellandum esse non inficiemur. Argumentum non lingua, verbis, sententijs, sed silentio, admiratione, stupore quodam sacro recolendum: nusquam commodius pertractandum, quam præsente te, qui Dei internuncius, diuinorum interpres, religionis arbiter, & serenitate frontis, quasi secundæ cuiusdam auræ flatu soluentem impelles, & oculorum obtutu, quasi tuo felici sidere diriges in tam incogniti, immensi, ac prorsus interminati maris tractibus euagantem. In apertum siquidem ruit interitum, qui sine tuo ductu, & auspicijs hic intelligentiæ vela pandat, ea quæ tradita rationis humanæ ventis nimis intendat. Cursus enim dirigitur in penetralia diuinitatis ipsius, in ipsius Dei cubilia, qui lucem habitat, sed lucem inaccessibilem, ita fulgentem, atque coruscantem, ita nostris oculis imparem, vt videatur obscura. Non secus, atque humana acies si intendatur in solem nimio splendore hebetatur, minus videt, male videt, versari videtur in tenebris. Ex quo æquè verè qui lucem habitat inaccessibilem, tenebras posuisse dicitur latibulum suum. Quare nisi vel in tanta obscuritate dux adsit, vel nisi in tanto lumine Ecclesiæ dextra, vmbra Fidei obtendatur nostris oculis, obtutum defigere nullam in partem possumus, aberramus, perimus. Testatur hoc Gnosticorum & Manichæorum error, qui duos in Deos, alterum boni, alterum mali auctorem impegerunt. Confirmat Vadianorum exemplum, qui ad membra nescio quæ humana peruenerunt;

quorum etiam vsum Deo necessarium tribuebant. Documento sunt Noetiani atque Sabelliani, qui cæcutientes vnam tantummodo personam inspexerunt, quam diuersis tamen dicebant appellari nominibus. Recordamur miserrimum Arij naufragium, & ex eadem sentina Aetium, Eunomium, Achatium, Maximinum, Felicianum, orbem pœne terrarum vniuersum, qui in persona Filij diuinitatem videre non potuerunt. Scimus Macedonium, qui contra Spiritum sanctū, & aduerso Spiritu sancto vela solueret, in syrtes illas incidisse, in quibus, dum tertiæ personæ fateri diuinitatem noluit, spiritum ipse, & corporis, animique vitam amisit. Sed quid ego cæcitatem, quid errores antiquorum enumero, qui veritatem diuinæ Trinitatis non viderunt, qui in ea turpissimos errores inducunt, quoniam Ecclesiæ ductu caruerunt. Vtinam non ingens eorum numerus, quos ætate nostra Trinitarios appellamus, vtinam non bona Græciæ pars ferre testimonium verissimum, & miserrimum posset, quibus fuit idem discedere ab auctoritate Sedis Apostolicæ, & male sentire de Trinitate, & ignorare fontes, à quibus summus ac diuinus ille Spiritus procederet. Sunt præsentia huius naufragij calamitosi vestigia, ipsi videmus iactari passim aliorum cadauera, aliorum adhuc spirantium, sed à mente abalienata corpora; omnino siquidem opprimetur à gloria scrutator maiestatis, ad quam neque cognoscendam, neque inuestigandam accedere suis viribus possit. Sunt sanè in animis hominum informatæ Dei notiones, indidit ipsa natura anticipatas quasdam cognitiones diuinitatis, vt nulla sit gens, neque tam hebes, atque excors, neque tam immanitate efferata ac barbara, quæ non cognitum, comprehensumque animis habeat, esse aliquod numen præstantissimæ mentis, à quo tanti naturæ motus, tantæ vicissitudines, tam multarum rerum, atque tantarum ordines administrentur: à quo consulatur rebus humanis, à quo mundus administretur, quod denique habeat diuinitatem. Sunt in hac rerum vniuersitate illustria quædam, nobilissimaque itinera, quibus ad aliquas Dei virtutes perueniatur. Existunt egregia, præclarissimaque vestigia, quibus ducimur ad eius vnitatem intelligendam; siquidem inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. His institit insignis ille Plato, qui Deum vnum asseruit, ac de rebus altissimis ita dispu-

disputauit, vt si cum cæteris Ethnicis conferatur, diuini cognomen obtineat. His ille rex ingeniorum Aristoteles, qui per motus orbium, quorum alter cietur ab altero, quibusdā quasi gradibus adductus ad eum, qui mouet & non mouetur, argumentatione metaphysica conclusit: vnus ergo Princeps. Hæc sequuti qui in antiqua illa philosophia cæteris oculatiores multitudinem Deorum irriserunt, atque vni principatum, vni diuinitatem esse tribuendam asseruerunt. Potuerunt hæc inquam coniecturis assequi, humanis rationibus inuestigare, cum percommodè ex operibus transire liceat ad effectorem operum, & ea de illo cognoscere, quæ opifici, atque architecto conueniunt, quod in Deo est vnica eius princeps, nobilissimaque natura. De Trinitate verò non modo nihil attingere, nihil cogitare, sed neque proposita quidem ab alijs credere absque lumine, præsidioque diuino potuerunt. Hic enim deficit humana vis, hic vniuersa philosophia conticescit, nullæ sunt argumentationes, nulla necessaria indicia; hic omnis intelligentia vel nobilissima, vel cælestis obstupescit, sese abijcit, suamque profitetur imbecillitatem. Credam fortasse picta ab Apelle, quæ pingi non possunt, tonitrua, fulgura, fulgetraque; credam fortasse pictum ab Aristide Thebano, quod vix cogitatione comprehenderetur, hominis animum; potest enim species humani corporis ita coloribus exprimi, vt si credas oculis, inesse animum opineris. Possunt in tabula ita referri signa fulguris, vt auribus imponant oculi, & prope fragorem exaudias, illa tamen ab humana mente, aut fingi, aut adumbrari posse non credam, vnam esse naturam, sed triplicem hypostasim, tres personas & vnum Deum. Filius est à Patre; est, non tamen Filium, tempore Pater præcessit, non est Filius Patre posterior. Spiritus sanctus est à Patre, atque Filio, est, sed æquè, atque illi sempiternus. Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, & tamen non tres Dij, sed vnus est Deus. Dialecticæ ratiocinationes facessant, altior est omni argumentatione, Trinitatis mysterium omni intelligentia sublimius, vt mihi exclamare cum sancto Augustino liceat: O vna Trinitas, ò Trina vnitas? & cum Paulo: O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Te ipso doctore fuit opus; te ipso arcani tanti reseratore, quia nemo nouit Filium

nisi

nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare, sed reuelari profecto cupit vniuersis. Audite cum Paulo ante discessum, quo tempore amicis ad præstandum paratioribus committi solent mandata maxima, charissimaque: Euntes, ait, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hoc nimirum promiserat per Ieremiam: Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos. Hoc ipsis Apostolis: Et faciam vos fieri piscatores hominum. Sed quam diuersus bone Iesu, hominum piscatus est à piscatu piscium; hos piscamur ad intentum, illos ad vitam, & hanc fortassis ob causam cum pisces irretitos educimus ab aquis, extra quas illi moriuntur; Christus contra quos docemus, quos piscamur homines baptizari, idest in aquas immitti imperat. Docete omnes gentes, baptizantes eos mergi iubet in vndas, quibus (vt vtar sermone Patrum) regenerentur, atque vt ipsa Veritas Nicodemum docuit, renascantur, & renascantur vt videri possint regnum Dei, habere vitam, & vitam æternam: hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum, vt credant admirabile nomen Trinitatis, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. His aquis baptizandi sunt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Huius maris vndis immergendi, cuius vt dicebam initio cognoscendi, ac transmittendi rationem solus Deus aperire potuit, Nec mihi quis Numenium, Plotinum, Proclum, nouissimos Platonicos afferat, quos certum est à Christianis, quorum ætate vixerunt, arripuisse illa omnia, quæ explicatius de triplici persona disputauerunt. Nemo mihi hæc à fabulosa illa antiquitate adumbrata esse affirmet, in triplici diuisione mundi, qua Ioui cælum, Neptuno maria, Plutoni terras obtigisse fabulantur: ob eandemque causam ad vnitatem in singulis cum Trinitate figurandam; trisulcum fulmen Iouis, tridentem Neptuni, tricipitem canem insignia fuisse Plutonis. Hæc enim incertum est, vtrum ab antiquis ficta inconsideratius, an ab alijs applicata sint ingeniosius. Non longè discrepant, trinæ modo lustrationes, modo aspersiones, modo vociferationes, quas in sacrificijs, funeribus, auspicijs, ternario plerumque numero concludebant. Nam quæ Plato, quæ Orpheus, quæ Zoroaster, quæ Chaldæi, quæ Mercurius Trismegistus, quæ

alij Ethnici de natura Dei, de Patre, de Filio, de vna diuinitate, de triplici hypostasi, non dissimulanter, ac temerè, sed apertè, considerateque scripserunt, ea vt e sacris doctoribus plerique testantur, ab Hæbreis, ab Aegyptiis, Chaldæis acceperunt. His porro indicata ab Abrahamo, Iacobo, Moyse, à primis Patriarchis fuerant, quibus Deus Opt. Maximus illa singulari beneficio, atque clementia significauerat, nobis verò disertè certissimeque declarauit.

Hanc nos Dei naturam hoc stato festoque die, ac sacra sollemnique cæremonia fatemur, profitemur, veneramur, hanc eius benignitatem amamus, prædicamus, celebramus, per quam factum est, vt in orbe Christiano vulgo docti, indoctique ea teneant, ea credant, quorum vmbram nullæ Academiæ, nulla lycæa, nullæ Peripateticorum, Stoicorum, Sapientium quorumlibet scholæ, aut vnquam cogitatione comprehendere, aut attingere suspicione potuerunt. Quare Sacro Sancta Trinitas, tibi laus, tibi canimus trisagium hymnum, quem vt quarta synodus Chalcedonensis asserit, & refert Damascenus Constantinopoli in publicis supplicationibus puer è populo omnibus inspicientibus raptus in cælum ab angelis didicisse dicitur. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis: quem conuenire sibi propriè Athanasius, Basilius, Gregorius, aliaque Christianæ Reipublicæ lumina plenissimè testantur. Quas enim tibi pro tuis tantis in nos promeritis gratias referamus, nullas habemus præter gloriam: idcirco vt ea tibi persoluenda, nostras plerumque preces claudimus, sic optamus, vt reuelata facie eandem tibi, extremum, æternumque decantare possimus. Gloriam Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Amen.



ORATIO III.



VAE res Oratorem duæ plurimum hic solent à dicendo deterrere, ac pene abducere: eæ, si quando.B.P. hodierno die me ambæ vehementer vrgent: auditorum maiestas, & materiæ excellentia. Quarum altera non mediocriter commoueor: altera sic animum meũ percellit, conturbatque, vt vixdum verbum proferre sinat. Exanimor protecto supra modum, & tanquam vastissimum, procellosumque pelagus intraturus, pedes è vestigio refero: tam immensa, tamque impenetrabili deterritus abysso. Obmutescerem, fateor, ac rei magnitudine, & difficultate, tantique theatri præsentia, & maiestate perterritus animo penitus succumberem: ni singularis illa humanitas tua. S. P. satis vbique decantata; mihi iam pridem explorata: solitusque ille vester in dicentes candor, ac beneuolentia, Patres Illustrissimi, me bono fortique animo esse non solum cohortarentur, verum cogerent etiam quodammodo. Accedit eodem (quod me vel cum primis audentem facit) exuberans
Psal. 67. illa cælestis virtutis, gratiæque affluentia, quam Deus Opti-
Matt. 10. mus Maximus Euangelici verbi proclamatoribus non semel pollicetur. Quam etiam in me ipse, concionibus ad populum habitis, sæpissime sum expertus. Ecquis enim, quamlibet suæ imbecillitatis, ac paruitatis conscius, de tam munificen-
Matth. 11. tissimi patris largitate, non dicam diffidat, sed vel non spe
Psal. 8. certissima ducatur? qui abstrusissima quæque suæ maiesta-
Sap. 10. tis mysteria, sæculi abscondit sapientibus, reuelat paruulis:
Isai. 50.
Exod. 3. & ex illorum ore gratam sibi perficit laudem: qui vinctas
Ioan. 11. mutorum linguas disertas & eruditas facit: qui interdum in
Exod. 34. rubo loquitur: qui demum tum ex mutæ, stolidæque animãtis lingua, tum ex ore sceleratissimi hominis oracula promit
Matt. 27. saluberrima. Velamen igitur illud, quo oculos Moysi olim
Psal. 118. obtexerat, discisso per salutiferam filij mortem veli templo,

à me (quæ ſua eſt benignitas) tollet: reuelabitque oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege ſua. Adeſtoque itaque animis Patres Illuſtriſſimi, qui adeſtis corporibus: & me licet immeritum, de Sancta Trinitate: hoc eſt: de vnico & inexhauſto omnium ſacramentorum fonte dicere incipientem, (id quod res ipſa poſtulat) quæſo, diligenter attendite.

Vt nulla eſt in diuina Philoſophia quæſtio, vel obſcurior l. difficilior, atque Theologica illa, quæ in Dei natura & vi, quæ, qualis ve ſit, perueſtiganda verſatur: ſic illa priori, an ſit? nulla eſt inter omnes, non religioſos modo, ſed & profanos: non Philoſophos, ſed etiam indoctos, vel explicatior, vel conſtantior, vel ſenſu magis confirmata communi. Quæ eſt enim natio tam fera? quæ gens tam barbara? quod hominum genus tam immane? cuius mentem non imbuerit Dei Optimi Maximi opinio? Nam Protagoram illum Abderiten ἄθεον appellatum, quod Deum in dubium vocaret: & Diagoram Melium; & Theodorum Cyrenaicum: cæteroſque Philoſophaſtros, qui eum omnino tollebant: indignos profectò iudico, qui hominum, nedum Philoſophorum numero adſcribantur. Ecquis enim tam ſit imprudens rerum? quis tam mentis inops? qui terram, mare, cælum, quæque horum ambitum continentur, pergat oculis colluſtrare? qui ſolis interdiu pulchritudinem, magnitudinem, efficientiam? noctu deinde lunæ, luminum varietatem, creſcentis, seneſcentis, ac mirè res immutantis? ſtellarum præterea, quas vagas dicimus, motus incitatos, retardatos, inſiſtentes? aſtrorum demum inerrãtium vim, diſtinctionem, multitudinem? quis, inquam iſthæc, aliaque id genus in natura mirabilia contempletur, qui non modo non Deum eſſe conſentiat? ſed & cum Vate regio non protinus clamet: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum? Et cum Sapienti eius filio. Hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis? hoc eſt, Mundus prædicat non ſolum inuiſibilẽ deum, ſed & inuiſibilia dei; quæ vt dicebat Apoſtolus, a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Quæ plane effecta, ceu quoſdam magiſtros, Dei indices, conſulere cohortatur Iob. Interroga, inquit, iumenta, & docebunt te: volatilia cæli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narra-

Sine Deo. *Pſal. 18.* *Sap. 1.* *Rom. 1.* *Iob 10.*

narrabunt pisces maris. Solidum ergo fundamentum luce & sole clarius; quod Deus sit, merito iactum videtis.

Quis autem, qualis ve sit? mentis Angelicæ nedum humanæ captum longe superat. Vnde recte Simonides, post accuratissimam eius rei perscrutationem; dicebat. Quanto diutius Deum considero, tanto mihi res videtur obscurior. Enim uero cum Deo nihil in omni natura esse: nihil excogitari possit, aut præstantius, aut excellentius, aut omnibus denique numeris absolutius: nomen quoddam esse necesse est incorporatum, immensum, incommutabile, æternum, necessariū, omni ex parte perfectum, summè bonum, in se ipso beatum, omnia efficiens, omnia gubernans, omnia comprehendens: a nemine comprehensum, omnia cognoscens, cum tamen ipsum, vt in se est, nemo vel nomine tantum possit cognoscere. Propterea Sapiens, Quod est, inquit, nomen eius si nosti? Plato etiam nunc eum ἄρρητον, nunc ἀκατονόμαστον vocitabat, cuius est & illa præclara sententia. θεὸν μὲν, εὑρεῖν οὐ ῥᾴδιον, νοῆσαι δὲ ἀδύνατον. Ad lucem hanc inaccessabilem, sicut ad solem noctuæ, omnes fere mortalium mentes olim cæcutiebant, ac miserè hallucinabantur: donec arcanus ille Deus, qui posuerat tenebras latibulum suum, iubar illud splendidissimum doctorem iustitiæ Christum, misit ad nos. Qui flagrantissimæ caritatis suæ radijs ignorantiæ tenebras procul effugaret: & fidelium mentes, nouis, inopinatis, mirabilibusque institutis imbueret. Princeps hic Trinitatis Euangelistes aperte, ac sine inuolucris vnius tantum naturæ diuinæ, triumque personarum nomina in terras primus inuexit. Hoc potissimum doctore, vnicum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum appellare didicimus: Patrem ex nullo: Filium ex Patre: Spiritum sanctum ex Patre & Filio, æternum procedere. Præterea, Patrem Filio: Patrem quæ & Filium Spiritui sancto, quicquid sunt, quicquid habent (proprietatibus, quas vocant, duntaxat exceptis) illum scilicet intelligentia sui: hos vero mutui amoris vi commune, ac indiuiduum facere. Denique Patrem ingenitum, genitorem tamen. Filium genitum imaginemque Patris, non tamen omnino donum: Patrē & Filium non gignentes, sed spirantes: nec Spiritum sanctum genitum, nec proprie imaginem: sed procedentem, sed spiratum, sed proprie donum, fide confiteri inconcussa. Hinc voces illæ Theologiæ candidatis perquam familiares. Essentia

Prou. 20.

Ineffabilem.

Innominabilem.

Deum inuenire profecto haud facile: at nosse tamē impossibile.

Psal. 17. & Iob. 22.

tia

tia simplex: Processiones duæ: Personæ tres: Proprietates quatuor: Notiones quinque: Appropriata complura: Attributa innumerabilia. Quibus vocabulis, in re præsertim diuinitus reuelata, cum Ecclesiam, sanctosque Patres sic passim videamus loquentes, libenter vtimur. Sed progredior quo me vocat Trinitatis mysterium. Quod nimirum quonam sese habeat modo, balbutientem me potius, vt res ipsa fert, quàm Latine pronuntiantem, intenta mentis acie cogitante: vt acumen penetret, quod obtundit oratio.

Ergo cum Vnigenitus ille Dei natura sit à Patre, tot, tantisque ac talibus cumulatus perfectionibus, vt nihil omnino penes Patrem existat (præter id solum, quod innascibilis, ac Pater est) quod non cum Filio communicarit, non potest vno vocabulo exacte cognosci. Atque ea de causa quærebat Salomon. Quod est nomen Filij eius si nosti? Vnde necesse est Prou. 30. eum multis notionibus, quas solus peculiari quodam sibi iure vendicat, explicare. Vocatur imago substantiæ Patris, vt Patri, virtute inenarrabilis ortus natura esse persimilé: splendor, vt coæternum: filius, vt in eadem numero natura genitum; Verbum, vt non aliqualis seminis, sed defæcatæ intelligentiæ vi conceptum, genitumque doceamur. Quemadmodum enim creatura rationis particeps, dum sese ipsa considerat, speciem quandam, notam ve sui intra se format: quod Philosophi verbum conceptum appellant: sic plane mens illa increata, ac mire fæcunda, expressam imaginem, eiusdem secum omnino naturæ, æterna sui comprehensione gignit. Quod sane Verbum illud apposité nuncupatur, quod & in principio erat apud Deum, & Deus erat. Creatum hoc nostrum tanto superans interuallo, quanto mens ipsa diuina corpus, creaturam creator excellit. Mentis enim creatæ verbum, accidens est, non substantia, non persona, non hypostasis, non infinitum, non immensum, non sempiternum, non ὁμοούσιον, non denique filius: at Dei verbum, isthæc omnia. Nullatenus a Patre distinctum, nisi quod ille gignit, hoc gignitur: ille πρωτότυπον, hoc imago: ille ordine, quem vocant originis, prima Trinitatis persona, hoc secunda: denique, ille Pater, hoc Filius.

Præterea ex Patre & Filio, mutuo quodam, & inexplicabili amoris nexu persona Spiritu sancti procedit: hoc vno à duabus illis tertia, quod ab vtraque simul, tanquam ab vnico princi-

principio, spiratur: non vt genita, non vt Filius, non vt imago, licet omnino natura persimilis: sed vt procedens, vt spirata, vt propriè donum. Cuius nimirum non est alia potissimum ratio desideranda, quam illa Pythagoreorum: αὐτὸς ἔφα ipse videlicet veritatis magister. Sed de sanctissimo Spiritu, quoniam breuitati studemus, & hic ab alio nuperrime dictũ est, ne verbum quidem in præsentia. Oratio ergo eo, vnde cœpit exspatiari, recurrat.

Ipse dixit.

Reconditissimum itaque ineffabilis mysterij oraculum triũ diuinarum vnius naturæ personarum, Christo domino vnico veritatis doctore, nobis palam innotuit: non id caro, non sanguis, non sæculi sapientia adinuenire vnquam potuit. Nemo enim nouit Filium nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi Filius: & cui voluerit Filius reuelare. Idemque omnino cum Paulo de Spiritu sancto confitendum. Quæ sunt, inquit, Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei.

Matt. 16. *Matt. 11.* *1. Cor. 3.*

Christo igitur redemptori hanc potissimum gratiam, sicut & alias innumeras profecto debemus: qui accersitis Apostolis, vt modo audistis: Ite, ait, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ecce Christi fideles Deus noster trinus, & vnus. Hæc illa causa causarum, Hic ille Deus ignotus, quem tam anxia ingeniorum defatigatione incassum olim quæritabat antiquitas. Hic ille rerum artifex qui in principio cælum, & terram architectatus est: quem res omnes pro suo quæque modulo expetunt. Ecce thesaurus vnde rerum ditescit vniuersitas: Ecce ἀρχέτυπον animæ tribus delineatæ potentijs. Hinc rerum, quas cernimus, pulchritudo: Hinc ratus ordo: hinc numerus, pondus, & mensura dimanat: Hoc denique auctore viuimus, mouemur, & sumus.

Matt. vlt. *Gen. 1.* *Exemplar.* *Sap. 11.* *Actor. 12.*

Porrò quo illum pacto recte nosse, ac eo tandem perfrui liceat, paucis accipite. Imprimis facies vbi resident sensus, exemplo Moysi, velanda est: auribus dumtaxat liberis, qua fidei pateat ingressus. Deinde diuino opus est lumine (quod regius Vates edocuit) vt solis luce solem ipsum intueamur. Postremo ægritudines, sordesque animi procul depellendæ sunt: & de eius sanitate, & candore summo studio laborandum. Vt enim vitiorum ὀφθαλμίᾳ mentis acies obtunditur: sic gratiæ collyrio eatenus exacuitur, vt ad Deum vsque valeat penetrare. Beati, Dominus ait, mundo corde, quoniam ipsi Deum

Exod. 31. & 2. Cor. 3. Rom. 1. Psal. 35. *Morbo oculorum.* *Matt. 5.*

Deum videbunt. Quare cordis oculos prauis affectionibus expurgemus, vt vinculis aliquando corporis exoluti, quem modo fide profitemur, ſpe præſtolamur, caritate complectimur; euaneſcenti tandem fide ceu nebula, reuelata facie cõtemplemur, æterna tranquillitate poſſideamus; arctiſſimo, inenodabilique amoris nexu deuinciamus trinum, & vnum Deum, in ſæcula ſæculorum. Amen. *2. Cor. 3.*

ORATIO IV.



T ſi conſpectus tuus humaniſſimus Beatiſſime Pater in huius amplitudine loci, in hoc ſacro conuentu, in hac totius orbis terrarum clariſſima luce quantumuis mutos, & elingues prouocet, & mihi etiam ipſi animum faciat ad dicendum: Sacroſanctæ tamen Trinitatis myſterium occultum, reconditum, ac ſupra omnem creaturæ captum eleuatum (quod hodierno die in maximum ſe exhibet omnium & orationis, & fidei argumentum) ſilentium indicit; vt de eius excellentia, quam nullius poteſt mentis cogitatio cõplecti, lingua penitus conticeſcat. Quid igitur faciam, aut quid loquar tantæ rei magnitudine explorata? Satius quidẽ eſſet tacendo cum Moyſe mutum me animal, aut puerum neſcientem loqui cum Hieremia profiteri, quàm dicendo de Deo balbutire. Namſi Dauid iudicia Dei abiſſum multam vocat, cuius ſtabilis ſedes nec menſura, nec ſenſu capi queat; Si Paulus dum eadem contemplatur, nec exitum, nec quò aſcenſum figere, ac ſtabilire poſſit reperiens orationem admiratione circumſcribit, Deique iudicia nullius ingenio percipi, comprehendique poſſe decernit: quid à me de ſummo illo numine, de principe illa, ac primaria eſſentia, quæ nullo interiori mentis conceptu capi poteſt, exteriori vocis oraculo proferetur? Verùm, vt hinc initium ſumam, docuit non incallidè profanorum Theologorum quidam, illum quaſi parentem huius vniuerſitatis inuenire difficile eſſe, & cum-

Exod. 4. *Hier. 1.* *Pſal. 35.* *Rom. 11.* *Plat. in Timeo interpr. Cic. lib. de vniuerſi.*

iam

iam inuenèris nefas in vulgus indicare: vt ex eo, quod intellectu difficilem affirmat; opinionem hominibus afferat, se Deum cognitione percepisse, ex hoc verò, quòd nefas in vulgus indicare ait, id agat, ne inscitia sua prodi, ac deprehendi valeat. Simplex tamen, ac syncera Christianæ mentis pietas Deum nec verbis exprimi, nec humani ingenij acie penetrari posse fatetur. Est enim inuisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem & eloquendum sermo sileat, & inuestigandum sensus hæbetetur, & complectendum intelligentia coarctetur. Si igitur de Deo aut sentiendum aliquid, aut dicendum est, a Deo discamus oportet, ne mens errore delusa, aut mendax in multiloquio lingua terminos à varietate præfixos transgrediatur. Quamobrem summa illa sapientia Patris, quæ aperuit os mutorum, & infantium linguas fecit disertas, Deus scilicet, & Dominus noster Iesus Christus immaculatus agnus obsignatum librum resignauit, descriptum in eo Trinitatis mysterium ostendit, ac sermonem, quem de Deo loqueremur, antea nunquam auditum in aures ecclesiæ toto orbe diffusæ Matthæi testimonio cum ipsa veritatis suæ virtute transfudit, Docete, inquiens, omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quid amplius dicendum est, si in tanta verborum breuitate tam infinitam maiestatem, & gloriam nos Christus edocuit? Quis vnquàm Deũ Patrem, Filium, & Spiritum sanctum nuncupauit? Solus ipse in seipso beatus, & incomprehensibilis naturæ suæ comprehensor Deus hoc sibi nomen imposuit. Quod vt manifestaretur mundo, dum flagranti desiderio Sanctus Esaias à Deo deprecaretur, Vtinam, inquit, dirumperes cælos, & descenderes à facie tua montes defluerent, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis. Esaiæ votis arrisit euentus, vniuerso orbi Dei nomen innotuit, & in sacramento salutis nos cum inimici, & natura filij iræ essemus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizati veram Diuini nominis cognitionem sumus consequuti. Nec immerito tanti nominis desiderio tenebatur Propheta, cum ob illius ignorantiã in maximis quoque mundus ignorantiæ tenebris versaretur. Nam Iudæi, qui se eruditores insipientium profitebantur, Trinitatis Thesaurum in veteris testamenti agro absconditum non inuenientes Diuinitatem in vnam personam contraxere. Gentiles verò, qui curiosè nimis de Deo philosophabantur, & se sapientes existi-

Grego. Naz. oratione 2. de Theolo.
Hilarius lib. 2. de Trinit.
Sap. 10.
Apocal. 6.
Matth. 28.
Esaiæ. 64.
Ephes. 2.

existimabant, in Deorum cateruas prolapsi sunt. Diuisio religionis humanum genus in duos populos diuidebat, & vt vterque in vnum conueniret, Trinitatis declaratione opus fuit, vt vitiosa extremorum Iudaismi,& Paganismi semita intercluse, media veritatis via Christianismus incederet. Enim verò digno diuinæ largitatis beneficio donati vnam in Patre, & Filio, & Spiritu sancto Diuinitatem agnoscimus, ne vltra tres personas Diuinitate diffusa, Deorum turbam cum Gentilibus inducamus, aut intra tres personas Diuinitate restricta, Deitatis inopia premi iudicemur in vnam tantum personam cum Iudæis incidentes. Hæc est summi arcani breuis, & admirabilis summa, quam paucis complectens diuinus ille Theologorum magister Ioannes: tres sunt, inquit, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. O rem miram, & stupendam! Omnia in hoc mysterio sunt difficilia, omnia ardua, omnia sublimia, omnia denique stupore plena. Qua igitur pergemus via ad imperuia Diuinitatis? fide. Quo lumine illustrati Trinitatem inconfusam, & inseparabilem vnitatem confitebimur? fide. Quo auxilio, quæ ad coniunctam, discretamque Theologiam spectant, omnibus intrepidè assentiemur? fide. Fide inquam, quæ ita nos in altum subuenit, vt quæ de prima illa, ac purissima natura humana ratio non percipit, mundana Philosophia non sapit, singulari ipsius munere comparemus. Nihil enim tam ab humano intellectu remotū est, quàm quòd vna prorsus Diuinitas in tribus hypostasibus reperiatur. Nihil tam in Philosophia inauditum, quàm quod geniti, & ingeniti vna eademque omnino natura sit. Nihil tam à sensibus alienum, quàm Diuinarum Hypostaseon circa confusionem, & mixtionem intima, & ineffabilis consuetudo. Sed si hæc auscultamus, & fide auscultamus sine vlla animi hæsitatione credimus, admiramur, stupemus. Iam verò dùm tantum Sacramento per fidem acquiescimus, per quam veluti per speculum in ænigmate (vt ait Apostolus) nunc videmus: cupit intelligentiæ nostræ infirmitas quasdam ex inferioribus imagines quasi indices superiorum vt rerum familiarium consuetudine admonente ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus notitiam educamur. At quæ potest comparatio Diuinæ Triadi consentanea reperiri, cum nulli rei procreatæ similis Deus sit? Quo veluti simulachro incomprehensam Patris,

Greg. Naz. orat. 39. in Christi nat.

1. Ioan. 5.

Hæc à Græcis patribus περιχώρησις dicitur de qua Gebrar. 2. lib. de Trin. & in Apol. con. blasph. 14. Scheg. Kq.

1. Corin. 13.

Dionys. lib. de cœlest. Hier. c. 2. et Hilar. lib. 1. de Tri.

Filij, & Spiritus sancti vnionem depingam? Equidē, si paruis magna componere concedatur, vocat me Ezechiel sanctus, vt in visione sua adumbratæ Triadis celsitatem patefaciam. Testatur namque Diuinus ille vates se hominem in throno sedentem conspexisse, & aspectum splendoris per gyrum, sicut aspectum arcus, qui fuerit in nube in die pluuiæ. Deus est Optimus Maximus, qui in Throno maiestatis sedens dum Iridi cōparatur, trinus, & vnus credentibus apparet. Vt enim in Iride trium colorum discrimina clarè cognouimus, & tamen alterius ad alterum dissidium sensu percipi nequit; & sicut in vna nubis substantia solis repercussa radio floridus, qui cernitur color multiformis est: Sic etiam in eadem diuinitate tres hypostases cōstanter asserimus, quarum proprietates in singulis hypostasibus separatim relucent, eius verò proprietatis, quæ secundùm naturam est, nulla alterius hypostasis ad alteram potest differentia excogitari. Hic est aspectus arcus ab Ezechiele præuisus. Hic est aspectus splendoris per gyrum diuinæ æternitatis. Hæc visio similitudinis gloriæ Domini. Quid multa? Prorsus admirabilis est beatissima Trinitas, in qua singula existunt in singulis, & omnia in singulis, & omnia in omnibus, & vnum omnia. Quæ cum ita sint, fortes semper in fide, & à vitiorum labe perpurgati præsentem huius mysterij intuitum hilari animo expectemus. Tunc enim nobis hæc veritas sine vllo velamine detegetur, cum tradiderit Christus regnum Deo, & Patri, cum Deus nos fauore suo singulari in cellaria sua introducet, cum erit Deus omnia in omnibus. Interim tamen, ne desinamus tantam maiestatem contemplari; & ad eius gloriam pauentes, atque attoniti supplicare, vt fidem, quam dominus in nostris animis ingenerauit, quam tantis Apostolorum sudoribus propagauit, tam multo martyrum sanguine confirmauit, tam difficilibus hominum & doctrina, & vitæ sanctitate præstantium aduersus infidelitatis monstra luctationibus stabiliuit, hanc alat, augeat, & ad summum perducat. Amen.

Ezech. 1.

Basil. magnus in epist. ad Gregor. Nyss. de differētia οὐσίας καὶ ὑποστάσεως.


August. libr. 6. de Trinit. cap. vlt.

1. Corint. 15.

Cant. 1.

ORA-

ORATIO V.



FESTVS hic dies, Beatissime Pater, expostulat, vt de incomprehensibili Sanctissimæ Trinitatis mysterio dicam, cuius ex obscuritate difficultas omnium assensione tanta est, vt sapientissimorum, atque adeò Christianè philosophantium ingenij acumen hactenus retuderit, vt in hanc B. Pauli acclamationem omnes compellamur: O altitudo diuitiarum scientiæ, & sapientiæ Dei, quàm incomprehensibilia iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Adeò sanè obscura est, hæc Sanctissimæ Trinitatis in Vnitate speculatio, vt consultius fecisse videar, si cum Neoptolemo, qui sibi, sed paucis philosophandum dicebat ex secretiore Theologia de Trinitate, per ea quæ Deus hominibus reuelata voluit, breuiter dixero; quàm si in re, quæ huiusmodi est, vt nullibi laboriosius aliquid quæratur, nec periculosius alibi erretur, importunum me percunctatorem, ac illicitè curiosum præbuero. Quod cum facio, Patres Illustrissimi, quam aspectu audientiam pollicemini, auribus precor non denegate. Rom. 11.

Et si, B.P. nulla gens fuerit tam fera, tam immanis, & barbara, quæ aliquam Dei notitiam non habuerit; tamen Christiani, quibus iustitia Dei, ex fide in fidem reuelata est, de Deo vno, vero, trino in personis, in cuius cognitione & fruitione hominis fœlicitas posita est, Vnitatem fœcundam, Trinitatem incomprehensibilem, vnigenito ipso, qui est in sinu Patris enarrante, ac Spiritu sancto illis inspirante, veram, certam, distinctamque supra cæteros, lumine fidei, cognitionem habuerunt. Istud nimirum profitentes, aliarum scientiarum initia, manifesta esse oportere, & prope aspectabilia, huius verò speculationis, quæ de diuinis est, paradoxa, inopinata, nisi superiore fidei lumine, mentes humanæ illustrentur: Accedentem enim ad Deum, non quærere, sed credere oportet, quia est. Nisi crediderimus, non intelligemus, assensione, Rom. 1. Ioan. 1. Hebr. 1.

sensione, non disputatione, orationibus, non rationibus opus est. Hic non magnitudo sensus, sed humilitas; hic non sublimitas sermonis, sed ostensio virtutis requiritur. Ideoque Christus inquit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod hæc abscondisti à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. humilitas planè, ac simplicitas credendi, omnibus qui quærunt Dominum, & faciem Christi sui, necessaria est, & quanto quis seipsum magis despicit, & abnegat, tanto penitius fide Deum attingit. Itaque Philosophi & sapientes huius sæculi, scrutatores maiestatis diuinæ, oppressi à gloria, vix vmbram veræ sapientiæ assecuti, euanuerunt in cogitationibus suis, & sapientes se esse credentes, stulti facti sunt: cum enim mentis humanæ acies inualida, in tam excellenti luce non figeretur, nisi per iustitiam Fidei, ab operibus mortuis emundata, & supra naturam eleuata, ad seruiendum Deo viuenti, ac, vt inquit Iustinus Martyr, non nisi docente, ac reuelante Deo, res diuinæ cognosci possent, ipsi verò sibi nimium tribuendo, quasi satis haberent in se à natura præsidij, ad diuina intuendum, & vera à falsis secernendum: ob nescio quam perexiguam & adumbratam scientiæ & literaturæ persuasionem; nolentes intrare in potentias Domini, in ipso statim portu ac limine impingentes, alij nullam dixerunt, alij falsam pro vera Religionem tenuerunt, vt certissimum sit, animales Philosophos, ambulantes in vanitate sensus sui, obscuratum habentes intellectum, alienatos à vita Dei, non solum perfectam in diuinis veritatem non inuenisse, sed nec inuenire potuisse, cum quomodo, & vbi quærenda esset ignorarent: Sensum enim Domini quis intelliget, nisi Deus dederit sapientiã, & miserit Spiritum sanctum suum de altissimis? Notæ sunt ipsorum Philosophorum de ignoratione veritatis, confessiones, vt si quid de rebus diuinis præclarè dixerint, à Christianis accepisse facile conuincantur: ita enim Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Eusebius, eruditè docent, quæ apud Homerum, Hesiodum, Platonem, & alios, de vno Deo, & reliquis nostræ religionis capitibus habentur, ex sacris libris esse deprompta, & partim quædam transcripta, partim intextis fabulis nonnihil immutata atque deprauata. Ex hac vna vnius veri Dei ignoratione, quem nos Christiani colimus, profitemur, inuocamus, adoramus, Philosophi, & sapientes huius sæculi, se, & alios, summis, inexplicabilibusque damnationis

Marginal references: *Matt. 11.* *Luc. 10.* *Hebr. 9.* *Psal. 70.* *Ephes. 4.* *Sap. 9.*

-tionis erroribus inuoluerunt: Hæc est enim vita æterna, vt cognoscamus Deum verum, & quem misit Iesum Christum. Hinc forte sectarum inter Philosophos initia. Hinc Athei, idololatræ, Iudæi, & hæretici Philosophorum filij prodierũt, in quibus debilitandis, atque frangendis, animosa fide, veteres omnes ad nostra vsque tempora, Orthodoxi Patres, singulari quodam, & singulis accommodando disputandi genere, operam, studiumque posuerunt. Philosophos enim & Atheos, qui scripturas non recipiunt, mutuatis à Metaphysico, & naturali Philosopho rationibus, quasi proprijs armis iugularunt, Iudæos & hæreticos prope domesticos hostes, domesticis armis, sacris videlicet Scripturis expugnarunt, Iudæos quidem Scriptura veteris testamenti, hæreticos verò primum Scripturis vtriusque testamenti, quarum interpretationem in dubijs, Ecclesiæ iudicio relinquendam sapienter iudicarunt, ne indocti, & instabiles, ad suam ipsorum perditionem, Apostolica scripta, malitiosè magis, quàm ignoranter peruerterent. Deinde traditionibus Ecclesiæ, Decretis Pontificum, œcumenicis Concilijs, & antiquorum Patrum testimonijs. Quibus quidem argumentorum generibus, orthodoxi Patres, omnes de religione controuersias, cum aduersarijs gloriosè composuerunt. Omnes de vno Deo & vero, omnes de Trinitate personarum in vnitate essentiæ, quæstiones cum Atheis, Iudæis, Philosophis, & hæreticis, cum Arrio, Eunomio, Sabellio, & alijs de sanctissima Trinitate personarum perperam, & impiè sentientibus, ad Catholici dogmatis defensionem ita definierunt, concluserunt, vt nullus iam ad resiliendum, sensus & motus in modernis Trinitarijs, contra Catholicam veritatem posse subsistere videatur.

Ioan. 17.

2. Pet. 3.

Hoc vnum igitur superest, Patres Illustrissimi, vt quid de sanctissima Trinitate, fide Catholica credendum, recipiendum, profitendum sit, breuiter concludamus.

Orthodoxorum omnium Patrum Athanasij, Hilarij, Gregorij Theologi, Basilij, Ioannis Chrysostomi, Cyrilli, Cypriani, Augustini, & Conciliorum œcumenicorum institutum est, Beatissime Pater, docere secundũ Scripturas, quòd Deus tam ineffabilis est, vt vnus existens, trinus sit, vna natura nullo modo multiplicabilis, neque nulla est in ea diuersitas, sed perfecta vnitas: vnum, hæc sic est, vt nulla sit in ea solitudo, nulla orbitas, sed tres sint in hac omnimodè vna natura per-

sonæ, Pater generans, Filius genitus, Spiritus sanctus à Patre, & Filio procedens, ac genitoris & geniti, nexus & vnio. Quæ singula, cum tam longè intelligentiam humanam superent, vt nullum flumen ingenij, nulla dicendi copia, rationē tanti mysterij complecti posse videatur, vt vel sola mutatione nominum, Vnitatis & Trinitatis grauissimè impingamus, ac licentia verborum, falsas interdum opiniones gignamus, videbitur profectò gloriosa, ineffabilis, & incomprehensibilis, Trinitas vnus Deus, pio quodam silentio, & mentis excessu, magis quàm verbis honoranda. De qua tamen duobus modis veteres solitos fuisse tractare, scribit Augustinus: Quidā, inquit, dum Trinitatis aliquod specimen, quod humano captui esset accommodatum, effingere vellent, exemplis potissimum vsi sunt, velut intellectus, voluntatis, & memoriæ, quæ tres inuicem distinctæ facultates, vnicam animæ complent essentiam, item animæ, corporis, & vitalis caloris, quæ sua inter se natura distincta, in vnicam hominis hypostasim concurrunt. Huc pertinere poterit, quod de beato Lupo, in Gallijs Senonensi Archiepiscopo, sua commemorat historia, qui cum Deum precaretur, in tremendo Altaris mysterio, vt sibi Trinitatis sanctissimæ specimen aliquod ostenderet, sacra peragendo, tres pretiosissimos lapillos cælitus in sacrum suū calicem demissos, in vnum lapidem coaluisse. Sunt plura alia ad Vnitatis & Trinitatis rationem explicandam, aduersus proteruos disputatores, qui rationibus naturalibus fidem sibi fieri volunt, non contemnenda exempla. Nam etsi comparatio terrenorum, & humanæ naturæ ad Deum nulla sit, nec ad res diuinas explicandas, humana elocutio sufficere possit, tamen nostræ intelligentiæ infirmitas, cogit species quasdam ex inferioribus, tanquam superiorum indices quærere, vt rerum familiarium consuetudine admonente, ex nostri sensus conscientia, ad insoliti sensus opinionem edoceamur. Alius de Trinitate tractandi modus securissimus videtur, cum scilicet simpliciter absque vel demonstratione, vel exemplo, veritas ex sacra Scriptura proponitur credenda. Quà methodo vsum beatum Ioannem Euangelistam audiamus, qui Christi aduentum, ac humanam redemptionem expositurus, necessitate quadam à sanctissimæ Trinitatis declaratione exorsus est: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; cum ante aduentum

August. de Ciu. Dei c. 2.

1. de Trinit.

Hilarius de Trinit. lib. 1. 4. & 7.

Ioan. 1.

Christi parum communicata Trinitatis speculatio haberetur. Nam etsi in veteri Testamento multa sunt loca, quibus in Deo pluralitas insinuatur, parum tamen & paucis extitit apud eos explicata hæc distincta personarum in Vnitate naturæ veritas, cum alijs de causis, tum quòd tres in diuinis personæ nondum distinctè apparuissent, vt postea in Baptismo Christi, & missione Spiritus sancti, nondum ad sacratissimorum nominum nouitatem; cælorum palacia reserata videbantur, nondum hæc vox Dei Patris in Christi Transfiguratione, vt & in Baptismo personuerat: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite; nondum hæc Christi promissio Discipulorum mentes exhilarauerat: Rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Cœpit enim tum post Baptismum Christi, ascensionem in cælum, & Spiritus sancti missionem celebris esse distincta personarum, Patris, Filij, & Spiritus sancti, in Baptismo & cæteris Ecclesiæ benedictionibus enunciatio; sic fides, quæ est, vt inquit Paulus, ex auditu, & auditus per verbum Dei, plenissimè comparatur, nutritur, augetur, accuratur, illustratur. Satis autem, meo iudicio, de sanctissima Trinitate ad salutem cognouerit, qui reuelata à Deo, eo quo proponuntur modo ab Ecclesia tenenda, pia credendi simplicitate receperit, vt hic non intelligenda mente veneretur, intellecta veneranter teneat, & quæ nondum cognoscit humiliter expectet. Sunt etenim multa in Theologia inexplicabilia, in quibus quiescere intellectus hominis non potest, nisi confessa ignorantia. Ideoque scriptum est: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ tibi præcepit Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Sunt enim nobis diuina opera admiranda, laudanda, extollenda, verùm non sunt semper vel imitanda, anxiè, vel perfectè vt intelligamus quærenda. Nam si vel tantillum illa voluerimus vltra fidei nostræ mensuram intelligere, ipsa eorum luce reuerberante animæ nostræ acies excæcabitur.

Marc. 1. Bernard. in serm. de S. Io. Bapt.

Ioan. 14. & 16.

Gregor. lib. 1. moral. cap. 9.

Eccles. 3.

Quicquid ergo ratio clamauerit, quicquid apparens probabilitas ostenderit, in cognitione Dei, & sanctissimæ Trinitatis mysterio, ne viribus nostris, sed reuelanti Deo, & Ecclesiæ innitamur, credamus reuelanti Christo, & sigillum quo

in Ba-

in Baptismo insigniti sumus, teneamus. Baptizati sumus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt etiam tres personas intelligeremus, sed vnum tantum Deum confiteremur. 1.Ioan.5. Hoc est illud vnum testimonium, de quo Ioannes ait: Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, Spiritus. Meritò autem dant vnum testimonium, quia tres hi vnum sunt.

Illum ergo, qui vtilia ad salutem nos docet, inuocantes, altum non sapiamus, sed timeamus ne forte contristemus Spiritum sanctum Dei, in quo signati sumus in die redemptionis. Nihil nos scire arbitremur præter Iesum, & hunc crucifixum. Omnia denique quæ nos Romana omnium Mater Ecclesia docet, hoc animo, & desiderio addiscamus, ac cogitemus, vt ardentiores in vnius veri Dei cultu, magisque pij reddamur, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu sancto, in vnitate viuit, & regnat per æterna sæcula. Amen.

Tertiæ, & vltimæ Partis Finis.

